


2. a. 3. 2.




1 800 40 Delta MADE IN SPAIN


Del Collegio de la Compañia de Christo de Granada 1637

THEOLOGIA MORALIS

AD PRIMAM,
E A Q V E
CLARISSIMA PRINCIPIA
REDUCTA.



AUTHORE
D. D. IOANNE CARAMVEL Lobkovvitz Di-
sembergensi & Melrosensi Abbate, nec-non
S. Theologiae Doctore & Professore.



LOVANI, I,
Typis ac Sumptibus PETRI ZANGRII.

ANNO M. DC. XLV.



LECTORI

Theologiæ Moralis Studio.



Objectum Moralis Theologiæ Iustitia; nimirum virtus illa, quæ unicuique tribuit quod suum est. THEOLOGIA dicitur; quia Christiana iustitia omnia esse Dei animadvertens, ad Deum omnia ut ad ultimum & summum possessorem reducit. IUSTITIÆ praxis exactam Iuris & Domini cognitionem supponit; non enim quod suum est, posset unicuique tribuere, ni Domini jura & titulos altè cognosceret. Idcirco à primis acquirendi Domini fundamentis exordium sumere necessarium est: adeoque, libro

PRIMO, rerum physicum Dominium edissero, realesque illas resolutiones ut basin fundamentumque arcis Ethicæ erigendæ suppono. tunc enim accuratè discurremus, cum de Moralibus moraliter eodem omninò modo, quo de Physicis physicè philosophamur: quoniam speculatio quæ physica & reali disputatione non subsistit, non moralis sed chimærica est. Igitur physicis fundamentis insistens, libro

SECUNDO, ago de Titulis acquirendi morale Dominium. Dominium physicum ostenderam reali Conditori competere; & analogiâ servatâ, morale ostendo competere morali; Usuariumque rem ipsam Authori subijcere, utile rei operationes, hasque prædeterminari physicè impulsu, moraliter præceptis persuadeo.

TERCIO, subinde libro contemplor præcepta naturalia; examino an lata sint, annata; & Dei libertatem auctoritatemque propugnans, ita à Deo lata ut non ferri poterint, defendo. Torum Decalogum à Deo dependere, & divinitus mutabilem & dispensabilem esse demonstro: variasque quæstiones & hypotheses etiam impossibiles, ut naturalis legis quiditas vires & auctoritas innotescant, examino.

QUARTO, de legis naturalis Tabulis dissero. probo inscriptam cordibus; hancque sæpissimè characteres dubios, frequenter probabiles, rarò certos & claros retinere. atque ideò uberrimè disputo de Conscientia Dubia, & solidè tametsi brevius de Probabili, Evidenti, & Fideli.

QUINTO, Divinam legem, illam quam Naturalem, sumpto non pro Essentia sed pro Nativitate vocabulo, homines doctiores appellant, prout in Tabulis lapideis existit, explorator veritatis expendo; Legislatoris mentem in singulis præceptis dilucido; species peccatorum distinguo; & quia non in multiplicatum entia sine necessitate Metaphysica Sapientia statuit, peccatorum species ibi solùm multiplico, ubi coincidere rationabiliter non possunt. adeoque paucissimas peccatorum species

species admittendo Confessionis Tribunali prospicio, ex suo ingenio difficili, & ex aliquorum severitate, neinaccessibile dicam, difficiliori facto. Ubique Sacræ Paginæ & Concilij consono, & præcipuè Tridentino, ex quo tam clarè videtur colligi circumstantias non mutantes speciem, tamen maximè aggravantes, non debere exprimi in Confessione, ut mirer dari Authores, qui audeant propugnare contrarium.

PLURIMI in libris singulis Casus propositi, omnes benignè, solidè tamen, resoluti; ubique summa doctrinæ consequentia servata; nil moraliter dictum, quod non sit analogiâ physicæ veritatis fundatum. Si disputandi methodus, resolvendi benignitas & consequentiæ observantiæ severitas, Lector candide, placeat, tomum alterum, in quo innumeros casus & consilia in præceptis Decalogi & Ecclesiæ, imò etiam Principum, plurimos in Sacramentorum materia in suas classes distincta, eodem doctrinæ filo, & ex eisdem principijs resoluta, statim evulganda amice & patienter expecta.

CENSURA.

TAMETSÌ boni mores multum illis omnibus debeant, qui Resolutiones ethicæ ediderunt; plus illis videntur debere qui benignas; inter quos Eximius Vir Ioan. Caramuel visus excellere, cum suaviter sententiarum potuit ad clarissima, solidissima, eaque purè naturalia fundamenta reducere, quod paucissimis concessum est: adeoque iudico hunc Librum non prælo modò, sed Doctissimorum oculis dignum, ut sciant homines non solùm qui debeant privatim vivere, sed etiam qui possint publice in Gymnasijs veræ vitæ institutiones, tamen si suaves & benignas, severè & securè propugnare. Sic senſeo Ipris Kalendas Iulij MDC. XLIV.

ANTONIUS SANDERVS S. Th. Lic. Canonicus & Scholast. Eccles. Cathed. Ipr. Lib. Censor.

HIC Liber eodem filo ac doctrinæ consequentiâ est conscriptus quo Commentarius & Scholion; eisdem ipse Synthesibus substruitur, adeoque omnium etiam illorum fulcitur iudicio, quorum duo libri nominati quamobrem superfluum videretur rescribere singulorum nomina & censuras.

LIBER


LIBER I.

DE LEGE NATURALI
SEV PHYSICA.

PROOEMIUM.

*Lex in communi sumpta,
definita, divisa.*

21



LEGEM dici à legendo placuit B. Isidoro & alijs Criticis, qui de vocum origine verâ disputarunt. Cùm autem verbû Legere homonymiâ laboret, non possumus non dubitare de significatione primitivâ.

Qui existimant Leges debere scribi, à legendo litteras vocatas asserunt. Hæc tamen derivatio non placet; nobiliores enim Leges agraphicæ sunt: æterna sit nobis testimonio, scripta non est; & naturalis, sub initium mundi scripta non fuit; quibus & accedere possunt humanæ aliquot non calamo sed labio lata.

22 Aptius Cicero 1. de Legib. consonans dicenti Poëtæ,

Ipsè ego cana legam tenerâ lanugine mala.
Censet idem esse legi quòd eligi, ac propterea Leges à legendo seu eligendo dictas, quòd curiosè omnia examinent, utilia eligant, & nociva proscribant. Hæc ratio nominis convenit omni Legi, saltem elicita; quia Deus eligendo has & illas creaturas Legem physicam æternum tulit: & eligendo operationes rationi consonas, & reprobando dissonas, æternum sanxit Decalogum seu Legem moralem. Imò & homines non solùm Leges ut media eligunt, sed Lege indicunt actus illos, quos elegerunt & utiliores iudicarunt.

23 Γραφειν apud Græcos non solùm scribere sed & pingere est, ab ijs Latini non scripturas modò, sed & legere picturas didicerunt. Virgilius in operis divini sexto,

— Protinus omne

Perlegerem oculis, ni tam præmissus Achates Afforet.

Ergò si legere, picturam considerare est, Lex, quæ à legendo dicitur, erit pictura seu exemplar actuum humanorum.

Antiqui siqua præteribant, legere dicebantur, Livius; *Ipsis compositis Sicilia rebus oram Italiae legens Ariminum pervenit.* [Urbs vetus in Flamminiâ est, juxta Rubiconem fluvium, qui Galliam à Flamminiâ discerpit (Lucan. lib. 1.) ad quam venientibus ex Sicilia accedere licet si præterierint oras vastissimas totius Italiae] Lex igitur à legendo, hoc est à prætereundo dicitur; quia teste Aristotele lib. 1. Rethoric. ad Theod. cap. 4. qui bonas Leges condere desiderat, præterita debet speculari, & ex eis expiscari notitiam cavendi suis subditis calamitates imminentes.

A ligando aliqui Legem derivant, nec immeritò; quia universos obligat & obstringit.

Nec condemnandi, qui Leges dicunt à legando; sunt enim ipsæ feciales, contra vitia & mores insolentes legatae.

Quod si legare sit καταλείπειν, testamentum conficere, ultima voluntate bona distribuere, & divitias donare, altâ ex origine eruitur Legû ingenium & perennitas: sicut enim revocabile non est quod ultimâ voluntate decernitur, sic Leges adamantinæ esse debent & irrevocabiles. Natalis Comes lib. 27. Historiæ; *Cum Lex sit*, ait, *unicum fundamentum rerum publicarum, turpe est & puerile in regno delirare, ebriosorumque*

A

more

more modo huc modo illuc fluctuare; aut sapiens tanquam ab Inferis mortuam legem per præconem revocare &c. Verè Lex revocari non debet, quia aut jus infert, aut iniquitatem; quæ hanc, numquam debuisset ferri: quæ illud, non debet aboleri aut cassari. Tanti fecit Lycurgus perennitatem Legû ut excefferit exul voluntarius, adjurâs populum ne quid mutaret de suis Legibus donec rediret. Legum suarum æternitatem conditione subnixam, absolutam reddere maluit, quàm vivere; ideoque aut inedia spontaneæ viribus, ut notat Euphorus; aut manus suæ violentiæ subjacuit, ut alij affirmant; ne redeundo in Patriam Legum proscriberet perennitatem.

27 Græci Legem vocarunt NOMON à verbo νέμειν, quod tribuere significat; ut Principes doceantur Leges edere, quæ subditos opulentiores reddant, non quæ depauperent. Legislatoris scopus non est esse felicem, sed ingenuis felicibusque dominari. Fortè & ΝΟΜΟΣ dicitur, quæ debet unicuique νέμειν, quod suum est.

28 Hebraicè נַחֲמַן DATH & תּוֹרָה TORA dicitur. Aptè תּוֹרָה TORA seu Ordo, quoniam confusio est exlex nec Legis nomine digna ulla sanctio, quæ inæquales confundit. Lege ordinantur omnia, quæ aliàs indigesta & confusa: non tamen pervertuntur quæ alias constarent. Nec incongruè נַחֲמַן DATH dicitur, quia נַחֲמַן DVID amicum sonat, & Leges tyrannicæ sunt si subditis nocivæ; invalidæ, si illi liberi sint, illæ ipsis invitis latae.

Exponitur Essentia Legis.

29 **S**peculati in vocibus Legum prærogativas, aquilineis oculis Legis ideam investigemus, Legis, inquam, abstractæ ab omni differentiâ & determinatione subjectivâ.

Est Lex sumpta in communi, Regula actuum agendorum aut omittendorum; aut etiam, Regula, secundum quam aliquis ad agendum inducitur, aut ab agendo retrahitur. Hæc definitio desumitur ex D. Thomæ 1. 2. quæst. 90. art. 1. Vide Suarium lib. 1. de Leg. cap. 1. num. 1. & me in Commentarij Benedictini num. 15.

Platonica Legis divisio.

30 **P**hilosophus Divinus in Timæo & Phædro Legis ideam communem dividit in quatuor subjectivas partes, nempe, in Divinam, Cælestem, Naturalem, Humanam. Secundam Laurentius Beyerlinckius in Theatro. verbo Lex pag. 50. H. & aliqui Theologi Gentilitiam censent & Catholico indignam: sed doctrinam Platonis non contemnerent, si scirent à magnis Theologis Divinam cælitus, Cælestem divinitus exponi. Præcipua veterum & recentiorum placita jungam, est enim summa Authorum varietas in sententia Platonis explicandâ.

Prima expositio.

31 **N**omine Cælestis & Divinae intellexisse Physiologam & Theologam, hoc est Physicam & Moralem non obscure colligitur ab etymo vocum earundem. Cælestis Lex est Physica, illa nempe quæ à caelo, ab astris, à causis secundis necessariò rebus imposita; dirigit actiones necessarias & ab arbitrio independentes. Hæc physicâ seu Cælesti Legge reguntur syderum periodi, elementorum turbationes, mixtorum ecstases, & alia merè naturalia. Divina seu Theologica est Lex, quæ à Deo indicta intellectualibus substantijs, obligat in conscientiâ. Hanc Legis divisionem admittere debent universi. Cicero ex eorum sententiâ, quos paulò antea sapientissimos dixerat, Principem Legem illam & alteram, mentem esse dicebat omnia ratione cogentis aut vetantis Dei. Ergo & Lex æterna dividitur in cogentem & vetantem. Illa cogere (melius, infallibilitate, ni malis à Cicerone viro Stoico factum stoicum insinuari) dicitur, quæ prædeterminat; illa autem vetare, quæ intellectualibus imponitur, & obstringit moraliter. Eandem Legis æternæ divisionem admittit Augustinus lib. 83. quæst. 27. In sola bona voluntate, ait, secundum Legem agimus, in cæteris autem secundum Legem agimur, cum Lex ipsa incommutabilis maneat. Ecce Africanus Doctor Legem æternam dividit in physicam, secundum quam agimur; & in moralem, secundum quam agimus.

Secunda

Secunda expositio.

32 **P**utant aliqui Legem hanc physicam jura dicere creaturis & Creatori: addunt Divinam dici prout Deum; Cælestem seu Mundialem prout ligat creaturas. Hanc sententiam tenuit Chrysippus de Legib. ο νομος, αἰτ, πάντων ἐν βασιλείᾳ θεῶν καὶ ἀνθρώπων. Δεῖ δὲ &c. Lex est omnium Divinarum & Humanarum artium Regina. Oportet autem &c. ergo Divina & Humana subijciebat huic Legi.

33 Hi sunt Authores, quorum meminit Suarius lib. 2. de Legib. cap. 1. num. 7. quos debemus in præsentem impugnare.

Dico igitur primo, Actus notionales Dei nō esse subiectos Legi æterni Domini. Ita D. Thomas 1. 2. quæst. 93. art. 4. & probatur; quia Lex debet esse prior illis actibus, quos dirigit; atqui æterna non est prior actibus notionalibus: ergo. Major est certa: minorem probo. Æterna Verbi generatio intelligitur ante omnem actus imperij & voluntatis: ergo ante omnem Legem. Patet consequentia, quoniam Lex non intelligitur ante generationem Verbi. Eadem ex causa Spiritus sancti processionem non subijciam domini æterni Legi, quia ante eam non præcessit aliquis actus voluntatis, qui Lex vocari posset; sine voluntate enim non concipitur proprietarij domini Lex.

Dico secundo, Actus omnipotentis Dei non subijci Legi æternæ, aut divino decreto.

34 **S**ED OBJICIS. Potest artifex sibi Legem indicare, & regulam rerum agendarum: ergo potuit Deus ab æterno ex infinitis ideis possibilibus eligere hanc mundi ideam, ergo & sibi imponere Legem, quam sequeretur cum machinam mundialem conderet.

Admitto artifices sibi Leges indicare, imò & admittere impositas ab usu & arte: nego tamen Deum esse artificem, qui in mundi cōditione Legibus & regulis dirigi possit: cum enim simplici intelligentiâ infinitas rerum creandarum orthographias cognosceret, sciretque quamcumque esse possibilem pro quovis tempore, elegit hanc pro isto; & idem fuit pro isto tempore ipsam eligere, quàm in isto tempore condere: quia cum decretum absolutum

Dei infinite efficax sit, sine effectu intelligi non potest, alias enim non intelligeretur summè efficax. Ergo in Deo non dantur actus imperantes & actus imperati, sed solum simplex actus creaturis imperans.

35 **D**ICES saltem ratione posse distinguere actus imperatos ab actu imperante, & hunc vocare Legem æternam dirigentem reliquas Dei operationes.

Respondeo illum purissimum divinæ voluntatis actum non coalescere formalitatibus ex naturâ rei, aut ratione præcisivâ distinctis, sed esse entitativè unum actum re & ratione simplicem, distinguere tamen posse realiter extrinsecè, hoc est, ex connotatione plurium terminorum, ut cum dicimus actus liber Dei prout connotat Angelos non connotat res materiales, quod etiam physicè loquendo verum est. Hæc autem physica distinctio ideò extrinseca dicitur, quia non est in ipso libero decreto, sed solum in ejus connotatione. Hæc connotatorum distinctio non sufficit ut Deus dicatur in mundi creatione regulis gubernari, quomodo enim intelligi poterit ante creaturas actuum divinorum subordinatio, quandoquidem prius debeant intelligi creaturæ distinctæ, quàm ipsi extrinsecè aut terminativè distinguantur?

36 **I**NSTAS. Actus morales Dei tales dicuntur, quia correspondent divino dictamini: ergo hoc est Lex actuum omnium moralium, qui sunt in Deo.

Respondeo Legem hanc physicam esse, & non attingere actus morales Divinos, Humanos, aut Angelicos: actuum enim moralitas sumitur a Lege morali de quâ inferius.

37 **A**DDIS. Saltem in Deo datur innatus appetitus æterna Lex: ergo de illâ intelligendus est Plato & Chrysippus.

Admitto antecedens; sed illationem non admitto; quia cum Chrysippus Legem illam Reginam nominet, videtur agere, non quidem de Lege innatâ, sed de Lege domini seu jurisdictionis, quam inter operationes divinas nō admittimus.

Expositio tertia.

Opinione plurium Plato spiritualia vocavit δὲα divina, & corporea

θεϊνικα caelestia seu mundialia. Si hoc sensu etiam Chrysippum exponamus statuet conclusionem certissimam. Chrysippus sic. Ο νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεὺς θεῶν καὶ ἀνθρώπων πραγμάτων. Δεῖ δὲ &c. juxta horum authorum sententiam periodus æquipollet huic. *Hæc Lex (nempe Æterna) est regina omnium rerum tam spiritualium quam materialium. Oportebat autem &c.* Consonat D. Gregorius Nazianzenus Orat. 2. de Pasch. *Oportebat, inquit, post spiritualem, corpoream condere creaturam.* Nota utrobique verbum *Oportebat*, & dum admiraris consonantiam Ethnici & Christiani, audiamus Damasceni curiosum commentarium libr. 2. de fide cap. 12. resumit Nazianzeni verba & ait, *Hoc autem vocabulo OPORTEBAT, nihil aliud à me indicatur, quam opificis voluntas: hæc enim nec lex nec sanctio aliqua congruentior imaginari aut fingi potest.*

Quarta Expositio.

39 **A**ltius rem speculati nonnulli putant divina dici à Platonis, quæ à nobis supernaturalia, illa inquam; quæ Deum ipsum respiciunt, tales sunt virtutes Theologicæ & quæ ab ipsis imperantur; caelestia autem sive mundana dici, quæ naturalia.

Hanc expositionem multi explodunt, quia supernaturalia essentialiter moralia sunt, non enim posset intelligi contritio sine culpâ, & contritio est actus charitatis: explodunt, inquam, quoniam Lex æterna ut sic, cum sit idea abstracta à Legge physicâ & morali, non debet mores in suo conceptu quiditativo involvere.

Ego autem non video, cur non possent actus supernaturales fieri & omitti sine culpâ aut merito, si Decalogus latus non esset. Imò & lato Decalogo, cur non dabantur multi supernaturales actus qui careant libertate? quid oberit ut hi physicæ Legi subijciantur?

Quinta Expositio.

40 **P**utant multi Platonem nomine divinorum intellexisse miracula, & nomine caelestium naturalia, quæ opinione

veterum influxu caelesti fovebantur. Vnde idem esset dividere Legem physicam in Divinam & Caelestem, ac in Absolutam & Ordinariâ; Legi ordinariæ subduntur creaturæ corporeæ, & earum actiones non-liberæ, cum committuntur naturæ ordini, aut calorum influxui, subduntur Absolutæ potentiæ, quæ præternaturaliter divinitus mutantur, alterantur, creantur. Potentiam absolutam & ordinariam nomine Legis æternæ physicæ comprehendi docuit Augustinus 26. contra Faustum cap. 3. dicens, *Appellamus NATURAM, cognitum nobis cursum solitamque naturæ, contra quem cum Deus aliquid facit, magnalia & mirabilia nominantur. Contra illam verò summam naturæ Legem à notitia remotam, tam Deus nullo modo facit, quam contra se ipsum non facit.* Ergò naturalia & miracula secundum eandem Legem æternam physicam fiunt: ergò benè hæc, prout ordinaria est & naturalia elicit, distinguitur à se ipsâ prout est extra-ordinaria & miracula facit.

Ultima Expositio.

41 **S**i rem ad Platonis ideam examine-mus, dicendum hac divisione doctrinam includi nobilissimam, & dignam Christiano Philosopho. Lex æterna physica regit entia necessaria & libera. illorum actiones prædeterminat per modum naturæ, horum per modum libertatis. Posita prædeterminatione physicâ, quâ ignis ad ignificandum materiam præparatam impellitur, non potest non ignifacere, quoniam infallibilitatur præmotione & suâmet natura necessitatur; humana autem libertas, quia quiditativè est indifferens, prædeterminatione non necessitatur, sed infallibilitatur, juxta ea quæ dicemus inferiùs. Huc respiciebat Plato, quando Legem æternam in Divinam & Caelestem divisit. Cæli corporei sunt & in corporea necessariò influunt sine indifferentiâ libertatis, idèò *Legem caelestem* voluit dici æternam, quæ calos, sublunaria omnia corpora, omnium substantiarum & necessariarum actionum existentias producit; *Divinam* verò, eandem æternam, quæ actiones liberas prædeterminat sine læsione libertatis; quoniam,

niam, facere ut liberè operetur animus, determinare ut evadat indifferens, movere ut possit quiescere, infallibilitatur ne maneat necessarius, arduum est, superius calorum viribus, & adscribendum soli Deo. Idem igitur est Legem physicam in Divinam & Caelestem subdividi, quam in Infallibilitantem & Necessitantem, hæc, quæ necessitatem imponit creaturis; illa, quæ voluntatem dirigit per modum libertatis.

Vera Legis Divisio.

42 **P**latonicam Legis divisionem variè esse explicabilem & disputabilem conspeximus. Bipenni igitur intellectuali, cujus acies retundi non possit, ejus membra potestativa præcidamus. *Lex ut sic*, in Increatam & Creatam dividitur, eadè divisione, quæ ens in creatum & increatum, non quidem divisione generis in species, nec subjecti in accidentia physica, sed subjecti in attributa systematica. Quoniam totum Legum cathegorema si attributo infinitatis pervadatur, increatum redditur; creatum, si cingatur limitibus. Totum erit physicum, si res sumantur secundum se, erit morale, si sumantur moraliter seu virtualiter.

43 **I**NCREATA LEX, etiam dicitur *In finita, Ingenua, Improducta, Illimitata, Divina, Æterna, Lex Princeps, Lex à se, Lex propria, aut non-participata*: CREATA autem appellari solet *Finita, Producta, Limitata, Temporanea, Subdita, Lex ab aliâ, aut Lex participata*. Cum *Genita* aut *Humana* dicitur, non accipitur secundum suum conceptum generalissimum, dantur enim Leges creatæ quæ humanæ non sunt, talis est Lex illa innata quæ causat necessarium vitæ appetitum in omni bestiâ, & appetitum existentia in omni ente, juxta illud vulgare pronuntiatum; *Omne ens naturaliter appetit suum esse*. Quæ ut altius percalles, juvat singula nomina breviter percurrere, & rigorem significationis explicare.

Lex Divina Increata.

44 **L**EX quæ concipitur in Deo, Increata est; quia realiter loquendo est Deus, & idèò aptè *Divina* dicitur.

Lex Infinita Illimitata.

45 **A**N Infinita debeat dici examinatur, & videtur quod non, quia non imponitur innumeris rebus; & ostendis, illi enim Legi finita tantum subjacent, non infinita: finita quippe in perfectione sunt omnia, quæ divinæ Legi subijciuntur; quoniam creata sunt, & Deus non creavit, neque creare potest perfectionem aliquam infinitam. Non subest divinæ Legi infinita quantitas, nec infinita aliqua qualitas, nec infinitus rerum numerus; quia hujusmodi producta non sunt, & probabilius asseruntur non posse divinitus produci. Nec juvat recurrere ad creaturas posibles, quia hæc infinitæ & innumerabiles simpliciter non sunt, sed sunt finitæ simpliciter, & innumeræ secundum quid, nempe syncategorematicæ, quia tametsi excludant omnem determinabilem numerum, non sunt categorematicæ infinitæ; quod non suaderi solum, sed & videtur demonstrari. Nam creaturæ posibles sunt quæ possunt à Deo produci; sed non potest Deus producere infinitas categorematicæ, potest tamen syncategorematicæ, hoc est, plures omni designabili numero, ergò creaturæ posibles sunt plures omni numero assignabili, non tamen infinitæ simpliciter & absolute. Nec proderit ad actus Dei immanentes recurrere, tum quia hi Legi huic non subsunt, & si subessent pauci sunt, & pauci non sunt innumerabiles.

46 **N**ihilominus dicendum est primò divinam Legem esse intrinsecus & entitativè infinitam, hoc est illimitatæ perfectionis. Ostenditur; quia est ipse Deus realiter, & formaliter Dei actus videlicet aut innatus aut elicitus juxta varias Legis divinæ divisiones. Actus verò intrinseci Dei tales non sunt abstractâ infinitate.

47 **O**BIECTIS D. Thomam 1. 2. quæst. 90. art. 1. Legem ut sic mensuram vocavisse: ergò Lex sive divina sive non-divina ipsa sit, mensura est; atqui non potest intelligi mensura infinita: ergò. Respondeo mensuram ibi non pertinere ad prædicamentum quantitatis, quia significat idem quod regula, idèòque consultò utrumque nomen junxisse D. Thomam, ut ostenderet

deret divinam Legem esse increatam & infinitam omnium aut agendorum actuum regulam.

Dicendum est secundò Legem divinam extrinsecè aliquando esse finitam, aliquando infinitam; non secus ac divina scientia: quia sicut cognoscendo se ipsum cognoscit infinitum, finitum verò cognoscendo creaturas, sic etiam respiciendo suos actus Deus, respicit infinitum; verbi gratià, cum intellectus infinitus Lege innatà eliminat à Deo omnem ignorantiam & intellectiōnis privationem; finitum verò respicit, respiciendo creaturas. Æterna enim Lex cum Petrum dirigit, infinità omninò autoritate, substantiam finitam dirigit infinitè.

48 Hinc satisfiit omnibus rationibus pro contraria parte. Sunt creaturæ possibiles syncategorematicè infinitæ: cito non possit Deus producere substantiam aut perfectione illimitatà præditam, aut immensè extensam, aut affectam qualitate infinità; inde non sequitur divinam Legem, quæ creaturam gubernat, esse finitam intrinsecus & entitativè, sed sequitur esse finitam extrinsecus; hoc est, connotare infinitè terminum creatum & finitum, quod non negavimus.

Ingenita & Improducta Lex.

49 **Q**ui dixit, *verbo Domini celi firmati sunt*, videtur asseruisse, verbum esse divinam illam Legem de qua dicitur Proverb. 8. *Et Legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* Eadem enim Lege firmavit fornices cælestes ne corruerent, & aquas ne terram inundarent. Atqui verbum Domini est genitum; ergò Lex æterna est genita. malè igitur Ingenita solet vocari.

50 Respondeo, omnes actiones ad extra pertinere ad totam Trinitatem; calum firmavit Trinus Deus, non autem quæ Trinus, sed qua unus: bene enim concipitur celi genesis Trinitate inconcepta. Cum dicuntur celi verbo Domini conditi, moti, firmati: *Verbum* significat omnipotentiae facilitatem, quia sine labore & anxietate cælos ædificavit Deus, non cælando, incidendo, sculpendo, sed solum unum verbum imperij proferendo,

& dicendo, *Fiat lux, Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.*

Deus autem non solum quæ unus, sed etiam quæ trinus ingenitus est; quia si quæ trinus esset genitus, quærendus nobis veniret genitor Trinitatis.

Eodem modo probatur æternam Legem Improductam esse, quia si esset producta realiter à producente trino Deo distingueretur, & per consequens ipsa non esset Deus.

Lex Æterna.

51 **C**arpunt nomen nonnulli asserentes rationem Legis esse denominationem extrinsecam temporaneam, quæ Deo adtribuitur. Et probant sic. Non potest intelligi Lex sine subditis, quibus imponatur, & re quæ præcipiatur; atqui nec ab æterno fuerunt subditi, nec materia quæ Lege præciperetur: ergò nec ab æterno fuit Lex.

Respondeo, dari Legem ab æterno latam, non solum Catholicos, sed & Gentiles cognovisse. Plato enim Legem quam in *Timæo Phædro, & Dialogo 10. de Legib.* Divinam dixerat, esse Æternam asseruit: ei subscripsit Eximius Professor Stoicæ disciplinæ Cicero lib. 1. & 2. de Legib. *Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, Legem neque hominum ingenijs excogitatum, neque scitum aliquid esse populorum, sed æternum quiddam quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientiâ. Ita Principem Legem illam & ultimam mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei.*

Hanc æternam sanctionem admittunt Theologi universi cum D. Thomâ 1. 2. *quest. 91. art. 1. & quest. 93. per totam.*

Vt argumento in formam satisfaciunt aliqui, supponunt Leges obligare etiam nondum natos; quia subditos regunt, non cum illæ sancuntur, sed cum illi operantur. Subijcitur, inquit, hodie gratiæ Legi, lata ante nostram genethliam multis annis, ipsa enim etiam futuros obligavit. Sic Deus ab æterno voluit dirigere homines creandos in tempore; & hæc voluntas, quæ versabatur circa rerum regimen, æterna Lex cognominatur. Sub his terminis respondent quotquot concipiunt æternitatem tamquam tempus infinitum carens principio & fine.

conciunt æternitatem tamquam tempus infinitum carens principio & fine.

Verum, cum hæc æternitatis idea, licet multorum, adulterina sit, aliter respondendum est. Dico æternitatem esse unum *nunc* reale æquivalens tempori infinito: *addo* respectu Dei nulla esse præterita, nulla futura sed omnia esse præsentia. Subjungo illo *nunc* æternitatis quo ferebatur Lex æterna, fuisse etiam omnes creaturas, simul quidem & coexistentes eidem *nunc* indivisibili æternitatis, licet uni & eidem tempori non coexistentes. Hæc subtilia sunt, sed vera; exponuntur in meis Metaphysicis cum disputo de Duratione. Hæc doctrinam suppositam argumento in forma satisfacio. Condo majori; & minorem distinguo, non fuisse æternum subditos, in mensuram propria, concedo; in mensura æternitatis, nego. Unde & nego illatam consequentiam.

52 **D**ICES. De ratione Legis est promulgatio; sed illa sanctio ab æterno promulgari non potuit: ergò ab æterno non fuit Lex; incipit igitur Lex esse cum evulgari. Minorem probas. Quia ab æterno nec Angeli fuerunt nec homines apud quos potuerit evulgari.

Respondeo Legem æternam, quæ à morali distinguitur, non indigere aliquâ promulgatione, tunc enim non vetat, sed infallibiles reddit operationes. Vtrum detur Lex moralis æterna, videbimus inferius.

53 **A**DDES. Æterna sunt immutabilia & necessaria; atqui Lex omnis est mutabilis & dispensabilis: ergò non datur Lex æterna. Probas minorem. Quia Lex hæc, quæ æterna dicitur, sive physica sive moralis sit, mutabilis est, imò & sæpe mutata. An non physicam mutat Deus, quoties naturalem rerum ordinem invertit potentiâ absolutâ? An non & moralem indicens Abrahamo filicidium, & Davidem prædeterminans ad adulterium? *Confirmatur*: si hæc Lex æterna est, ergò actus Dei liber non est: ergò Deus creaturas non gubernat liberè sed necessariò.

Hoc argumentum tangit difficultatem summam quam Theologi expendunt in materia de voluntate Dei. Nemo Chri-

stianus negat Deo liberam voluntatem: hanc prout est actus secundus, vocamus Legem æternam. Æterna & immutabilis est eo modo quo actus divini arbitrij æternus dicitur & immutabilis. Ut igitur satisfaciam syllogisticè; majorem nego quoad posteriorem partem, & quoad priorem distinguo. Est falsum dicere omnia æterna esse necessaria, quia decreta Dei libera sunt, & nihilominus æterna sunt: hæc eadem physicè immutabilia sunt, virtualiter mutari possunt, quia licet immutabilia physicè sint, ita se habent ac si mutari possent. Distinguo etiam minorem admittens omnem Legem esse dispensabilem & mutabilem realiter aut virtualiter; nego autem omnem Legem physicè & realiter mutari posse. Ratio est; quia quando Deus in æternâ Lege dispensare dicitur, non dispensat physicè & realiter, sed virtualiter solum, sic se habens ac si realiter dispensaret. Ratio est, quia indicens Soli quietem postulante Iosue (cap. 10.) non mutavit nec alteravit æternam & physicam illam Legem, quæ Solis periodum metitur, quia illa prima Lex decrevit motum Soli interrumpendum illâ die quæ Iosue conflictum erat initurus cum quinque Monarchis inimicis: sic similiter etiam philosophor de æternâ-morali, quæ reverà numquam interdixit illam actionem, quæ facta contra Decalogum dicitur cum dispensatione. Et hoc demonstratur: quia in eodem *nunc* non possunt conjungi duo termini contradictorij; atqui Legem ferri & cassari sunt termini contradictorij: ergò conjungi non possunt. Sed tota æternitas est unum *nunc* carens omni successione: ergò est contradictionum incapax.

Lex Princeps.

54 **L**ex Divina Princeps à Cicerone dicitur, quoniam est omnium aliarum regula; quæcumque ipsi opponitur injusta est. *Cum accepero tempus*, inquit Dominus, *ego justitias iudicabo.* Tempus erit in quo convenientur coram supremo Iudice omnes Legislatores, omnes Legum Interpretes, omnes Iudices, imò ipsamet Iustitiæ, ipsamet Leges.

Leges. Cicero 1. & 2. de Legibus. *Hanc video, ait, sapientissimorum fuisse sententiam. PRINCIPEM Legem & ultimam mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei.* Divinam Legem vocat Principem & ultimam, quia omnium actionum nostrarum ἄρχη est, & ὁμολογία etiam deberet esse. Nulla actio humana sensibilis aut insensibilis quæ ab hac Lege principe non procedat, saltem tamquam à regulâ physicâ prædeterminante; nulla actio humana esse deberet quæ non respiceret moralia præcepta hujus divinæ Legis. Assonat Chrysippo Cicero. ο νόμος, ait Chrysippus de Legibus, παντων βασιλευς ἐστι. *Lex hæc REGINA est universarum Legum.*

Lex Creata.

E contrario Creata Lex extra Deum consistit, nempe in ipsis met rebus. Legi Creatæ & Increatæ competunt oppositæ denominationes, propter rationes contradictoriè oppositas, *Divina enim Lex Æterna dicitur, quoniam omni principio caret; & Creata Lex debet vocari Temporanea, quoniam incepit quæ non erat, & definit esse quæ fuit.* &c. [Considera subjectum paradigma, Legis Physicæ, tam Æternæ quàm Temporaneæ, divisionem complectens & dilucidans; & per analogiam necessariam Legis etiam Moralis divisionem inferiùs tradendam insinuans.]

<p>L E X ejus differentia sunt à se & participata. <i>Lex à se illa est quam alij pro- priam, Divinâ Plato, Cicero Legem Prin- cipem nomi- nat.</i> Alij alij verbis tradunt hanc Legis divisionem afferentes distribu- tum in <i>In- creatâ & Crea- tam, Improdu- ctam & produ- ctam, Æternam & Temporaneâ, &c.</i> Vtraque, nempe Ætea- na & Tempo- ralis duplex est.</p>	<p><i>physica</i> sive Lex primaria quæ non in consi- deratione hominû sed in ipsâ re- rum ve- ritate cõ- sistit.</p>	<p><i>Innata aut Necessaria</i> quæ consistit in rerum natu- rali exigentia & appetitu innato, & ante omnem actum elicitem reperitur in rebus, nec priùs de- sinet quam ipsæ res.</p>	<p>Dantur actus dis- sonantes huic Le- gi qui <i>violenti</i> di- cuntur, quorum malitia <i>inimica</i> violentia seu <i>inco- modum</i> aut <i>inim- secum</i> damnum vo- catur. Militant contra hanc Legem, fur- ta, rapnæ, latro- cinia & id genus alij actus, qui dâ- num & extrinse- ca incommoda inferunt.</p>			
				<p><i>Elicita</i>, seu do- minij lex, consistit in pro- ductione & conser- vatione rerum physicâ, non qua- licumque sed libera procedē- te à causa physicè emanci- patâ.</p>	<p><i>Actualis</i> competit agenti- bus liberis quando actua- liter producant suos effe- ctus.</p>	<p>Proprietatis</p>
<p><i>Moralis</i>, & hæc dividitur per easdem differentias per quas physica. Consule me inferiùs <i>num.</i> & reperies mo- ralis Legis categorema analogum.</p>						

Ex Lege

56 Ex Lege dominium: nempe, ex phy- sicâ physicum, & morale ex morali. Cum autem Lex in Innatam, Elicitam productivam, & Elicitam gubernativam sit divisa; Dominium etiam, quod à Le- ge suboritur in Negativum seu Innatû, Positivum proprietatis, & Positivum ju- risdictionis dividemus; adeoque hic pri-

mus Ethico-theologus Liber in quinque distinguetur Capita, quorum *Primum* agat de Dominio in communi; *Secundum* disputet de Possessione, eamque à Domi- nio distinguat; *Tertium* de rerum innato Dominio; *Quartum* de Dominio proprie- tatis; *Quintum* de Jurisdictionis.

C A P V T I.

Dominium definitum, divisum; membrorum ingenja breviter explicata.

57 **M**ULTAS apud Jurisperitos Do- minij definitiones reperias, paucas quæ dilucidant naturam definiti: videntur supponere, quod quæ- ritur, aut fortè ignotum velle per igno- tiora declarare. Cum dicunt Domi- nium esse *Ius quoddam in re velut suam*, videntur nihil novi dicere, sed definitum repetere per synonyma verba. Sta- tim enim inquirerem, quid sit rem esse suam? quid non esse? quam ob rem stu- dens claritati & veritati Dominium dico *Ius conservandi & destruendi*. Censeo hanc definitionem Dominij universa- lissimo conceptui competere, & de sin- gulis speciebus Dominij non secus ac *Vivens sensibile* (animalis definitio est) de Homine & Brutis singulis, verificari.

struere etiam poterit, & te interimere; si illum impediatur: nempe, si furando feceris, quod non possit illas conservare aut destruere. tunc enim habet jus de- fendendi potestatem quam habet, & te etiâ occidendi, si violentiam à te illatam aliter impedire non possit.

Dominium igitur est triplex, Innatum, Proprietarium, Supremum.
58 Innatum Dominium est *Ius privatum conservandi rem, quæ dicitur subesse tali dominio, & destruendi, non quidem ipsam rem, sed quemcumque invasorem*. Tale homini dominium in vitam concedimus; Petrus enim vitâ suâ, non alienâ, vivit; jus habet illam conservandi, non tamen illam destruendi; habet tamen jus ne alius homo illam destruat, ac propterea jus destruendi invasorem quemcumque, & potest quemcumque hostem occi- dere, si aliter vitam conservare non possit.

60 Dominium jurisdictionis est *Ius publi- cum conservandi communitatem, quæ dicitur subesse tali dominio, simulq, destruendi quemcumque invasorem, & hoc in commo- dum Reipublicæ*. Tale Regi concedimus in singula membra Reipublicæ, tale in omnia subditorum bona, tale in omnium actiones: publico prospicere bono, legi- busque directivis, coactivis, & penis etiam capitalibus omnia damna sibi commisso populo imminetia tenetur avertere.

59 Dominium proprietatis est *Ius conser- vandi & destruendi rem, quæ dicitur sub- esse tali Dominio, simulque destruendi quem- cumque invasorem, & hoc in proprium com- modum*. Tale concedimus homini in di- vitias: conservare illas, & si malit, de-

61 Hinc clara Dominiorum distinctio & comparatio. Differt jurisdictionis Domi- nium ab innato, ut à privato publicum: & utrumque à proprietatis Dominio, quod neutrum rem subditam destruere potest, illud possit. Nec Rex Rempublicam, nec Homo propriam vitam destrue- re, at Petrus destruere fortunas potest.

62 Cum Dominium in Generale & Parti- culare, sive quod idem est, in Increa- tum & Creatum, in Infinitum & Finitum dividitur, differentia non sunt specificæ & propriissimæ, sed systematicæ & transcendentales; quia sicut Increatum & Creatum non sunt entis abstractissimi species, sed systemata; sic etiam Increa- tum & Creatum Dominium non sunt abstractissimi Dominij species, sed syste- maticè transcendentales; quamobrem oportet de Dominio increato analogicè

B

philoso-

philosophari.

Proprietatis Dominium in Perfectum & in Imperfectum subdividitur, & hoc in Directum & Vtile. Perfectum dominium habere dicitur in hortum, qui non solum est dominus substantiæ, sed fructuum. Imperfectum-directum, qui verè substantiæ dominus est, non verò fructuum. Et Imperfectum-utile, qui substantiæ dominus non est, sed fructuum. Hanc divisionem latè & doctè dilucidat Molina Tract. 2. dub. 3. à num. 15. & probatur *Instit. de usufruct. sub initium & leg. 3. ff. de usu-fructu leg. Possessores Cod. de fundis Patrimonialib. & leg. 4. ff. de usufruct.*

64 NOTO I. Innati Dominij naturam non fuisse exploratam & cognitam ab Ethnicis, qui ita se esse vitæ propriæ dominos censuerunt, ut & sibi mortem consciscerent, cum vitæ tæderet. Se interemissent licitè, si fuissent Domini vitæ proprietarij; sed quia tales non erant, semper tales actiones olim à sapientioribus, & nunc ab omni Christiano, imò etiam Iudæo & Mahometano condemnantur: nam proprietatis Dominium ab innato vel invitis Ethnicis necessariò distinguendum est.

65 NOTO II. circa proprietatem, Imperfectum esse verum Dominium, sive illud Directum, sive Vtile sit. Est contra Sotum lib. 4. de Inst. quest. 1. art. 1. Valentiam 2. 2. quest. 57. quest. 10. punct. 1. Conradum tract. 1. quest. 12. qui existimant Vtile non nisi improprie Dominium appellari. Nostræ sententiæ ratio fundamentalis ex Dominij proprietarij definitione sumitur, illa enim Vtili convenit; Vsufructuarius enim est fructuum verus & proprietarius Dominus, illos conservare, & destruere ob propriam utilitatem potest; non minus quàm directus dominus ipsam substantiam rei possessæ. Subscribo Bartolo, Vtile esse verum Dominium, tametsi inadæquatum, asserenti & probanti ex leg. *Possessores Cod. de fundis patrimonialib. quod potest etiam confirmari leg. 4. ff. de usu-fructu. ubi legitur, Vsufructus in multis casibus pars dominij est.* Ergò usus-fructus Dominium inadæquatum & partiale est.

66 NOTO III. Pleni seu Perfecti Dominij definitionem, quâ post Bartolum in leg. 17. ff. de acquirendis possess. Iurisperiti utuntur bonam esse, juridicè & civiliter; malam, si ad limam metaphysicam placeat reducere, & ad omne Dominium proprietatis extendere. Ita Dicastillus de *Instit. lib. 2. tract. 1. disp. 1. dub. 4.* hæc enim verba, *Dominium proprietatis est seu potestas perfectè disponendi de re corporali nisi lege prohibeatur*, vera sunt si de legali proprietatis Dominio, de quo solo Iurisperiti; falsa si de naturali accipiantur. Ratio est; quia etiam datur actuum spiritualium verum & proprietarium Dominium, quod in definitione non clauditur: unde si hanc Iurisperitorum definitionem volueris omni Dominio proprietario adpropriare, dele illud *Corporali*.

Teneo quidem Dicastilli sententiam, sed ex fundamento diverso: nam existimo honoris proprietarium Dominium non competere hominibus, non enim illum ad bona externa, sed ad vitam moralem reduco, & existimo tam se posse hominem interimere directè, quàm directè infamare; & sentio in solis illis casibus licere vitam moralem (honorem) expendere, in quibus analogicè liceret vitam naturalem.

Legis illa verba, *nisi lege prohibeatur*, 67 & arguis sic. Dominium est jus conservandi & destruendi rem possessam: ergò quando lege prohibetur conservatio aut destructio, lege etiam ipsum Dominium prohibetur. Ergò superflua sunt illæ voces *nisi lege prohibeatur*. non enim datur Dominium lege prohibitum, sicut nec homo sine animâ, nec candidum sine candore.

Respondeo errare Authores qui hanc definitionem etiam Dominio pleno & perfecto adtribuunt, nam est definitio Dominij proprietatis ut sic, quod erit plenum & integrum, si lege non limitetur; & si limitetur, erit limitatum inadæquatum & partiale. Concedere pupillis Dominium integrum & plenum, lude re verbis est, lege enim prohibentur, non quidem conservare bona, sed destruere; ergò quoad bonorum conservationem sunt absolutè proprietarij, quoad destru-

destructionem & dispositionem non item; Respublica enim providens bono publico ne tale pupillis Dominium conveniat, interdicit. Hinc lux Paulo ad Galat. 4. 1. ex dictis illustrato, & dicenda illustranti. *Dico autem*, inquit, *quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt*

à servo, cum sit dominus omnium; sed sub tutoribus & actoribus est, usque ad præfixum tempus à patre. Filius igitur & dominus & similis servo est: dominus quidem propter jus possidendi; similis servo propter carentiam autoritatis destructive.

CAPUT II.

Possessio definita, explicata, distincta.

68 DOMINIUM definitivum jus conservandi & destruendi, cumque conservatio prior destructione sit, de ipsâ antequam de destructione tractabimus.

Conservatio igitur eadem quæ possessio, & à Iuristis definitur *Corporalis rei detentio corporis & animi Iuris adminiculo concurrente*. Censeo illud *Corporalis*, expungendum, & substituendum *Realis*, ut omni possessioni conveniat; cum enim multa ipiritualia possideantur, eorundem detentio non est corporalis vocanda. Vitima verba præcoci calamo videntur esse adjuncta; non enim injustæ possessioni conveniunt, quæ quidem vera & realis possessio est. Possessionem igitur secundum suum abstractissimum conceptum definitio *Realem rei detentionem sive conservationem*, & in Iustam & Injustam divido. Iustam definitio *Realem rei detentionem jure concurrente negativè*, hoc est non contradicente: Injustam, *Realem rei detentionem seu conservationem jure contradicente*. Cum autem jus possit contradicere evidenter, probabiliter & dubiè, subdividitur Injusta possessio in evidenter, probabiliter, & dubiè Injustam, de quibus suis locis singulatim.

69 Possessio reperitur primò in dominio innato, actu enim nostram vitam & integrantes nostri corporis partes habemus. Secundo in dominio proprietatis, si quispiam vel rem simul & usum possideat, vel rei proprietatem & non usum, vel usum non tamen proprietatem: nam tametsi nonnulli Fructuarius voluerint non habere possessionem rei alienæ quoad usum fructuum, jam ferè omnes cum Lessio libr. 2. cap. 3. dub. 9. & Covarrub. in regulam *Possessor. part. 2. num. 4.* exi-

stimant eum habere verum dominium in fructus, aut in rem quoad utrumfructum, non tamen directum in substantiam rei. Tertio reperitur possessio in dominio jurisdictionis, quando aliquis jure aut injuriâ in gubernandi exercitio toleratur.

Possessio habetur etiam per alium; mirum si Petrus nomine Pauli aliquam rem possideat, tunc illam dicitur Paulus possidere, non quidem per se, sed per alium. Sanè solet homo per alium possidere, cum per Procuratorem, Servum, Filium. leg. *Generaliter ff. de acquirenda possessione*.

Sunt etiam personæ, quæ nequeunt sibi, hoc est, nomine proprio possidere: tales, filius, servus, in multis casibus, in quibus dicendi sunt, non esse veros possessores, sed possessorum instrumenta, ut colligitur ex *Instit. Per quas personas nobis acquiritur. §. Item vobis & §. Item placet. Et lege Rem. & leg. Quod servus ff. de acquirenda possess.*

Si filij aut servi sit injusta possessio, 70 queritur, An ipsi proprio, an parentum & dominorum nomine possideant? & An sibi, an verò suis superioribus acquirant dominium? Respondeo servum (idem analogicè dicito de filio respectu parentum) non possidere rem nomine domini, si dominus invitus sit, nemo enim possidet sine furti reatu bona domini inviti. Addo rei injustè possessæ à servo, Dominium ad dominum servi pertinere non posse, nec spectare ad servum, sed manere penes priorem possessorem, qui tametsi iniquitatis vi impediatur à possessione facti, à possessione juris tali vi impediri non potest.

Hinc patet possessionem iterum esse duplicem, juris & facti; ille jure possidet

qui habet jus possidendi; ille autem de facto, qui rem habet tametsi careat jure. ille autem de facto & jure possidet, qui revera rem habet & non caret titulo possidendi.

71 Inquiris, An quando Petrus nomine Pauli rem possidet, requiratur ut ipse Petrus habeat animum illam habendi & conservandi Paulo & non sibi. Respondet cum aliquibus junioribus affirmativè Dicastillus *de Inst. & Jur. lib. 2. tract. 2. disp. 1. dub. 7. num. 72.* & probat ex leg. 1. §. Hac. & §. Per procuratorem Sed videtur supponere Ecclesiam de occultis judicare, quod mihi valde probabile non est. Dico igitur illum possidere alterius nomine, qui titulo vicarij, quique extrinsecè non disponit de illâ re tamquam suâ, quidquid sit de animo merè interno.

72 Inquiris secundo, An possessio acquiri possit ignorantibus. Videretur quòd sic ex leg. 1. Cod. de acquirend. possess. & leg. 3. §. saltus. ff. de eodem titul. sed non statim resolvenda res est, aliqua enim debent

adhuc præmitti. Dico enim nihil acquiri posse invito; unde si Petrus, cui possessio acquiritur, ita ignorans rei sit, ut & invito censeatur, ipsi nihil acquiritur; si verò acceptare illam possessionem præsumatur, ipsa illi acquiritur.

NOTA.

Ex dictis clariùs elucescet Dominij 73 Innati, Proprietatis, & Supremi distinctio. Jure enim Innato possidemus vitam, & omnia bona interna ad existentiam requisita: Proprietario res irrationales productas: filios Supremo. Primum jus fundatur in existentia, videlicet quando unius formalitatis existentia appetitu innato exigit aliam; secundum verò & tertium in productione: nimirum, proprietatis dominium in productione, qua materia extrinseca novam aliquam formam productam ab agente recipit: jurisdictionis verò in productione, quâ non producitur forma sed tantum unitur materiæ.

CAPUT III.

Innatum Dominium naturale ab innatâ Lege naturali proveniens.

74 INNATA Lex eadem ac innatus appetitus; hic qui ante omnem considerationem aut cognitionem est talis ingenij ut aliam entitatem postulet, quâ carere non possit, ni violentiam patiat. Lege innatâ Materia prima formam postulat, aut quia sine formâ existere nec divinitus potest, aut saltem quia non potest humanitùs. Lege innatâ proscribitur à formâ privatio, quas nec divinitus coexistere posse communissima docet sententia. *Omne ens naturaliter esse desiderat*, dicunt Philosophi, quod quidem axioma verum est, si de innato desiderio exponatur: non enim esset verum dicere ignem, qui insensibilis est, desiderio elicitò appetere conservationem.

Hinc igitur contra Legem innatam 75 operari diceretur ille, qui vel chrysalum frangeret, vel ignem extingueret, vel animantem interimeret; quoniam omnia appetunt suam conservationem,

nec corrumpi sine violentiâ possunt. Etiam violentiam agenti inferret & Legem innatam temeraret, qui naturales operationes impediret: puta vel faciendò ne homo discurreret, ne ignis incenderet, ne gravia caderent, ne levia ascenderent, & his similia.

Occurrit difficultas, An solùm in creaturis, an etiam in Deo hæc intrinseca & innata Lex reperiatur? An Deus suorum actuum immanentium, suæ vitæ & suarum perfectionum sit Dominus. 76

Respondeo formalitates omnes Divinas esse infinitas, & si relativæ ipsæ sint, habere infinitam distinctionem; identitatem infinitam, si absolutæ. Idcirco Natura illa Divina, essentiæ, proprietatibus, & attributis infinitè connectitur, nec separari ab ipsis posset sine violentiâ infinitâ. Innato igitur & infinito appetitu Deus vult esse, hunc appetitum æternam innatam Legem dicimus; si quis enim

enim per impossibile, vel Deum occideret, vel privaret aliquo attributo aut proprietate, reus esset violatæ innatæ æternæ Legis, & hoc effectivè: si quis Deo mala desideraret, affectivè violaret hanc Legem. Deum interimere, aut aliquâ perfectione intrinsecâ exspoliare, impossibile est: odisse, miserum; verum possibile. Et quia in odio Dei reperitur Divinæ mortis sublatens desiderium, odium Dei opponitur necessariò Legi divinæ-innatæ; quapropter licet Decalogus latus non esset, Dei odium esset naturaliter malum.

77 Multi sunt, qui causantur *Dominij & Legis* nomine, & licet ea quæ diximus, vera esse fateantur, non tamen appetitum illū innatum infinitum, quem in Deo cōcedunt, vocari volunt *Legem*. Caterum evanescet scrupulus, si audiamus Divum Thomam 1. p. q. 21. art. 1. ad 2. *Impossibile est*, ait, *Deum velle nisi quod ratio suæ sapientiæ habet, quæ quidem est sicut Lex justitiæ, secundum quam ejus voluntas recta & iusta est.* Quæ verba primò expono sic. Impossibile est Deum velle nisi quod suâ sapientiâ præcognoverat, quia sapientia est volutati Lex, determinans quæ amari possint; nihil enim volitum, quin præcognitum. *Secundò*, Ratio seu formalitas sapientiæ Deo natura est, hæc habet proprietates relativas; & attributa absoluta; nec Deus potest velle habere nisi relationes intrinsecas quas habet, nec affici attributis intrinsecis quæ non habet, aut exui illis quæ habet; quoniam natura sua Divina (hæc est sapientiæ ratio) est ipsi, non quidem libera, sed innata & necessaria Lex, contra quam non potest operari effectivè, imò nec affectivè. Cum Deus suarum perfectionum dominus dicitur, agitur de dominio innato, quod ad possessionem extenditur, & jus destructionis non habet. Infinitas perfectiones Deus possidet, nulli subditus, nulli subditas; sed quia dominium innatum est, illæ sine dependentiâ possidentur, & hic possidet sine superioritate.

78 *Supereft examinare*, An hæc innata Lex, quæ in singulis entibus reperitur, ab ipsomet ente distinguatur? Vtrum ille appetitus quo essentia divina appetit esse, possit abstrahi ab ipsamet essentiâ?

An appetitus ille innatus quo materia appetit formam, & totum suas partes, ab ipsis subjectis distinguatur?

In Metaphysicis ostendo omnes formalitates dicere sua prædicata essentialia, præter quæ nihil est à quo abstrahi re aut ratione non possint. Leo est animal rugibile, appetit suum esse, hic autem appetitus non est de conceptu quiditativo ipsius, quoniam ab illo abstractus potest adhuc Leo quiditativè definiri.

Appetitus innatus Divinus, necessarius est, nec deficere potest. Entia creata appetitu innato se desiderant; mutuo contactu & connexionione gaudent: hic autem appetitus divinitus concessus est, sed humanitùs tolli non potest. Omne ens creatum innato appetitu desiderat suam perfectionem, quia ipsi Deus indidit hoc reale desiderium, quo sublato, non jam appeteret suum esse. Materia prima habet potentiam recipiendi formam, distinctam tamen; appetitu innato illam ambit, sed distincto. Non reperio rationem evidentem, quæ perluadeat non posse Deum creare substantiam, cujus materia nec appeteret nec respuerit formam; nec ostendet quispiam claram repugnantiam: sed de hoc uberiùs, cum metaphysicè hanc controversiam tracto.

Hinc constat Deo esse potentiam habendi adtributa, & appetitu innato illa amare: intelligique posse abstractum à potentiâ & appetitu hujusmodi; quia nec appetitus nec potentia sine adtributis quæ connotant, possunt intelligi, & Deus bene concipitur nondum conceptis adtributis.

De objecto Legis æternæ innatæ.

79 Reperio appetitum innatum in ipso Deo, qui necessariò infert alias formalitates. Vt alia omittam, potentiæ Divinæ intellectivæ infinitas eam prædeterminat per modum naturæ ad operandum; quia ex eo quòd Deus intellectivus sit, non sequitur necessariò eum esse intelligentem; sequitur tamen ex eo quòd infinitè sit intellectivus: quia potentia, infinita in genere potentiæ non est, quæ impedimentum habet, ergò potentia intellectiva infinita ab ipsâ infinitate constituitur talis ut non intelligere non

non possit. *Confirmatur*, quia Deus necessarid cognoscit, omnia cognoscibilia: ergo eius intellectus necessarid debet reduci ad actum. Atqui hæc necessitas non convenit intellectui divino in quantum intellectus est; ergo competit ipsi in quantum infinitus est. Sit igitur

CONCLUSIO I.

In intellectus infinitus Lege innata petit aternam perpetuamque intellectionem, quæ deficere nequit.

OBJICIS. Etiam Deus cognoscit multa liberè; quia in hoc scientia visionis ab intelligentiâ simplici distinguitur, quod hæc necessaria, & illa libera sit: ergo falsum est dicere Deum necessarid cognoscere omnia cognoscibilia.

Respondeo, scientiam visionis dici liberam objective & extrinsecè, non verò intrinsecè & in se; ratio est, quia est de objecto libero. Verè hujus scientiæ objectum non potuit absolute non esse, nec potuit aliud esse, sed potuit aliter esse: sed ex hypothesi quod taliter aut taliter sit, debet a Deo intuitive cognosci.

Hæc subtilia sunt, sed valde necessaria: & ut intelligas, me duce scientiam divinam contempleris. Primò Deus intelligentiâ suâ simplici cognoscens omnia possibilia, inter alia etiam cognoscit existentias & futuritiones possibiles. Pro illo instanti nihil intelligitur futurum, nulla tamen creatura possibilis cognoscitur, quæ futura esse nequat, ac propterea pro illo instanti non intelliguntur futuræ creaturæ, sed futuribiles. Decretum Dei liberum sequitur illam simplicem possibilium notitiam, & decernit talibus rebus possibilibus futuritionem, & talibus non-futuritionem, & efficit creaturas futuras & non-futuras. Decreti objectum est latissimum & includit omnes creaturas possibles quæ à Deo simpliciter cognoscebantur. Non dicitur hoc decretum liberum, quod potuerit non esse, quia voluntas illa libera debebat illi objecto (nempe creaturis possibilibus) aut decernere futuritionem, aut non-futuritionem; aut partim decernere, partim negare, [aut fortè pure omittere, si pura omisio admittatur in Deo] vel designato alium modum pos-

sibilem. Atqui semper esset decretum liberum, quod liberè omnes creaturas adtingeret: ergo illud decretum liberum est absolute necessarium. Probatur minor; quia decernere omnibus rebus existentiam aut futuritionem, & decernere non-futuritionem, sive quod idem est negare futuritionem, & concedere futuritionem istis rebus & negare reliquis, non potest intelligi sine actu voluntatis. Si Deus pura omisio actum concedentem rebus existentias ommitteret, libertatem contradictionis exerceret; & qui illam omisioem admitteret, tenereris consequenter asserere virtuale exercitium divinæ voluntatis. Dicendum igitur est voluntatem Dei necessitari quoad exercitium & objectum, quia nihil est possibile quod ipsa non debeat tangere; unde loquendo de libertate objectivâ, [nihil est præter res possibles, quod possit à voluntate attingi nulla est res possibilis quæ attingi non debeat; nempe à voluntate approbante, aut reprobante. Et demonstratur clarè. Si aliqua creatura possibilis à voluntate divinâ non attingi asseratur, vel illa erit existens in aliquâ differentiâ temporis, nempe præteritâ, præsentem aut futurâ, vel merè possibilis, hoc est non exsistura in aliquâ temporis differentiâ. Si dicatur esse existens, vel habebit existentiam ex se, vel ex Deo: non ex se, quia aliàs creatura illa possibilis, esset alius Deus; ergo habebit existentiam ex Deo: attingetur igitur à Divinâ voluntate, ipsi hanc existentiam subrogante. Quod si merè-possibilis ea sit, & existentiam in nullâ temporis differentiâ habitura, petam, An ipsum non-existere, habeat ex se, an ex Deo. Si ex se est non-existens, ipsi repugnat existentia, & essentialiter competit non-existentia, ac propterea non est creatura possibilis, sed impossibilis. Si ex Deo est, quod ipsa in nullâ differentiâ temporis existat, aut potius in omni non-existat, attingitur à voluntate Dei aut ei decernente non-existentiam, aut negante existentiam, aut liberè omittente decretum concedendi existentiam. Ergo voluntas libera Dei necessarid attingit omnes possibles creaturas. Cæterum libertatis exercitium consistit in hoc quod Deus potuerit

CONCLUSIO II.

Gradus intellectivi innato desiderio infinito appetit, ut natura Divina habeat gradum volitivi. Hanc conclusionem admittere tenentur omnes Thomistæ cum D. Thomâ asserentes esse consequentiam necessariam; Deus est cognoscitivus, ergo est volitivus. ipsam tractatu de Scientiâ Dei expendo.

CONCLUSIO III.

Essentia & natura Divina, voluntas & quilibet Divina attributa innati appetitûs lege postulant existentiam & subsistentiam. Nolo controvertere, an distinguantur in Deo natura & essentia; nolo inquire an dentur attributa distincta à scientiâ & voluntate; sed assero omnes formalitates absolutas, quæcumque illæ sint, necessarid petere & inferre formalitatem essendi & subsistendi, quia aliàs nec à se, nec substantiales essent.

CONCLUSIO IV.

Correlationes Divinae necessarid & ex se (hoc ex vi Legis innatæ) postulant esse inter extrema realiter & infinite distincta. Hinc emanavit illud axioma Theologorum, In Divinis omnia sunt idem, ubi non obviat relationis oppositio. Hæc conclusio, satisfacit quæstioni celeberrimæ, quæ examinat, Vtrum si Spiritus sanctus non procederet à Verbo, distingueretur ab illo?

Sufficiat igitur hæc de Lege Divinâ innatâ prælibasse; quæ non solum ad contemplationem, sed etiam ad praxin conducere ex inferiùs disputandis constabit.

potuerit vel omnes creaturas possibles producere, vel omnibus existentiam negare. & tandem in hoc quod quibus voluit, & quia voluit decreverit futuritionem qualem voluit; quam, quibus voluit, denegavit. Decreto hoc creaturæ possibles mutantur, saltem abstractivè, & singulæ earum transeunt aut in merè possibles, aut in futuras; hanc autem creaturarum mutationem, quæ est Deo libera, necessarid à Deo cognoscitur scientiâ, quæ vocatur *Visionis* decreti divini pedisequâ.

OBJICIS *secundò*. Intellectus humanus etiam necessarius est, & quæ cognoscit, necessarid cognoscit: non tamen ideò semper operatur. Ergo ex eo quod intellectus divinus necessarius sit, non sequitur debere semper esse in actu secundo, sicut nec ex eo quod semper sit in actu secundo sequetur eum esse necessarium, quia etiam decretum Dei semper est in actu secundo, & nihilominus necessarium non est.

Respondeo intellectum Divinum esse necessarium, hoc est, non-liberum; quam necessitatem etiam concedo humano. Adde intellectum Divinum esse necessarium quoad exercitium; quam necessitatem humano non adscribo, potest homo cessare à cognitione objecti existentis, Deus non potest. In argumento autem ago de secundâ necessitate, unde ex perenni exercitio, quod deesse non potest, bene inferetur exercitij necessitas, sicut & è contrario: res enim contingentes nec ab æterno fuerunt, nec potuerunt; & cum sunt, contingenter sunt, quia non esse possunt.

CAPUT IV.

Proprietatis naturale Dominium definitum, expositum, divisum, controversum.

OMNIS proprietarius Dominus causa est efficiens, non tamen omni causæ effectrici competit jus Domini directi & proprietarij. nam ad hujusmodi Dominium requiritur primò, in agente libertas; unde bruta & omnes causæ necessariae à jure habendi dominium physicae proprietatis excludo.

At hujusmodi Dominium infantibus, pueris, phreneticis non nego, quibus nec usum physicae libertatis. Ipsi enim tametsi moralia & supernaturalia non cognoscant, circa objecta purè naturalia agentia necessaria non sunt; ut in Philosophicis ostendo. *Secundò* requiritur in operatione efficacia; unde causæ inefficaces,

efficaces, quia effectum carent, etiam carent re subditâ, cui dominantur. *Tertio* requiritur in termino, quod vel totus vel saltem forma producat. Vnde auctoritatem patriam à dominio proprietatis distinguo; quod parentes animam (forma est filij) non producant, sed solum materiam disponant, & partes substantiales divinitus productas uniant. His positis naturalem proprietarium Dominum definio, *Personam physicè liberam, quæ producit entitatem realem & physicam, in quam dicitur habere dominium.* Igitur habere proprietatis dominium, est liberè dare existentiam rei subditæ. Subesse proprietario domino est ab illo existentiam recipere. Naturaliter existentiam communicat, qui influxu physico; moraliter verò, qui morali.

86 Proprietatis Dominium dividitur in Actuale & Habituaie. Illud est quidem perfectissimum, & convenit agenti libero, quando actu rem producit; tunc enim rei productæ existentia, actu est sub agentis dominio. Habituaie dominium est proprietatis relatio quæ ipsamet generationem sequitur, & constituit causam agentem dominam, cui facit rem factam ancillari. Dominium igitur physicum directum actuale, est ipsa rei productio libera & realis, quâ ita communicatur existentia termino ut possit non communicari: tale dominium convenit agenti actualiter rem producenti, cui posset non communicare existentiam. Dominium morale directum actuale, est moralis productio libera, quâ ita communicatur aliqua prærogativa ut poterit non communicari: tale dominium convenit inventi; quia qui liberè invenit, potest non invenire. Inventio autem producit moraliter in illo, quod inventum dicitur, non quidem naturale esse, quoniam id præsupponitur, sed esse politicum & morale. quia ante inventionem, tametsi in rebus naturalibus erat, in politicis & servientibus Reipublicæ non erat.

87 Dominium physicum directum habituaie, est respectus realis qui sequitur ipsam productionem, quo posito resultat in termino character exprimens eum esse productoris. Omnia illustrabuntur,

si exemplum aliquod in medium proferamus. Pingit Appelles Magni Alexandri imaginem; liberè quidem, ideoque suæ operationis dominus proprietarius actualis: quando pingit, potest non pingere, & si de facto non pingeret picturæ non daret existentiam, ratione cuius ille dominaretur, illa dominanti subsisteret. Postquam eam pinxit, resultant duæ relationes reales & physicae; nempe, causæ & effectus; altera in agente, altera in termino producto: prima est character domini habituaie, servitutis habituaie secunda. Confirmatur etiam exemplo desumpto à jurisdictionis dominio, in quo patet clariùs, actualis & habituaie differentia. Genuit physicè Philippus Alexandrum. Generationem sequutus est realis respectus, qui vocatur *Paternitas*, & reddit Philippum patrem. Hic realis respectus est dominium jurisdictionis habituaie, quoniam est positiva entitas permanens, quæ non consistit in actione, sed eam subsequitur, & remanet habituaie.

Dominium etiâ in Vsuarium & Vtile 88 dividitur. Vsuarium actualiter est in agente, cum rem producit; habituaie, postquam produxit. Et in hoc ab Vtili distinguitur, quod illud substantiam rei, & Vtile solos respiciat fructus: qui enim habet dominium Vtile, habet jus utendi re, salvâ ejus substantiâ; qui verò Vsuarium, potest etiam rem possessam destruere.

Postulas, An Vsuarium ab Vtili dominio naturaliter possit separari? Hoc est, An dari possit persona habens dominium naturale Vsuarium, quæ Vtili naturaliter careat: aut contrâ? Respondeo negativè; utrumque enim, si actuale sit, in operatione reperitur; si habituaie, ex operatione necessariò resultat. Addo posse separari moraliter, & hanc veritatem exemplo clarissimo illustro. Equum emis, redderis ejus dominus proprietarius; non quidem physicus & naturalis, quia illum non produxisti physicè; sed redderis dominus moralis & virtualis, quia emptio est productio virtualis, ex cuius vi ita te habebis in posterum ac si equum realiter & verè produxisses. Equi habebis & Vsuarium & Vtile dominium, quia &

quia & poteris conservare & interimere. Si Lege publicâ caveatur, nequis equum occidat, moraliter privaberis jure domini Vsuarij, hoc est, potestate occidendi illum equum; retento jure Possessionis directæ, quæ dat ut illum tibi possis conservare; & jure domini Vtilis, quod usum equi concedit. Si equum loces, hoc dominium Vtile moraliter ad locatorem transit, & moraliter in te esse definit; stante enim locatione non habes jus utendi equo, usus enim cedit conductori. Sed has moralitates Libro sequenti resumemus, & uberius tractabimus.

Capaces Domini active, qui?

90 Mitto illorum cecitatem, qui rerum irrationalium dominio subsuerunt; humano genio indignos assero, qui voluntarij depresserunt gloriam rationalis naturæ: miseros, qui coacti. Adversus Stoicos Plutarchus populorum meminit confinium Æthiopicis, quorum canis est Rex. Cani regum cultum, honores, reverentiam, imò & sacra deferunt: Viri sub cane militant, cui lingua politica Senatus. Quis non execretur tam abominabilem amentiam? non paterentur canes dici; & cani subsistunt voluntarij! Proscribo eos à gentibus; Satyris Sylvanis & Faunis adscriberem, ni timerem injurius esse eorum poëtica divinitati: Satyri enim si essent, sese majoris facerent. Ad Norvegios transeo, quibus victis & casis à Gunnar Suecorum Regulo, Canis in Regem datur, qui succederet decrepito & infelici Reginaldo. Legi in Saxone lib. 7. Cantzio. 10. lib. 1. Norveg. cap. 25. Jo. Magno lib. 23. Victis etiam Danis Attilus Sueonum Rex Canem in Regem dedit, asserente Raëchone.

91 Conclusio igitur sit. Irrationalis creatura volentibus & permittentibus præfecta, dementiam subditorum arguit: vel invitis præposita tyrannidem inhumanitatemque Victoris. Ratio est, quoniam dominium tam naturale quàm morale non nisi Personæ convenit; & huic non quâ intellectivæ, sed quâ operanti liberè: unde & domini esset incapax intellectiva, si esset incapax liberæ operationis.

Libertas entitativè spiritualis est, à

Philosophis autè dividitur in *Γεωσκοπικὴν*, *Κλεωσκοπικὴν*, *Θεωσκοπικὴν*, & hoc ratione objecti. Libertas Geoscopica illa dicitur, quæ terram respicit, & circa corporea versatur. Hanc infantibus negare non possumus, qui terrena cognoscunt, & cognita libero amore prosequuntur. Hanc habent amentes, hanc habent insensati. [Hanc etiam concedunt brutis multi Authores, nos ipsam illis D. Bernardo subscribentes negamus.] Cleoscopica honestatem & morum elegantiam respicit: Theoscopica Deum & ordinem supernaturalem. Potest prior carere posteriori, hæc priori indiget ut dispositione necessariâ. Sed hæc hic adnotata sunt, in Philosophicis uberius expensa. Sentio igitur ad dominium physicum sufficere usum rationis Geoscopicae, ac subinde posse habere verum dominium physicum, qui caruerit vel Cleoscopica vel Theologica. Ita S. Thomas *quæst. 66. art. 1.* Caietanus *ibidem.* Victoria *relect. de Indis num. 21. & 22.* Lessius *dub. 2. & alij.*

Physicum Dominium, quid?

Est jus moraliter exlex in existentiam rei, quæ dicitur possessa physicè: nempe, illud quod conveniret productori, licet Ens-morale non esset.

De physico rerum dominio controversiæ subtilissimæ sunt, & fundant morales omnes Resolutiones: idcirco non veniunt confundendæ cum illis quæ mores respiciunt atque supponunt latas leges. Moralia & Physica ex eisdem principijs resolvi debent, non tamen eodem prorsus modo, sed analogo, concordî, & parallelo. Tunc exactè discurremus, cum formamus conceptus consentaneos; tunc inquam, cum sicut de Physicis physicè, sic de Moralibus moraliter philosophamur. Domini ergo physici notitia, est basis & fundamentum omnium conclusionum moralium. Oportet igitur acturos de Morali dominio discutere radicatus Physici essentiam, passionis, proprietates.

DISPUT. I.

*Vtrum Dominium physicum in Deum
Creaturis competere possit?*

94 **P**ER classes distribuuntur illa, de quibus potest institui disputatio. Contemplandus universum speculator; & reperio Deum universorum causam; Angelos; Caelos, Sydera, Meteora; Ignem, Aërem, Aquam, Terram; Aves, Pisces, Animantes; & Planetas.

Omnia creata cadunt sub Creatoris dominium: sed Creator ipse poteritne subsistere alicujus Angeli vel Hominis authoritati?

Dominium physicum perfectio est, ergo & Deo competit, sed imperfectioribus abstractis. Occurrit primum Dubium. An physicum dominium Deo conveniat ut termino. Hoc est, An detur aliqua persona, quæ sit Dei naturalis Domina.

Dico igitur non posse dari personam creatam aut creabilem, quæ sit physice Domina Dei.

OBIECTIO I.

95 **S**ed occurris statim. Primum, quoniam creatura potest producere Deum; ergo & habere in Deum dominium physicum. Assumptum probas; quia Beatus perfusus gloriæ lumine producit cognitionem Dei (sive sit ista species expressa, ut multi existimant, sive sit, ut placet alijs, actio grammaticalis) atqui cognitio Dei est Deus: ergo Beatus, qui intuetur Deum, producit Deum: ergo & acquirit in Dei essentiam dominium naturale. Hæc ratio fortior est adhuc in meâ sententiâ, quæ adsonat Platonice & Thomistica, ex cujus principijs nequit asseri intellectio sine intellectus & intellecti identitate.

RESPONDEO tamen, identitatem esse duplicem, Physicam & Intentionalem: per illam duo extrema identificantur in esse entitativo & physico; per hanc in esse intentionali. Cumque Deum intelligens & ipse Deus intellectus non identificentur secundum esse physicum, sed secundum esse intentionale: hinc est quod non possit dici Deum intelligens

esse Dei intellecti dominus physicus & realis.

Hinc ad argumentum in formâ. Nego 96 primum antecedens. Ad probationem admittam majori, minorem distinguere opus est: Dei cognitio est Deus? intentionaliter, concedo; physice, nego. Et subinde, nego duas illatas consequentias.

Certè identitas physica inter duas entitates quarum altera est finita altera infinita, impossibilis est; quoniam talis identificatio sine mutatione fieri nequit, & Deus supponitur infinitus, eternus, immutabilis. Sed disputationis gratiâ, esto visio beatifica, quam elicit D. Franciscus, identificata Deo, non solum intentionaliter, sed etiam physice; non tamen inde sequetur Deum produci, quando visio producitur.

97 Occurris armatus expository ratio. Beatus Franciscus, ais, producit Dei visionem; hæc est Deus: ergo producit Deum. Patet consequentia, quia quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.

Respondeo condonando majorem, quam condemnare possem asserens in visione beatificâ, nihil produci, imò ipsam visionem esse actionem quidem, non prædicamentalem, sed purè intentionalem. Condono etiam minorem, quam negant omnes illi qui intentionalem identitatem non cognoscunt. Et nihilominus nego consequentiam, & axioma subjunctum in omni sensu doctrinali; tantum enim illa identificantur necessariò inter se, quæ ab uno tertio nec re nec ratione distinguuntur; & hoc solum contingit in synonymis, ut si dicas; *Marcus est Tullius; Tullius est Cicero: ergo Marcus est Cicero.* Hujusmodi enim syllogismi ludi verborum sunt, & non consequentiæ doctrinales. Vide quæ in meis Metaphysicis contra hoc axioma fulmino.

OBIECTIO II.

98 **S**ciens Deum non esse accidens creaturæ, nec ejusdem causam materialem asseris hanc non habere dominium materiale, neque formale in Deum, ac proinde non dari creaturam quæ sit intrinseca domina Dei. Dubitas tamen, An creatura sit capax extrinseci dominij in Deum. Ratio dubitandi est, quia hæc asseritur

asseritur produxisse, conservavisse, imò occidisse Deum.

Produxisse quidem, quia si hoc esset impossibile, Maria Virgo non esset Deigenitrix, nec *Deipara* à Romanâ Ecclesiâ vocaretur. Ex hac prerogativâ non solum oritur Mariam fuisse Christi Dominam, sed hoc, quod mirabilius est, *IESVM* fuisse quâdam ratione Matris Dei mancipium ostendente id curiosè Eximio Domino Bartholomæo de los Rios *Hierarchia Mariana lib. 2. cap. 27. pag. 190.*

Conservavisse etiam, quoniam nutrire conservare est, & Iosephus fuit Dei nutritus, & multis annis Deum-Hominem aluit. Ideò apud Cistercienses Præcentor invitatur Choros ad Laudes Matutinas in hujus Patriarchæ solennitate, dicens, *Dominum Deum nostrum adoremus, qui Christo filio suo sanctum Ioseph elegit Nutritum.*

Occidisse tandem; quia habemus in Symbolo, Deum fuisse passum, crucifixum, & mortuum; ergo & homines occiderunt Deum. Mellistue hoc deplorans meus Bernardus crudeles milites vocat *Deicides*, Sermone in Feria IV. Hebdom. pænosa. column. 141.

99 **R**ESPONSIO. Sanè locutiones hujusmodi non respiciunt Christi divinitatem, hæc enim nec gigni nec nutriri nec pati potuit: respiciunt solum humanitatem, quæ substantia creata est, & in causâ ut persona Divina quæ humanitatem habens, nasci, nutriri, pati, mori, sepeliri, imò & resurgere dicatur. **V**ERE Maria Deum peperit, quoniam peperit suppositum divinum habens humanitatem; genuit quidem Deum, non tamen quæ Deum, sed quæ hominem. Christus quæ homo fuit Mariæ filius, teste Matthæo in Historiæ suæ capite primo, dicente Iosephum fuisse virum Mariæ, *de quâ natus est IESVS, qui vocatur Christus.* Quæ homo dicitur *Lucæ 2. 21.* fuisse subditus illis, videlicet Mariæ & Ioseph. Quæ homo Mariæ servus asseri poterit, non tamen absolute, sed illo sensu metaphorico, quem expendit citatus Dominus de los Rios. **S**IMILI cautelâ uti oportet cum Iosephum Dei Nutritum vocamus. Christi carnem nutritum, sed à Divinitate nutriebatur. Acute cautus meus Mellistus Magister Homiliâ 2. fu-

per Missus est. *Non est dubium, ait, quin bonus & fidelis homo fuerit iste Ioseph, cui Mater desponsata est Salvatoris. Fidelis inquam servus & prudens, quem constituit Dominus suæ Matris Solatium, suæ carnis Nutritum.* Omitto *Solatij* prerogativam, quia quid *Solatij* nomine intelligendum veniat, clarè colligitur ex Benedicti Regulâ socios *Solatia* nominante: ad epodon sententiæ transeo, & video Iosephum Nutritum appellari, carnis adsumptæ quidem, sed non Divinitatis. **N**ON ALITER Deo mortis & passionis denominatio convenit ratione humanitatis, Divinitas enim non fuit mortua nec passa.

Ergo si Christum quæ hominem consideremus, dicturi sumus fuisse B. Virginem ejus dominam positivè physicam actualem, ut alias matres; non quidem dominam proprietariam, sed habentem jurisdictionem; patria enim authoritas non ad proprietatis, sed ad jurisdictionis dominium spectat.

Si vero Christum quæ Deum consideremus, asserendum est nullius creaturæ dominio physico fuisse subditum; nulli inquam, nec positivo, nec negativo, nec actuali, nec habituali, nec proprietati, nec jurisdictioni.

DISPUT. II.

*An Dominium physicae proprietatis in
Deum, Deo ipsi competat?*

100 **D**EVS nequidem increato subest Domino, Ethnicus hanc quaestionem examinet comparando inter se Deos; Christiani facilius Deorum pluralitate denegatâ.

Deum bifariam considerare oportet, quæ Vnum, & quæ Trinum: speculemur, examinemus, expendamus, evertamus, deleamus errores, qui tale illi dominium quæ Vni adtribuerunt, postea reliquos expugnabimus.

*Errores circa Vnitatem Dei, & exijs
de Dominio Divino Corollaria.*

NON est animus Hæretica asserta scholasticâ severitate ventilare; hoc enim in libris Theologis uberiùs ago: volo tantum expendere errores de

Divino Dominio, & illos destruere ex fundamentis, quæ admittunt univèrſi Christiani.

Primus Error.

Atribuitur Lactantio Firmiano asserenti, Deum habuisse esse à semetipſo participando suam existentiam, sive quod idem est, Deum produxisse semetipſum.

Est error, sed latuit multis annis sub adulterinâ specie veritatis, quoniam vero simillimus. Videbantur huic dicendi modo favere omnes Doctores veteres, Ecclesiæ Patres, & juniores Theologi qui dicunt Deum esse *Ens à se*, hoc est habere à se existentiam. Sanè Deus *Ens à se* est, non positivè, sed negativè; quoniam si positivè, esset vera hypothesis Firmianitarum. Cùm Deum esse *Ens à se* dicimus, non intelligimus eum fuisse priorem semetipſo, nec eum à se ipſo esse participasse, quoniam hæc inconceptibilia sunt, & parturiunt evidentissimas contradictiones; dicimus ergò Deum esse *Ens à se negativè*, hoc est esse Ens & non ab alio, sed esse Ens necessarium, quod non esse non potuit; esse Ens absolutum, ita ut ejus esse nec à creatura nec à Deo dependeat.

Porro si Deus produxisset se, se corrupisset; quia cùm non sit duplex Deus etiam in Lactantij sententiâ, debuit in se ipsum converti; conversio autem sine corruptione intelligi non potest. Calidum convertitur in frigidum, cùm corrupto calori frigus immediatè succedit, vel si malis cùm frigus calorem coexistentem corrumpit. Ergò Deus non potuit converti in se ipsum, quin se corrumpere & reproducere; ergò nec potuit quin esset & non esset simul. Igitur sicut impossibile est Deum simul esse & non esse; ita est impossibile eum in se ipsum converti, necnon se ipsum producere, & corrumpere. Ergò Deus non habet dominium extrinsecum in semetipſum.

Præterea si Deus produxit semetipſum; aut liberè aut necessariò. Si liberè, non est Ens necessarium; si necessariò, non est sui physicus dominus, quia dominium libertatem & indifferentiam prærequirit.

Dicendum ergò est esse impossibile

Deum fuisse causam sui ipsius; inferendum non posse Deum sibi ipsi physicè dominari.

Errores circa Dominium Divinum nati ex malè intellectu Trinitate.

Non habent in hac quæstione locum ¹⁰² Hæretici, qui procedentium personarum Divinitatem negaverunt; quia in Filium & Spiritum sanctum, si creati asserantur, Deo dominium negari non potuit. Vnde Ariani licet admitterent Patrem esse Verbi Divini dominum, non assererent Dei dominum, quia Verbum negabant esse Deum. Inde etiam Macedonij, licet assererent Patrem & Filium esse Spiritus sancti dominos, non affirmabant esse Dei dominos, negabant enim Spiritum sanctum esse Deum. Habent locum, qui in Deo tres Personas consubstantiales cognoverunt.

Secundus Error.

Valentinus (à quo Valentiniani ¹⁰³ Hæretici) cùm tres Spiritus æternos & substantiales asseruit, erravit linguâ, & catholicè potuit exponi de tribus Suppositis Spiritualibus, eò sensu, quo Angelos *Spiritus* sapissimè appellamus. Cæterum asserens has tres Personas, quas Spiritus vocitat, inæquales esse, reddidit suam doctrinam omnis catholicæ expositionis incapacem. Tenebatur consequenter asserere, Patrem esse Verbi dominum; & fortè, Verbum esse dominum Spiritus sancti. Pater enim communicabat esse Verbo ut inferiori, non secus ac Adamus filijs suis, qui minores eo erant, licet humanitatem ejus specificè participassent.

Iam autem error, qui nascitur ex Valentinianâ hypothesi, corrumpit; quoniam & ipsa hypothesi, fide enim sanctum est omnes personas esse æquales, ut constat ex Athanasij Symbolo, ubi dicitur. *In hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.*

Tertius Error.

Positâ æqualitate personarum instas ¹⁰⁴ Patrem esse dominum Filij, cui dat existentiam: ergò si Filius emendicat suam

suum esse à Patre, ipsimet subditur ut domino.

Respondeo Patrem non esse causam Filij (& idem audi de Spiritu sancto) sed genitorem; æternum eum generans, communicat ipsi suam numericam Divinitatem existentem; non tamen ut dependenti, quia Verbum Divinum non dependet à Patre: Pater igitur dominus Verbi non est, quoniam sicut servitium necessariam dependentiam includit, sic etiam dominium superioritatis: sane dependens esset Filius si liberè produceretur.

Utrique etiam errori occurre iterum negando Patri dominium in personas productas, quibus non communicat esse liberè, ita ut possit non communicare. Nec adior Scotum asserentem Spiritum procedere actu libero, quia illa libertas quâ Pater & Filius Spiritum producunt libertas speculativa est infinite prædeterminata, talis ut sit falsum dicere *Spiritus sanctus non procedere potuit*: hic autem agimus de libertate practicâ, quæ habet indifferentiam ad utrumque, & causat effectum dependentem, quem non causare possit.

DISPUT. III.

Utrum Deus in creaturas habeat Dominium physicum: & cur?

MULTA sunt Sacræ Scripturæ testimonia, quæ Deum asserunt univèrſorum Dominum, Authorem, Possessorem; quia, ut constat ex *Geneseos* 45. 5. & 50. 19. *Deut.* 8. 18. & 1. *Reg.* 9. & *Sapientia* 12. 13. *Tobie* 7. 12. *Jobi* 9. 5. & 12. 13. *Psalmi* 102. 19. & 103. 3. & 126. 1. *Proverb.* 10. 22. & 16. 4. & 19. 12. & 20. 24. & 21. 1. *Eccles.* 3. 15. *Isaia* 26. 16. & 45. 7. *Ieremie* 10. 23. & 27. 5. *Daniëlis* 2. 21. & 5. 18. *Matthæi* 6. 33. & 11. 26. & 20. 14. *Lucæ* 12. 31. *Ioannis* 5. 17. *ad Romanos* 9. 15. *secundæ ad Corinth.* 3. 5. *ad Philippenſ.* 2. 13. *ad Hebræos* 13. 21. *Apocalypſeos* 4. 11. & alijs Sacris Testimonijs Deus est rerum univèrſarum Conditor, Rector, & absolutus Dominator. Cur tamen?

Conclusio. *Deus est rerum omnium physicus Dominus, non tamen quâ intelligens (non quâ volens, si voluntatem a potentiâ distin-*

guis) sed quâ liberè creaturas producat & conservans.

PRIMO. *Intelligere non est dominari*; aliàs verè & propriè omnia quæ intelligimus possideremus: diceretis cali dominus quoties id intelligeres; præfess Mundo, quoties illum contemplereris.

Obijcis ex proprietate Hispanicâ *Dominos* dici rerum qui eas altè percillant; verbi causâ, *Pedro es muy Señor de esta dificultad*, æquivaleret huic propositioni, *Petrus altè percillet hanc difficultatem.*

Respondeo esse idiotissimum linguæ, & consistere in acuta significationum translatione, non verò in acceptione rigorosâ. Dominus Logicæ appellatur, qui in Logicis est bene versatus (puta cùm dicitur, *Juan es muy Señor de controversias Logicas y Metaphisicas.*) quia sicut Dominus indicit leges famulo, sic sapiens ipsis Facultatibus; hic autem modus loquendi rigorosus non est, sed metaphoricus, ut dicebamus.

SECUNDO. *Si detur potentia operativa in Deo distincta à voluntate, velle non est dominari*; Patet, quia aliàs essemus domini creaturæ illius quam amaremus. Sanè amare est ferri, amari ferre adtrahere; quapropter ratio dominij potius deberet convenire moventi quam moto, potius adtrahenti quam adtracto.

TERTIO. *Ratio Dominij Divini physici consistit in Omnipotentia.* Deus est illarum rerum dominus quarum est causa. Est dominus possibilium quâ talium, quoniam non est Deus omnipotens, quia sunt posibles creaturæ, sed has esse posibles oritur ab Omnipotentia. Futuratio est effectus incomprehensibilis decreti futuram operationem connotantis. Existentiæ autem est effectus productionis. In præteritas etiam quâ tales Deo concedo dominium, cui & concedo potentiam ad præteritum; præteritionem enim rerum conservare & abolere potest, non minus, non magis, quam futuritionem.

Hæc conclusio desumpta est ex Sacris literis. Propheta Rex *Psalmi* LXXXVIII. 12. dicit Deo, *Tui sunt cali & tua est terra, subjungit probationem dicens; Orbem terre & plenitudinem ejus tu fundasti, aquilonem & mare tu creasti.* Non enim posset negari cali & terræ dominium, cali & terræ

Creatori. Adsonat sibi David saepe alibi, præcipuè tamen Psalmi cxxiii. 15. *Benedicti vos à Domino, qui fecit calum & terram.* & Psalmi cxx. secundo, *Auxilium meum à Domino, qui fecit calum & terram.* & Psalmi cxxiii. 8. *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit calum & terram.* & Psalmi cvl. quinto, *Spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit calum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt.* In eodem conceptu erat Isaias capitis xl. vigesimo octavo, ubi asserit Deum esse sempiternum dominum, & rationem subjungit, nempe quòd terminos terræ creaverit. Capite xlii. versu quinto. *Hæc dicit Dominus Deus, creans calos & extendens eos, firmans terram & quæ germinant ex eâ; dans statum populo qui est super eam, & spiritum calcantibus eam.* Attendo, audio, Propheta sanctissime. Quorsum hæc antecedentia Omnipotentiam commendantia? quid inde inferes? *Ego Dominus, hoc est nomen meum; gloriam meam alteri non dabo.* Admiror Domini & Creatoris perennem connexionem. Idem Propheta quadragesimi-secundi octavo, *Ego Dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.* Et quadragesimi-quarti vigesimo-quarto; *Ego sum Dominus faciens omnia.* Et quinquagesimi-primi tertio-decimo peccatori inquit Deus, *Et oblitus es Domini factoris tui!* Consonat Zacharias 12. 1. Ionas 1. 9. Ecclesiasticus 1. 8. Matthæus 11. 25. Act. 4. 24. His testimonijs instructus meus Bernardus, huic subscripsit sententiæ, & dominium Divinum asseruit pedisequum creationis esse. *Si modum cogito, ait, exaltationem cognosco humanæ conditionis. Venit siquidem universitatis Creator & Dominus, venit ad homines, venit propter homines, venit homo.* Aptè prius Creatorem dixit quem dicturus erat Dominum, ut doceremur, divinum dominium non aliunde quam à creatione oriri posse.



DISPUT. IV.

Solusne Deus, an etiam creatæ personæ, habeant Dominium physicum in creaturas.

AVGVSTVS Imperator, Suetonio teste exhorruit Domini appellationem: causam exposuit Tertullianus *Apolog. cap. 34.* nempe, non debere homini puro adtribui titulum, qui uni cõvenit & soli Deo. Tiberius apud Cornelium Tacitum 2. *Annalium*, & Suetonium *in ejus vitâ*, ab Augusto didicerat non pati se Dominum vocari. Eiusdem sectæ fuit Alexander Severus affirmante Lampridio: ejusdem Adrianus, Claudius, Nerva, Traianus, narrantibus alijs Authoribus. Maluerunt Pij audire, quàm Domini; imò & sibi omnem humanam reverentiam asserunt iri crediderunt, sibi inquam divinos titulos non usurpantibus. Huc respiciebat Horatius Odarum libro primo dicens,

Terrarum Dominos exebit ad Deos.

Huc Virgilius Divini operis tertio, Veneri & Proserpinæ adtribuens nomen Domine,

Hæ Dominam, Ditis thalamo deducere adorti.

Huic opinioni subscripserunt postea Caligula & Domitianus, qui licet voluerint dici Domini non tamen prius quàm Dij.

Apud Sab. *libr. 3. En. 7.* legimus Iudæos nomen Domini non nisi Deo adtribuisse: quamobrem ex eis aliquot adolescentes à Lippo Alexandriae Præsidente trucidati, malentes potius mori, quàm Imperatori Vespasiano, aut ali præter Deum Domini titulum deferre.

RESOLVTIO.

AVthores qui negant creaturis physicam & naturalem efficientiam, asserentes eas tantum esse morales suorum effectuum causas, Deumque ad earum præsentiam effectus universos producere; tenentur consequenter asserere hominibus non competere rationem dominij naturalis; sed eos esse morales suarum actionum dominos, quarum non sunt nisi

sunt nisi causæ morales. Caterum hæc sententia à Catholicis defendi non potest, quia tollit omninò humanam libertatem: unde qui dicimus homines aliquos effectus naturales producere, debemus consequenter asserere eos esse eorundem effectuum dominos naturales. Et sicut humana activitas à Deo non solum in radice, sed etiam in praxi dependet; sic naturale humanum dominium, quod ab eâ non distinguitur, dependens est: domini quidem actionum naturalium sumus, sed quâ his dominamur dependemus, dominiumque participamus.

Ergò Naturale dominium duplex est; Infinitum & Participatum. Illud uni & soli Deo convenit, hoc competit etiam creaturis.

Has dominij Infiniti & Participati differentias, quas mente ideas, etiam labio distinxere Syro-Chaldæi, & Hebræi, qui eorum lingua utebantur post captivitatem Babylonicam. Deum מוֹרִיִּו MORIO Dominum tetragrammatâ voce appellarunt, & Herum מוֹרוֹ MORO per syncopen maluerunt dicere, ut ostenderent dominium humanum esse divini syncopen & abbreviationem. Fortè illi Iudæi adolescentes de quibus Sab. nuper citatus, cogebantur Vespasianum vocare MORIO, agnomine Divini dominij; quia aliàs non elegissent mortem si illum solum MORO vocare juberentur.

Idcirco Hebræi nomen יהוה יְהוָה IEOVA quod Dominum interpretantur, contraxerunt scribentes יהי אה, quod vel quemcunque Dominum significat, vel saltem solum illum, qui semetipsum exinanivit formam servi accipiens, vel ut Bernardo placet Verbum abbreviatum.

Propterea Græci à κύριος per syncopen dixerunt κυρός, ut humanum dominium distinguerent à Sempiterno.

Latini tandem invenerunt vocem Dominus, ut hominem à Deo distinguerent, qui Dominus cognominatur. Dominus vocis Dominus contractio est; quia humanum est quædam dominij finita contractio, participatio, limitatio. Confule me in Benedictino Commentario num. 1477. d. Proderit etiam videre Durandum in *Rationalis lib. 5. cap. 2.* & Beyerlinckium in *Theatro. voce Dominium. §.*

Imperatores. qui paulò aliter hanc dictionem exponunt. Vocem Dominus ad Græcum idioma derivatam reperio in Opiano,

Καὶ μεγάλη μεγάλη φημισαὶ Δόμνα Σεβήρα
Et grandis grandi genuerat Domna Severo.
Ergò eodem sensu quo D. Benedictus in sua Regulâ Deum vocat Dominum & Antistitem Dominum, Augustus, Tiberius, Alexander Severus, Adrianus, Claudius, Nerva, & Traianus, Cæsares se Domini titulo indignos crediderunt pietatis & religionis gratiâ: eodem sensu, Caligula & Domitianus sibi arrogarunt nomen Domini testificaturi propriam Divinitatem.

DISPUT. V.

Quale Dominium Naturale Deo competat?

DEo convenit actuale dominium, quia universa producit: convenit habituale positivum, quoniam omnia produxit, quoniam liberè non-adnihilat condita, quæ in nihilum redigere posset. Hæc clara sunt, sed ardua occurrit difficultas, cujus cardine lingua potius, quàm idea torquebitur. Volunt multi Deum non dici dominum rerum habitualement sed actualem; quia habitus significat carentiam actûs, actuali enim dominio Deus carere non potest. Alij è converso putant non debere Deum dici actualem rerum dominum, quia dominari actualiter, actualiter producere est; Deus autem non producit Mundum, sed quem à millenis annis condidit, conservat benefico influxu, & regit empyreâ majestate. Satisfacient controversiæ radicibus, qui percalleant essentiam conservationis positivæ: hæc est productio permanens; quia sicut homo, qui conservatur, non est diversus ab illo qui fuit à conditione, sed est conditio atque productio perseverans. Ideò Deus, quia conservat Mundum, semper eum producere dicendus est, ac propterea semper illius esse dominus directus & actualis. Esse habitualement dominum non negat sed supponit dominij actualitatem, & ideò est verum dicere

rum dicere Deum esse habitualement dominum eo sensu, quo est verum dicere eum Machinam mundialem produxisse.

CONCLUSIO. *Non datur substantia aut accidens, quod physicè non subsit Deo.* Est evidens, quoniam substantia aut accidens, si non subesset physico Dei dominio, verè non essent. Ratio est, quia omnis existentia creata à Deo immediatè est; ergò existere est habere existentiam à Deo liberè communicatam: ergò & subesse physico dominio & voluntati Authoris.

De actionibus causarum secundarum major est difficultas. Si esset vera Durandi sententia [qui, ut communiùs exponitur, asserit Deum non concurrere ad actiones causarum secundarum] eo sensu, quo diceretur Deus non concurrere ad actiones, eodem omninò deberet dici non esse physicus earumdem dominus: & quo sensu huiusmodi actiones dicerentur à solâ creaturâ procedere, eo ipso deberent dici subesse dominio solius creati agentis, si actio esset libera; aut creaturâ nullius, si necessaria; quoniam creatura libertatis expers dominij est incapax.

113 Hæc opinio bifariam exponitur à Durandistis; aliqui asserunt dari duas actiones realiter distinctas in productione ignis, aliam à causâ primâ, aliam à secundâ. utramque effectum attingere adæquatè, hoc est totum effectum, sed actionem causæ secundæ non attingi ab actione causæ primæ, non enim datur actio actionis, neque productionis productio. Sanè actionis non dari actionem probabile est, Deum autem ad actionum rerum creaturarum entitatem non concurrere dici non potest, quoniam illarum esset creatura causa prima physica, quod admitti non debet.

114 Alij quæ durè dicta sunt à Durando, ita jam exponunt, ut cum illo loquantur, & catholicæ doctrinæ non dissonent. Asserunt primò unâ & eadem indivisibili actione causam primam & secundam concurrere, quod est probabilissimum. Secundò hanc actionem entitativè totam esse à Deo, totam à creaturâ. Tertio reduplicativè & in sensu formali dicunt eandem actionem prout oritur à creaturâ, non oriri à Deo. Quæ omnia vera

sunt nec Durandi verbis contraria; qui si ita exponatur, non discessit à communi sententiâ. Iuxta hunc philosophandi modum, dicendum est omnes actiones causarum secundarum entitativè & specificativè sumptas subesse dominio reali & physico Dei: attamen formaliter & reduplicativè sumptas, videlicet prout à secundâ causâ emanant sicut non dicuntur oriri à Deo, ita etiam non esse asserendas ipsi physicè subditas. Addendum tamen, non posse excludi à dominio Dei physico simpliciter & absolutè, sed solummodò secundum quid, hoc est secundum reduplicationem explicatam.

Vasquez in 3. part. disp. 8. num. 50. licet sentiat Deum concurrere physicè ad omnes actiones rerum tam liberarum quam necessarias; nihilominùs agens de dominio physico sic infit. *Ego quidem negare non possum operationem liberam aliquo modo esse sub dominio nostri liberi arbitrij, quo non est sub dominio Dei; sicut peculiari etiam modo oritur à nobis, quo non oritur à Deo, ut ratio prædictæ solutionis probat, & nos ostendimus 1. 2. disp. 129. cap. 7. Dominium enim quod nos cum Deo habemus, nostrarum operationum, non est dominium utilitatis, sicut dominium pecunie, quod ad utilitatem usus ordinatur, sed est dominium causæ in effectum per liberam potestatem.* Ecce clarissimè assertum dominium physicum in ipsâ effectuum productione consistens, quod ante me multis annis Vasquez docuit, & ego lumine rationis ductus multis annis antequam inciderem in hanc periodum ipsius Vasquez.

Hæc sententia probabilissima est, & à fortiori ad omnes actus vitales extenditur; ipsa enim vitalitas est ratio ob quam à dominio Dei physico actus liberi quæ tales excludantur. Quia in actu voluntatis libero reperio rationem qualitatis, rationem vitæ, & rationem libertatis: actus ille quæ qualitas, à Deo est productus, & à Deo conservatur: quæ vitalis est, debet esse actus intrinsecus & ab intrinseco; quia quod ab extrinseco est, quæ tale non est vivens; atqui actus humanæ libertatis nec intrinsecus Deo est, nec ab intrinseco producitur: ergò quæ vitalis non procedit à Deo. Confirmatur: Quia vitalis actus quæ talis vitaliter debet produci;

duci: sed actus nostri liberi, non producuntur vitaliter à Deo; ergò quæ vitalis non producitur à Deo, Cumque subesse physicè sit produci, hinc est quòd quæ vitales non subsint physico Dei dominio, quia quæ vitales ab ipso non procedunt. Unde dicendum est actus hominum liberos vitales procedere entitativè à Deo, non verò reduplicativè & quæ tales.

171 Sed petis tibi ostendi dominum cui physicè subsint vitales plantarum & brutorum actiones. Si Deum dixerò, argumentaris; quæ immediatè producuntur à Deo, subsint dominio reali Dei immediatè: ergò quæ mediatè producuntur, mediatè etiam subsint. Atqui actus vitales quæ tales non procedunt à Deo immediatè sed mediatè, hoc est, procedunt à vivente quod procedit à Deo: ergò tales actus subsint dominio reali Dei mediatè. Respondeo causam immediatam dici illam, inter quam & causatum nulla datur proximior: eodemque prorsus modo debere dici dominum immediatum inter quem & rem possessam nullus est immediatior; mediatum verò, cum interest dominus alius. Verè planta cum vivit, vegetationis quæ vitalis causa physica est, domina non est; dominium enim non intelligitur sine libertate: ergò Deus qui vegetationem quæ qualitatem immediatè producit, ejusdem vegetationis vitaliter sumptæ est immediatus dominus; quia est immediatus plantæ dominus, & hæc cum libera non sit, dominio caret, ac propterea ejus operationes etiam dominio Dei immediatè subsunt.

Hæc ratio convincit Deum habere immediatum physicum dominium in actus vitales specificativè sumptos, sed in eisdem reduplicativè sumptos, mediatum, si fuerint ab Angelo, aut ab Homine liberè elicit. Patet, quia procederent mediatè à Deo, & essent immediatè sub dominio creatæ substantiæ, quæ subesset physicè & immediatè Deo; unde Deus dicendus esset dominus domini illius operationis quæ vitalis: ac propterea esset dominus solum mediatum operationis quæ vitalis, & immediatus ejusdem operationis quæ entis.

118 Dicis te benè intelligere, quòd actus

vitalis humanus vitaliter non procedat à Deo; quòd vegetativus à Deo vegetabiliter non producat; quòd sensitivus non producat ab ipso sensibilibiter: sed asseris actionem liberam liberè à Deo produci, ac propterea sentis eam quæ liberam procedere immediatè à Deo. Respondeo in hac actione dari duas libertates divinam & humanam; Deus liberè concurrat ad actiones humanas, sed ejus libertas non est humana, sed divina: non enim Deus est liber actu nostro libero, sed suo, quo si careret adhuc posset causâ libera, si daretur, liberè operari. Ratio est, quia positâ physicâ prædeterminatione A. homo elicit liberè actum B. ergò eundem liberè elicit quoties habeat eandem prædeterminationem, sive infusam à Deo necessariò, sive ab Angelo, aut homine. quia sicut habens colorem A. non est candidior, quòd illum receperit à Deo infundente liberè; quam esset, si eum recepisset ab infundente necessariò: sic similiter, qui habet prædeterminationem A. formaliter physicè prædeterminatur ab illâ, & eodem modo prædeterminaretur, si eadem infunderetur necessariò.

DISPUT. VI.

De rebus in quas non habet Homo physice dominium proprietatis.

PRIMO, Homo in Deum nec habet nec habere potest naturale dominium. 119 Demonstratur, quia Deum non produxit, nec producere potest. Vide ea quæ expendimus disp. 1. hujus Capituli.

SECUNDO, Angeli non nisi per creationem producuntur: ergò qui dicunt non posse divinitus fieri ut Homo attingat Angeli creationem, dicere debent non posse fieri ut Angelus subsit Homini ut domino proprio & naturali. Qui affirmant non repugnare creaturæ activam creationem, bifariam suam sententiam defendunt. Alij putant posse Hominem adsumi ut instrumentum creationis; sed si adsumeretur, non esset Angeli creati dominus, cujus nec causa principalis. Alij non reperiunt rationem quæ demonstret Hominem non posse esse creationis causâ

D

secundam

secundam principalem. Si hoc assereretur, Homo haberet dominium naturale in Angelos, & quaslibet creaturas incorporeas, si illas produceret.

Omissis ergo quaestionibus merè philosophicis, si rerum statum præsentem contempleremur, debemus asserere *Hominem nullius Angeli esse dominum naturalem*. Ostenditur, Quia naturale dominium non intelligitur sine productione; atqui homo Angelum nullum produxit: ergo nulli præest imperio naturali.

TERTIO. *Cæli, Sydera, & naturalia Meteora, non subsunt Hominis naturali proprietatis dominio, possunt tamen.* Ostenditur; quia homo Cælos & Sydera non fecit: nihilominus si rem altè scrutemur, non reperiemus rationem, quæ ostendat, non posse Hominem donari virtute divinitus ut hæc & nobiliora possit educere de subjecti potentiâ naturali. Maxime cum cæli corruptibiles sint, & experientiâ constet posse humanitatis elementa produci, & omnia sublunaria converti & immutari.

120 **QUARTO.** *Homo non est dominus sui ipsius, nec habet in suam vitam dominium positivum seu proprietatis naturalis.* Probat hanc propositionem aliqui ex eo quod non possit sibi mortem consciscere sine peccato. Vnde arguunt sic. Si Homo esset Dominus suæ vitæ, se posset interimere; atqui nemo potest se occidere: ergo nemo est dominus vitæ suæ. Sed hæc ratio nec Ethnicum nec Christianum urget. Ille concessâ majori, minorem negat, ductus Philosophorum illustrissimorum sententiâ qui sibi mortem consciscere ut exercerent generosissimum actum virtutis. Iste majorem præmissam negaret; quia licet Homo esset suæ vitæ dominus, non se posset occidere contra præceptum domini; & demonstratur. Quia etiam sum actus interioris (puta charitatis) naturalis dominus; quem si lex validè indicat, licitè tollere non poterit. Confirmatur; Petro productori ac propterea domino alicujus bestiolæ, indicat Deus ne occidat; remanebit bestiolæ dominus, sed illam licitè occidere non poterit. Ergo ex eo, quod Petrus sibi mortem consciscens, peccet graviter; sequitur, non quidem carere vitæ suæ do-

minio; sed aut eo carere, aut dari præceptum homicidium hujusmodi interdicens.

Radicalis igitur ratio debet sumi ab ipsâ productione: Nam impossibile est dominum dici naturalem, qui rem non produxerit, cujus dicitur dominus; atqui homo non produxit se ipsum, & fortè nec potuit: ergo non est sui ipsius dominus naturalis. Illud fortè consultò addidi, quia probabile est posse hominem generare se ipsum; non tamen est probabile potuisse Deum se ipsum producere: & ostendo in Metaphysicis admittens in composito humano duas uniones.

QUINTO. *Sui ipsius & suæ vitæ est dominus usufructuarius.* Ostenditur, quia est dominus suarum operationum. Vide num. 122. ubi uberius hoc ipsum dominium examino.

DISPUT. VII.

De rebus in quas homo habet proprietatis naturalis dominium.

121 **POSITIVUM** naturalis proprietatis Dominium duplex est, Actuale & Habitale: illud, est ipsa rei productio; hoc est respectus (sive à productione distinguatur, sive non) post productionem perseverans. Ipsamet utriusque dominij essentialis connexio excursum hunc faciliat, imò & mentem cogit ne distinguat, quæ univoca natura connectit. Quæ de actuali dominio dixerò, de habituali dicta sunt; hoc enim necessariò subsequitur, & complectitur actuale virtualiter.

PRIMO. *Homo est verus & proprietarius dominus operationum immanentium, quæ dependent à suâ libertate.* Dominium opponitur necessitati; non enim dominari dicimur cum inviti aut saltem involuntarij aliquid aut habemus, aut facimus. Non est homo operationum dominus, quas necessariò elicit, nec illarum à quibus non potest cessare: Illis dominatur solummodò, quas voluntarius elicit, & quamdiu vult conservat. Ratio est; quia dominij idea non consistit in conceptu puro productionis aut conservationis, sed in conceptu productionis aut cōservationis liberæ. Idcirco es rei in fieri naturalis dominus

dominus quam liberè producis; es naturalis dominus rei in facto esse quamdiu rem à te productam liberè conservas in fluxu aut positivo aut negativo.

122 *Sed obijcis.* Homo non est dominus suæ animæ neque sui corporis: ergo nec operationum. Probas consequentiam; quia ad illum fructus pertinet ad quem ipsa substantia; igitur, si substantia hominis non pertineat ad eum, ut evidentissimè num. 120. probatum est, nec ad eum pertinebunt substantiæ fructus seu operationes.

Respondeo ex dictis numero 120. citato, hominem in se non habere dominium directum nec adæquatum aut plenum; bene tamen inadæquatum & utile, ac propterea esse tam dominum suarum operationum, quam conductor est fructuum conducti agri.

Sed replicas, dominium utile non nisi improprie & metaphoricè dominium dici; & testimonijs Soti, Valentia, & Conradi id probas. Sed tibi ego utile esse verum dominium, & me hoc superius persuasisse num. 88.

Infers, Ergo non est vocandus proprietarius immanentium operationum dominus, sed solum utilis. Et probas, quia ideò dicitur illarum dominus, quia habet dominium utile.

Respondeo, duò reperiri in homine, circa quæ dicitur habere dominium; substantia ipsa, nempe ipsa Humanitas, & operationes humana. Respectu Humanitatis usufructuarius est dominus non proprietarius, at verò respectu operationum habet plenum dominium. Proponam exemplum clarissimum. Conducis à Petro arboretum fructiferum, & ex vi conductionis Petrus manet verus & directus dominus substantiæ illarum arborum, illas enim Petro teneris conservare, non tibi: at verò jus destructionis locatione sopitur, non enim stante locatione illas posset Petrus aut deicere aut incendere: sed fructuum non esset Petrus plenus, vel inadæquatus, directus vel indirectus dominus, quia ob locationem omni jure in fructus, quod habere poterat, privatur. At tu arborum usufructuarius es, in illas habes dominium utile, non potes illas destruere, nec nomine proprio conserva-

re; fructuum verò non es inadæquatus, indirectus aut imperfectus dominus, sed perfectissimus: illos potes conservare tibi nomine proprio, illos perdere, illos vendere aut dare.

Subjungis, constare ex dictis hominem habere in suas actiones dominium, sed pure morale; & probas, quia dominium usufructuarius morale est, à contractu proveniens, quoniam præcidendo à contractu non est intelligibile dominium pure utile, aut usufructuarius.

Respondeo nomen *Moralitatis* rigore & late posse sumi; rigore enim sumptum, significat denominationem à publicâ lege proveniente; late autem & minus rigore etiam denominationem à lege privatâ subortam. Dicuntur dari contractus pure naturales, & tamen pactum lex est, sed privata: & tunc sumitur rigore nomen *Moralitatis*, aliàs enim pure naturales contractus dari non possent; iniri enim nequeunt sine privatâ lege. Igitur naturalis contractus definitur, *pactum, quod iniri inter partes, nullo jure morali valore adtribuente, aut negante.* His positis ad argumentum deveniendo, dico Deum corpus & animam, hominis prudentiæ commississe contractu pure naturali, nulli legi morali subdito, nulli contradicente; cumque homo ipse physicè producat & eliciat actus animi & corporis, non est cur moralis dominus dicatur, nisi velis *Moralitatis* nomen late accipere cum nos studemus vocum rigori & proprietati: manet igitur hominem esse suarum operationum dominum physicum plenum & proprietarium.

SECUNDO. *Homo est proprietarius suarum actionum substantialium naturalium dominus, ac propterea earundem terminorum.* **125**

Inter actiones naturales quas homo elicit, substantialis dicitur Generativa, quia tendit in substantiam: ejus terminus proles humana est, & potest definiri sic. *Hominis operatio substantialis & naturalis, est libera origo rationalis à rationali in similitudinem naturæ.* Filiorum corpora partes sunt corporum parentum secundum ordinem naturæ decidæ. Si pater esset proprietarius dominus sui corporis, & cum liberè filium produceret, non solum unionem, sed & ipsamet formam, seu animam

animam rationalem efficienter causaret, esset proprietarius & actualis dominus ejus *in fieri*, quia daret illi existentiam [nempe dispositivè, immediatè aut mediatè, eo sanè modo, quo est verum, quòd pater filio cõmunicet existentiam] quam posset non dare; ac propterea filius in fieri intelligeretur recipere existentiam subditam arbitrio & voluntati patris; ipse enim existere inciperet, sed sub dominio patris. Eiusdem filij *in facto esse*, esset habitualis dominus, ipsum enim produxisset & idè afficeretur paternitate, hoc est, naturalis dominij caractere; cui relativè corresponderet filiatio, quæ est character naturalis obsequij. Cæterùm cum corpora parentum, ex quibus filij corpus decidunt, eorundem non sint, nec parentes animæ rationalis productionem attingant, non suberunt parentibus filiorum corpora titulo dominij proprietarij, sed titulo dominij jurisdictionis, ut capite sequenti explicabimus.

Deus substantialiter Homines producit, substantialiter Angelos creat, & quia ex nihilo facit, illorum est proprietarius dominus, & ex vi dominij proprietarij potest illos conservare aut destruere pro suæ infinitæ voluntatis arbitrio, ut inferius uberiùs à num. 140. explicabimus.

124 TERTIO. *Homo est naturalis & proprietarius suarum actionum substantialium, etiam artificialium Dominus; ac subinde etiam terminorum.*

Arte converti naturas substantiales clarius est quàm probatione indigeat. Probabile est enim quatuor elementa distingui specie substantiali; probabile inquam, quoniam probabilius dicuntur non distingui substantiâ, sed solum primarijs accidentibus, quæ characterica vocamus; nihilominus elementa convertimus industriâ & arte. Ex aquâ aërem facimus calefactione, terram calcinatione; ex aëre aquam & postea terram compressione; ex omnibus corporibus ignem accensione: omnia enim convertibilia sunt, & eorum metamorphosis ingenio rationali obedit. Licet omnestransformationes metallorum & elementorum exoticæ à solis sint Philosophis examinata; lignorum, metallorum, lapidum & aliorum corporum conversio, quâ in

ignem transeunt, communissima est, & infantibus nota, quæ quidem substantialis probabiliter est, sed subdita ingenio & artificio humano.

125 QUARTO. *Quicumque ex corpore non alieno produxerit novam substantiam (puta metallum, lapidem, aquam, ignem, ex hypothese, quòd hi rerum ordines specie substantiali dissideant) est proprietarius verus & naturalis dominus substantiæ illius productæ.* Corpus non alienum illud est, quod ad operantem ante conversionem pertinebat, aut saltem non erat aliud. ITEM ex hypothese, quod dissideant specie charactericâ, quia hæc virtualiter substantialis est, & inferet dominium naturale virtualiter.

126 QUINTO. *Qui corrumpendo corpus quod suberat dominio alterius, eduxit formam substantialem, est verus & naturalis dominus substantiæ genitæ, & tenebitur satisfacere proximo pro damno illato.* Exempli causâ. Sunt argentum-vivum & stannum distincta specie: & Petrus arte chymicâ vulgari convertat stannum Pauli in argentum-vivum. Dico argentum-vivum arte genitum pertinere ad Petrum tamquam ad propriam causam & nullo modo ad Paulum: addo teneri eundem Petrum restituere Paulo non stannum, quia hoc jam perijt; sed stanni valorem. Addo hanc restitutionem involvere moralitatem, dat enim æquivalens, cum rem ipsam non possit.

Sanè in argento producto nihil esse, quod pertineat ad Paulum certum est; nam in sententiâ Durandi asserentis materiam individuari individuatione formæ [unde Durandistæ multi asserunt in conversione substantiali mutari numero materiam; hoc est, rerum conversiones non nisi trãsubstantiationes esse] stanni materia jam perijt, & loco ipsius successit alia numero distincta: & hæc, quæ successit, numquam fuit Pauli.

Præterea, si subscribamus D. Thomæ; materia existit & subsistit existentiam & subsistentiam formæ: ergò materia argenti geniti non habet existentiam quam materia stanni; atqui non pertinebat ad Paulum quâ materia erat, sed quâ existens: ergò quâ pertinebat ad Paulum perijt; patet consequentia, quia perijt existentiam

existentia stanni, quæ erat fundamentalis ratio pertinendi.

127 *Quin etiam, si sequamur eos, qui negant materiam primam, & asserunt substantias non-viventes esse simplices, dicere debemus stannum fuisse substantiam simplicem, & in argentum, quod etiam simplex substantia est, fuisse mutatum. esse corruptum totum subiectum, quod pertinebat ad Paulum; & Petri industriâ fuisse aliud genitum, quod debet pertinere ad Artificem.*

Abstrahendo igitur ab omnium opinionibus, dico primò formam stanni jam perijisse, & idè Paulum non habere jus, ut illam petat, posse tamen petere compensationem. Lico secundò materiam primam ad nullum directè pertinere, quia nemo illam directè producit, commutat, tradit, accipit, sed composita. Confirmatur; quia ex eo quod Genes. 1. Deus subjecerit directè omnes creaturas substantiales dominio hominis, sequitur illum eidem dominari moraliter, non physicè, & hinc agimus de physico rerum dominio. Præterea ex vi hujus donationis directè moraliter dominaretur compositis seu completis substantijs; accidentibus & primæ materiæ indirectè. nempe accidentibus quâ substantiæ ornamentis, materiæ autem & formæ quâ intrinsicis ejusdem partibus. Ergò Paulus non erat dominus materiæ primæ stanni, nec formæ substantialis constitutivæ, sed compositi utraq; coalescentis, quod supponitur jam perijisse. Petrus ergò teneretur dare Paulo stannum aut ejus valorem: illud non potest, ergò rependet hunc.

127 *Obijcis Petrum non produxisse argentum, sed eduxisse ex potentia materiæ convertendo subiectum antecedens. Ergò nihil de novo produxit, quod antea non fuisset productum; sed solum eduxit formam, quæ non fuerat educta. Atqui educere unam rem ex aliâ non est acquirere dominium: ergò nec Petrus dominus argenti educti dici potest. Minorem probas, quia si educere esset acquirere dominium, fures universi essent domini, quia supellecilia domo educunt.*

Sed hæc levia sunt, quia educere de potentia materiæ significat idem ac producere: quod si non adquiescas, non est

de voce disputandum acturo de rebus difficillimis. Esto educere formam de materiâ, non sit illam producere: at ex hac hypothese assero formas substantiales nõ educi; & sic præcluditur aditus quæstioni nominali. Cæterùm sunt circumstantiæ aliqua propter quas curiosâ translatione formæ dicuntur educi ex potentia materiali: expendo & explico in Metaphisicis Resolutionibus.

128 SEXTO. *Quicumque arte & industriâ produxerit animantes aliquos ex corpore non-viventi, erit naturalis dominus earundem animantium: quod si corpus corruptum fuerit alterius domini, tenebitur damnum resarcire.* Hoc ultimum constat ex dictis secundâ conclusione.

Hæc Resolutio supponit dari industriam gignendi animantes ex aliorum corporum putrefactione, asserente Magno Alberto Veget. 1. tract. 1. cap. 4. & alijs.

129 SEPTIMO. *Qui ova industriâ convertit in aves, est illarum naturalis dominus. Quid si hæc fuissent alius? tenebitur ipsi ova recompensare: avium autem productarum dominium ad illum pertinet cujus industriâ sunt productæ.*

Supponit hæc conclusio ova in aves converti ex diligentiam humanam: & hoc multifariam potest fieri, si illis calor modicus atque continuus adhibeatur, sunt enim ingenij tam facilis ut vel minimo calore coquantur, atque solida fiant. Docuerunt reliquas nationes Babylonij ovorum summam facilitatem, cum cõtempo coquorum inutili apparatu incaperunt sibi cruda ova præparare fundæ verigine, circumgyrando donec motu, qui calor est causa, coquerentur. Hoc inventum Cælius lib. 8. *Antiquitatum*, Suidas voce *Περίδραμύρες*, & alijs Ancupibus Babylonijs adtribuunt. Ergò calor ovis vivificandis necessarius debet esse remissior illo, qui intenditur à motu fundæ.

130 Talis est calor naturalis animalis cuiuslibet, ineptior quo intentior; sed quo vegetior & excitatior, aptior. Præstat calor, qui magis vividus, non qui magis fortis. Hoc utitur industria humana multifariam primò sequendo naturam, & ova supponendo matrici, quæ vivificet incubatione. Hoc quotidie fit, & vix aliter

aliter ova pullulescere contingit; est modus facillimus, quem sunt aves ab ipsamet naturâ edoctæ. *Secundò* quæcumque avis cujuscumque ova incubando vivificat, ut constat ex communi experienciâ, in quibus incubationis adulterijs non tam naturam sequi quam imitari, artifices censendi sunt. *Tertiò* etiam naturam imitantur, curiosius tamen, qui humano aut bestiarum calore ova fovent, & sine aviû interventu pullos insigniores excludunt. Monumentis æternitatis tradidit Suetonius, & Plinius *lib. 10. cap. 55.* Liviam Augusti uxorem Tiberij matrem nunc suâ nunc ancillæ manu tamdiu fovisse donec pullesceret, quod licet aliqui arti Manticæ adtribuant, naturali virtuti concedimus, qui causarum terrestrium vires altius examinavimus.

Favet pullorum exclusioni etiam artificialis calor proveniens à corporibus inanimatis. Sic nonnumquam solertes naturæ exploratores experti sunt stercore leni inclusa paucis diebus pullescere.

131 Dico igitur aves arte humanâ ex ovis quomodocumque exclusas subsistere Artificum dominio naturali. Ostenditur. Illæ existunt existentiâ ab homine liberè comunicatâ, qui eis ita vitam concessit ut & potuerit non concedere: ergò illi debetur earum vita tamquam liberæ causæ. Avis matrix, quoniam incapax dominij est, concurrat solum instrumentaliter ministrando calorem, homo autem ut causa principalis.

Cum homines ex ovis exclusos legimus, ridere debemus potius quam admirari, hoc enim humanitû fieri non potest; unde Poëtarum fabulæ vel explodendæ sunt vel exponendæ. Castorem & Pollucem dicunt veteres ex ovo natos, imò & addit Pausanias id ostendi apud Lacædemonios suspensum tænijs à testudine templi notante Erasmo in *Adagijs.* Cum de hujusmodi Ovigenis agunt antiqui, affirmant Iovem sub Cygni speciem Ledam oppressisse, hanc emisisse ovum ex quo Castor & Pollux exclusi sunt. Doctus à Lactantio Firmiano suppono Poëtas non fuisse mendaciorum textores, sed pictores curiosos qui coloribus pulchris exposuerunt latentes veritates. Ut ergò historiam adsequaris adno-

tato Cygnum fuisse Martis filium, duxit Ledam, quam Iupiter intensè amabat, exspes tamen quia despectus, imò quia inviûs. Qui muneribus, instantijs, querimonijs, minis, Ledæ adamantinam constantiam superare non poterat, noctis obductus tenebris se Cygnum Ledæ maritum simulat & ipsam fallit. Ecce Iovem in cygnum conversum: ecce Ledam ab homine sub cygni specie oppressam, quid aliud emissuram, si Poëtis placeat, quàm infantes sub specie ovi?

Si audiantur Neocles Crotoniaca & Herodotus Heracleotes, Helena fuit prognata ex ovo, imò omnes mulieres Silenitides: ideò sic dictæ quod hæc ova ceciderint de celo Lunæ. Placet tamen expositio Athenæi *lib. 2. cap. 17.* Clearchi in *amatorijs* ex quibus constat Græcarum gynæcea fuisse hemisphærio fornicata, & dicta si circularia Σελήνας, hoc est, Lunas, si ellipticæ Ψία, id est, ova. Græcæ igitur virgines egressæ ex cænaculis, ex ovis lunaribus, vel ex ovalibus lunis educi dicebantur: unde & occasio fabulæ.

Hæc dixerim curiositati studens, & bonis literis mysterijs gravidis. Exponenda ita sunt ut fieri potuerint, quæ ita dicuntur ut facta esse non possint. Si autem respicias Dei potentiam, male negabis divinitû fieri potuisse ut homo hominem ex ovo generaret. Materia ovi & hominis specie non differt: ergò & ovi materia non est incapax animi rationalis, quem à Deo creatum si Petrus in materiam dispositam induxerit, producet hominem non tamen sine magno miraculo. Cæterum miraculo hoc supposito homo sic productus deberet suam vitam Deo ut causæ universali extra leges naturæ miraculosè-concurrenti; Petro verò ut secundæ non instrumentali sed principalit: cum enim ultra vires naturales non sit hominem producere, non deberet Petrus asseri fuisse Dei instrumentum, sed secundæ causa; & miraculum constituisse, non in elevatione potentie productricis, sed in materiæ insolitâ præparatione. Subjungo Petrum esse hominis tali miraculo progeniti verum & naturalem patrem & dominum, non secus ac aliorum filiorum, qui gignuntur ordine naturali; ac propterea habere in filium sic genitum dominium,

dominium, non quidem proprietatis physicæ, sed physicæ jurisdictionis.

132 OCTAVO. *Qui seminat segetum, vel arborum, quæ inde enascuntur, est propriarius directè & positivè dominus, agri autem consiti, si is alterius non fuerit, redditur dominus naturalis indirectè & per accidens, nempe quamdiu segetes aut arbores illæ permanceant.*

Probatum clarè. Quia illarum est vera & physica causa, quæ deficiente illæ non essent. Ergò si humanâ industriâ, aut semen (quod actu secundo non vivit) aut excisus ramus (qui alias, si non fereretur aresceret) creverit in arborem aut herbam vegetam, debet suum esse factori; ergò & suberit illius dominio physico positivo actuali proprietario.

Illud quod addebatur de dominio indirecto in campum ostenditur. Quia illa omnia subsunt tibi indirectè, sine quibus non potest stare dominium directum: atqui sine campo non possunt arbores consistere; ergò, qui habet proprias arbores, quas ipse sevit, est indirectè dominus illius campi, in quo illæ consistunt.

Si ager erat alterius hominis, ineptè eo sine domini licentiâ fuit usus, nec seminatio illa poterit esse in causâ ut prior dominus cogatur suo agro non uti, etiam cum novarum segetum aut arborum destructione. Nec sufficeret recompensatio, quia cum ager verè prodest in rerum naturâ, poterit eum verus dominus justè repetere & non admittere compensationem, nisi fortè alicubi contrarium humanitûs indictum sit.

NONO. *Quicumque physicè & liberè produxerit partem alicujus elementi, dicens est illius physicus & positivus dominus.*

Supponit conclusio dari artem quæ elementa convertat, nempe aquam in aërem, hunc in ignem, aut è contrariò: quæ si non detur, tamen divinitûs communicari homini potest virtus elementorum commutatrix. Qui igitur elementum produceret liberè & ex industriâ, dici deberet ejus dominus; quia elementi esse & fieri supponitur ab Authoris arbitrio dependere.

Licet substantia & elementorum entitas esset improducibilis humanitûs, adhuc sustineri posset cõclusio: quia reperio

duplicem rerû productionem; alias enim res quæ bonæ, alias producuntur quæ utiles. Produci dicuntur quæ bonæ, cum earum dè entitas producitur: cum verò redduntur usibus humanis accomodæ, producuntur quæ utiles. Sed hanc secundam productionem virt ualem & moralem potius esse quam physicâ inferiûs demonstabo.

DECIMO. *Qui in fundo suo domum erexit, censendus est illius physicus & directus dominus.* 133

Hæc conclusio quintæ est similis, & eodem modo intelligenda. Domus physicè fit, & pertinet ad actorem tamquam ad causam effectricem & legitimum dominum; cujus, si quis curaverit à Latomis & Architectis edificari, sicut nec causa physica est, sic nec physicus dominus est nuncupandus; erit enim in tali casu dominus-moralis, quia non nisi moraliter (hoc est, aliorum interventu) fabricatus est. Dixi domum debere fieri in fundo proprio, (nempe vel positivè, ut cum fundi dominus arcem in eo edificat; vel negativè, ut cum domum erigit in loco deserto, nullius authoritati subdito; sive quod idem est, in loco non alieno) quia si in Petri prædio domum edificaret, Petrus posset vel invito artifice prædio suo uti, & artifex esset injustus rei alienæ usurpator.

Hinc patet quomodo homines adquisierint primum civitatum & regionum dominium. Surgit Insula deserta in Oceano, quæ à multis cognoscitur, & contemnitur ab universis: de continente analogicè phylosophator. Persona es libera & nemini obnoxia personaliter (vel quia Princeps supremus es, vel quia nullius subditus es; aut quia cedis bonis, ratione quorum alicui subdi tenebaris) illam Insulâ occupas, & tibi adproprias: nondum autem reperio rationem, quæ te reddat ejusdem dominum & proprietarium. Posset quidem supervenire Daniæ Rex, & velle illam habere etiam te invito. Vidisse priûs, priûs detexisse, priûs occupasse, adquisivisse dominium morale est, sed supponeris non invenisse, sed olim inventam occupasse; qui poteris fundare jus legitimi & veri dominij? Dicam breviter. Ingressus Insulam dominium non adquisis, quæ enim nullius censeba-

32
 cenfebatur, etiam nullius esse cenfebatur à te occupata. Bifariam ergò poterit illa tibi subijci, nempe moraliter, & physicè. Moraliter quidem, si ex omnium (qui inventionis titulo jus in illam habebant) consensu illam occupes; tunc enim reliqui suo jure cedunt, & tu unus illam invenisse tunc censendus es. Physicè etiam, si ab omnibus contemptam colueris & arboribus novis, & novis ædificijs ornaveris; tunc enim dicendus es illas plantasse, ista erexisse sine alterius injuriâ, ac propterea esse verus & legitimus dominus habens jus directum in eisdem arboribus & domibus; & indirectum in territorio, sine quo neutra possunt subsistere. Ergò Dania Rex, si hanc Insulam successu temporis invadat, bellum injustum geret; poterisque tu justissimè defendere arbores quas plantasti, agros quos arasti, hortos quos coluisti, arces quas erexisti, fluviolos quos duxisti, urbes quas fundasti; hæc enim omnia directè tua sunt. Quæ cum sine territorio subsistere non possint, poteris indirectè & per accidens etiam territorium defendere.

Vt hoc altiùs intelligas, dicis, ex hac doctrinâ sequi Danię Regem arceri posse ab omnibus partibus insulæ, quæ cultæ sint (nempe aut ornatae novis arboribus, aut nobilitatæ ædificijs) non verò ab alijs incultis regionibus. Et probas, quia tota ratio propter quam diceris territorij dominus, consistit in arboribus & ædificijs; sed hæc ratio non habet locum in locis dictæ insulæ incultis; illorum igitur nec tu dicendus venis dominus, nec Danus venit abigendus.

Respondeo, te esse verum legitimum & directum dominum arborum plantarum, arcium, & civitatum, quæ te Authorem cognoscunt; indirectè defendere omnia illa posse sine quibus dominium illud tuum stare non possit: cumque id periclitetur, si Daniæ Rex, aut alius potens Monarcha insulæ legat littora, aut plagas incultas penetret: poteris eum à tuis oris arcere; nec eum teneberis admittere nisi priùs foedere stabilito, & hoc juxta tuam voluntatem. Nec requiritur, ut periculum instans sit evidens, sufficeret enim probabile, imò & dubium. Pro-

babile quidem, quia conscientia tutissima est, cum sequitur partem probabilem, ut communis sententia docet, & ego persuadeo & confirmo Authorum testimonijs in meo Comment. in Reg. Benedict. num. 51. Dubium autem periculum etiã sufficeret, quia in dubijs proximus es ipsemet tibi, nec teneris te fortuna ambigua exponere.

15
 VNDECIMO. Qui in re alienâ produxeris aliquid accidens corruptivum (nempe; vel nocivum physicè, quales sunt morbi & indispositiones; vel nocivum moraliter, quale esset, si produceretur justè invito domino illius rei) non es illius accidentis producti dominus.

Patet; quia dominium proprietatis imbibit jus conservandi & destruendi pro domini placito; atqui illud accidens conservare licitè non potes: ergò non es dominus proprietarius illius. Minorem probo. Illud licitè potes facere, quod sine alius injuriâ; sed accidens illud sine alius injuriâ conservare non potes: ergò nec licitè. Probo minorem. Dispositio ad corruptionem est inchoata corruptio: ergò solus dominus proprietarius potest inchoare aut complere corruptionem rei possessæ: ergò cum incipis illam corrumpere illo invito, eidem injuriam facis. Iniquè igitur procedis, qui equo alieno aliquid nocivum & corruptivum præbes.

136
 DVO DECIMO. Qui in re alienâ, cujus usum fructum habes, accidens quod nullum inferat detrimentum, producis, non adquiris dominium rei alienæ, in quâ producis tale accidens; bene tamen in ipsomet accidens productum. Prima pars suadet: Nam argento non est nocivus mediocris calor, & tamen qui alienum argentum calefaceret, non redderetur illius naturalis & proprietarius dominus. Secunda etiam probatur: Nam illo calore sic producto posses uti eum conservando aut remittendo, quamdiu nihil resultaret in detrimentum domini.

Dices, hinc sequi calefacientem argentum acquirere indirectè dominium in ipsamet argenti substantiam, & probas, quia acquirit directè in calorem illum, qui sine argento stare non potest.

Respondeo in accidentia nociva dominium non acquiri, illudque tunc incipere esse primo possessori nocivum, cum primum

primum dicatur indirectum dominium in rem ipsam inferre. Fœdiciarius enim potest uti re secundum beneplacitum domini; hic autem non permittit illi usum, ex quo dominij proprietates indirectè sequatur. Igitur, si ex talis accidentis dominio sequeretur indirectè dominium rei ipsius, cessaret questio, quia illius accidentis productio noceret proprietario dominio, & noceret rei quæ jure proprietatis possessæ, adeoque produceretur injustè, nec posset justo titulo possideri.

DISPUT. VIII.

De potestate destructivâ directâ.

137
 L A TIVS patet potentia quàm potestatis. Potentiam destructivam illi omnes habent qui vim; potestatem verò, soli qui autoritatem. Cainus non occidisset Abelum, ni vires & potentiam habuisset; nec peccasset; si habuisset potestatem. Dicam igitur potentiam destructivam esse, vires physicas aut morales quibus potest res destrui jure vel injuriâ: subjungam potestatem destructivam esse, potentiam destructivam, quæ nascitur ex vero dominio. Hæc potestas nunquam nominatur *authoritas*. Dividitur in purè physicam, purè moralem, & mixtam. Habet purè physicam, qui habet potestatem naturalem destruendi naturaliter. Habet purè moralem, qui habet moralem autoritatem destruendi moraliter; hoc est, vendendi, dandi, proscribendi, &c. Mixtam autem, qui habet autoritatem moralem destruendi physicè, qualem habet qui emit arietem, qui ex titulo morali habet quod illum possit physicè occidere. Utitur morali autoritate destruendi physicè Respublica, cum indicit Licitori ut aliquem reum plectat capite. Probatur; quia plectere, est destructio physica; & indicare, actus moralis autoritatis est. utitur autem autoritate morali destruendi moraliter, cum jubet Magistratui ut aliquem in exilium mittens privet vitâ morali: exilium enim non physica, sed civilis mors est.

138
 Utraque destructiva autoritas, videlicet physica & moralis, est proprietates dominij ut sic, abstracti à physico & morali, & æquè ab uno & ab altero emanat. Quia sicut

physicus aquilæ dominus potest illam occidendo, destruere physicè; & dando, vendendo, dimittendo, destruere moraliter: sic etiam moralis dominus (talis est qui eam vel gratis vel pretio à priori domino recipit) poterit illam occidere, dimittere, vendere, donare.

Omissis igitur moralitatibus, quæ rerum physicarum instar debent exponi, dicendum est destruendi physicam potestatem esse entitatem physicam extrinsecè distinctam à dominio habituali. Sit exemplo patria autoritas ad mentem veterum dico, quia nos illam ratione forti ad jurisdictionem limitamus. Si igitur Gentilium sententias sequamur, autoritate patriâ majorem non concessit natura, nec Legislatores cognoverunt. Pater est dominus actualis filij, quando generat; liberè enim producit, quem non producere etiam posset. Ecce dominium actuale illi competit, qui ita vitam concedit filio, ut & non concedere etiam posset. Actualis dominij pedisequum est habituale, & hoc est respectus permanens in generante & reddens illum dominum rei genitæ. Posito hoc respectu activo resultat in termino respectus aliquis passivus, qui est character physicæ servitutis, testificans illum non esse sui sed agentis. Adamus genuit Sethum, & genuit liberè, potuit enim non generare, ideo *generationis* titulo fuit ipsius dominus primariò & actualiter cum illum producebat. Post generationem reperitur in Adamo *Paternitas*, quæ vel entitativè est ipsa generatio permanens, vel est relatio quæ resultat. Hæc Sethum respicit; & Adamum constituit dominum habituale, & hoc intrinsecè: denominat tamen extrinsecè Sethum filium, hoc est, physicè-subditum. Ne autem Sethus crederet esse merè extrinsecam hanc servitutem, natura rerum parens disposuit, ut afficeretur intrinsecè characterè reali physicæ & veræ servitutis, & hic est *Filiatio*, quæ Sethus intrinsecè subditur arbitrio Adam. Sicut generatio libera, seu actuale dominium includebat vitæ communicationem cum potentia nō communicandis: sic similiter habituale dominium includit liberam vitæ conservationem cum potestate non

state non-conservandi : hæc non-conservandi potestas, dicitur *potestas destruetiva*. Hæc dicta sint ad mentem Philosophorum veterum : sed quia nos auctoritati patriæ proprietatis dominium non adscribimus, credentes parentes non habere proprietatem in filios, sed jurisdictionem; aliud aptius exemplum subjungamus.

Cum Petrus liber & suarum actionum dominus aliquam picturam delineat, delineat liberè, hoc est, ita delineat, ut non delineare etiam possit. Cum delineat actu, actualis proprietatis dominium in picturam ipsissimam habet : cum verò absolvit, habitualis. Dum imaginabat, poterat concedere & negare existentiam picturæ; potest jam factæ. Iure enim productionis imbibitur non solum conservandi & possidendi picturam auctoritas, sed etiam destruendi.

De potestate destruetivâ indirectâ.

139 **P**æter jus directum, quod physicum est, & in physica proprietatis dominio fundatur, reperio etiam indirectum jus interimendi & destruendi. Habeo jus conservandi meam vitam concessam à Deo; ipsi subdor ut domino, paratus vivere, paratus mori, cum suæ Divinæ Majestati placuerit. Sed si vitam divinitus mihi commissam invadas, injustè invades, justè illam protegam. Tua præceps malitia in causâ erit, quod adquiram indirectum & partiale dominium in tuam vitam, & potestatem te occidendi. Sanè *indirectum*; quia ego directè me defendam, etiam cum te occidero: *partiale*; quia plenum & totale dominium est jus conservandi & destruendi, & ego jus destruendi in vasorem habeo, at servandi non habeo; supponitur enim esse talis aggressor, qui servari non possit me servato. Ut hanc doctrinam illustrem subjiciam unum vel alterum casum notabilem.

Anselmus provincie N. supremus Iudex Albericum testem rigidè examinabat; ille urbanè sed crudè respondebat, sciens multa solere sanctè peti, quæ possent & sanctè negari. Alberico Anselmus, videas, inquit, qui loquaris, & me esse supremum Iudicem, tuamque vitam & mortem à meo unico decreto dependere cognoscas. Albericus Anselmo:

Quamdiu justè processero; ait, solum Deum timeo, mptote meum proprietarium Dominum; Regem meum, tametsi maximum, non moror; non enim illum cognosco directum vitæ dominum, sed indirectum. Non est Regi liberum me posse servari aut occidi; nec me innocentem ille potest occidere, nec me invitum efficere nocentem; & tu, Iudex inique, effutire audes meam vitam & mortem à tuo unico decreto dependere? Aut fallor, aut contra mentem loqueris; si enim putarem esse aliquem hominem (nullum excipio) qui se meæ vitæ proprietarium dominum gloriaretur, si meum jus aliter propugnare non possem, illum illicò occiderem; meæ enim vitæ dominus proprietarius & plenus, Deus; usufructuarius, ego; & quicumque in me innocentem vitæ & mortis jus adrogat, invasor. *Petit*ur quali censurâ sint Alberici verba perstringenda. **RESPONDEO** non solum mihi sed & multis Doctoribus fuisse proposita, & omnium calculo generosa, sed vera judicata. Respublica enim, nec Princeps, licet ejusdem caput habet dominium in vitas subditorum suorum, asserentibus D. Thomâ *quest. 54. art. 3. ad 2. & quest. 64. art. 5. ad 1. & 3.* Caietano *quest. 73. art. 3.* Victoriâ *relect. de homic. num. 23.* Soto 4. *de just. quest. 2. art. 3.* Valentiâ *quest. 10. punct. 1.* Aragonio, Bañez, Lestio, Dicastillo, & alijs; quorum doctrina fundatur Sapientie 16. 13. *Tu es enim Domine (Deus) qui vitæ & mortis habes potestatem, & Exodi 21. 20. Qui percusserit servum suum (majorem auctoritatem habemus in servos quam in vasallos) vel ancillam virgâ, & mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit.*

Ad pedes tuos provolutus Ambrosius se sacramentaliter accusat, quod excesserit limites inculpatae tutelæ; occidit enim Paulum invasorem, quem potuisset servare, nimirum fortior minus fortem. **RESPONDEO** inculpatae tutelæ moderamen rarè habere locum inter strictos enses. nulla ibi fortiori securitas, nulla industriori; casus sunt varij, & fortissimi viri sæpè ab homuncionibus occisi. in summo enim pereundi periculo est, qui contemnit vires sui inimici. Occidere aliquem sine necessitate iniquum est, & sine necessitate

necessitate occiditur, cujus mortem tutela inculpata non exigit: sed velim doceri quæ est illa inculpata tutela, quæ invasoris mortem non exigit, quando enses stricti decusantur? Si evidenter scias te non iri graviter læsum ab invasore, illum occidere non potes; sed videre vellem præmissas per se notas ex quibus illa scientia evidenter nascatur.

DISPUT. IX.

An possit Deus hominem morte damnare sine causâ?

240 **M**ORTIS nomine terrenam & æternam intelligo, & si de temporali loquamur, non modò in nostrâ hypothese potest, sed & quotidie facit, nulla enim datur causa divinæ voluntatis. Multi antequam nascantur moriuntur, nec actualem culpam habent, quam luant; & si ad originalem recurras, proponam baptizatos innumeros, qui ante usum rationis devixerunt. Proscripsit Deus illos à mundo, non propter actuales culpas, quas non commisisse supponuntur; non propter committendas, quia non judicantur quæ fierent, sed quæ facta: non propter originalem labem, quia hæc baptismate delata supponitur. De medio tamen ante usum rationis tolluntur, quia sic Creatori placuit. Vitæ & salutis Deus dominus naturalis est: dat mutuam homini cui vult, & quando vult, repetendam tamen cum voluerit. Probat hanc resolutionem Evangelica Historia, quam expendit Ioannes *sub initium noni.* **LESVS** septus Apostolorum coronâ & discipulorum multitudine occurrit homini ceco à nativitate. Admirantur discipuli, & inquirunt. *Rabbi; quis peccavit; hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur.* Sed illis Christus Dominus. *Neque hic peccavit, inquit; neque parentes ejus; sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Patetur ergò Christus huic homini Deum negavisse oculos, excellentissimam corporis partem, non tamen in peccatorum pœnam, sed in Authoris gloriam. Quod de oculis dixit, possumus dicere de morte & vitâ.

241 Per peccatum ingressa mors in orbem terrarum, hoc est, pœna mortis, & mo-

riendi debitum, non autem moriendæ necessitas: quia stando legibus absolutis Dei posset peccator non mori, & sanctus mori; imò & annihilari. Peccarunt Angeli & delati non sunt, qui deleri potuissent, & iterum etiam reproduci: peccarunt homines, condemnantur morte à Deo justo; resurgent, quia qui reprobis justus est, est misericors & clemens electis: resurgent, inquam, boni ad complementum extensivum gloriæ, & mali ad complementum pœnæ. Non idèo potentior Deus est, quia peccavit Adamus; nocentem occidit in pœnam, justum occidere posset in præmium, imò & hodie ipsa iustorum mors ita est peccati pœna, ut & involvat præmij pretium, quia ut Ecclesia concinit, *Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Sed hæc sufficiant in præsentem, hanc enim quætionem uberius cum de Omnipotentia objecto tracto.

De morte æterna.

142 **M**ors æterna status infelicitatis est, exuberans multis miserijs. Primo loco recensio carentiam visionis beatificæ, secundo dolores immortales, qui licet summi sunt, dulcescunt si cum æterni exilij amaritudine debeant comparari. Ioannes Chrysostomus super Matth. Homil. 33. *Decem mille quis ponat gehennas, nihil tale dicet quale est à beatâ gloriâ excidere.* Et ibidem. *Multi gehennam abhorrent; ego autem casum illius gloriæ multo-majorem gehenna pœnâ aio.* Concomitatur culpæ reatus, peccati macula, conscientia vermis corrodens cor & fatigans memoriam. Dei furor, indignatio, vindicta. His positus fit conclusio.

143 *Prima. Deus posset negare gloriâ lumen, & beatitudinem supernaturalem cuicumque homini.* Patet, quia quam gloriam gratis daret, etiam gratis negare aut adimere posset. Nec posset dici negare præmium meritis, quia agimus ex hypothese præcidente ab omni promissione & pacto.

144 *Secunda. Deus posset addicere pro libitu quemcumque æternis cruciatibus.* Qui vestigijs Episcopi Hipponensis insistant, sic assertionem probant. Posset Deus, inquirunt, sponte annihilare; ergò & cruciatibus æternis addicere. Antecedens demonstrat ipsa Dei omnipotentia, quæ nos crea-

nos creavit liberè, & nos liberè etiam conservat: potest igitur nos non conservare. Cæterum, si non conservaret, in nihilum redigeremur; quoniam non-conservatio formaliter annihilatio est. Probatur consequentia. Clemens sententiæ moderatio est, pœnâ minori condemnare, illum quem possemus delere; idè clemens servitutis sententia, quæ servat (inde nomini occasio) inimicum captivum, qui jure belli occidi posset. Atqui Deus omnes homines potest delere: ergò & affligere malo minori: Atqui cruciari doloribus mitius est quam annihilari: ergò. Minorem admitti ab Augustino putant, quotquot navant operam ejus divinæ scholæ. Sed Bernardo durum videtur damnationem æternâ adnihilationi præponi: & idè ego ut Theſin probem ad absolutum Dei Dominium recurro.

245 Tertia. Non posset Deus facere ut angeretur animus conscientia verbe, reatus memoriâ, criminis turpitudine. Patet, quoniam in illâ hypotheti (nimirum, quod innocens affligeretur) reatus, culpæ, & crimina non essent. Hinc constat illud Dei adtributum, quod *Iustitia vindicari* dicitur, cujus actus sunt furor, indignatio, punitio, non posse contra innocentem agere; quia sicut in animâ innocenti quæ tali peccata intelligi non possunt; sic nec supplicia aut pœnæ. Unde sit

246 Ultima conclusio. Non potest Deus hominem aliquem vel minimâ pœnâ damnare sine causâ. Demonstratur; quia pœna & præmium respiciunt culpam & meritum ut necessaria connotata; ergò sicut non potest Deus facere Patrem sine Filio, nec totum sine partibus, nec numerum sine unitatibus: sic similiter nec poterit innocentem punire, nec reum præmio donare.

DISPUT. X.

De hominis naturali dominio in semetipsum. sitne vitæ suæ dominus proprietarius?

247 S I Homo licitè se occideret cum vellet, optimè probaretur esse suæ vitæ dominus: licere autem se ipsū occidere voluerunt veteres suadere, quo-

rum rationes, quoniam plausibiles apparent, egent satisfactione.

Ethnicorum rationes pro mortis & vitæ libertate.

O Pinati sunt multi Græci Philosophi licere cuilibet sibi mortem consciscere, imo & expedire liberari miseriarum ergastulo quacumque ex causâ. Cleantes, Chrysippus, Zeno, & multi alij spontè valedixerunt mundo, ut æterni triumpharent in cælo credentes Platoni, qui Phædonem scripsit ostendentem immortalitatem animarum: Lactantius *libr. 3. de falsâ religione cap. 18.* Immortalitatis etiam ambitione Cleombrotus, (alij Theombrotum nominant) natione Ambraciotes Academicæ Philosophiæ studiosus se præcipitem dedit. Legi apud Lactantium, sed hic habuerat ab Ovidio

in Ibin.
*Vel de præcipiti veniens in tartara saxo,
Ut qui Socraticum de nece legit Opus.*

Commendavit antiquitas Cleombroti Philosophicam resolutionem, quam Callimachus celebravit felicissimo carmine, teste Cicerone *lib. 1. quæst. Tusc.*

Hos fefellit veræ immortalitatis ambitio, sed Empedoclem æternitas opinionis & famæ. Æthnæ cryptam insiliit, ut crederetur à Dijs adlectus & in cælum translatus.

Etiam gloriæ ambitione Peregrinus, Philosophus Cynicus in pyram flagrantem Olympiæ se conjecit, asserente Luciano.

Legum observandarum causâ Legislator Charondas Tyrius è vitâ discessit voluntarius. Indixerat sub pœnâ ultimâ ut omnes inermes ad concionem accederent, tamen ipse ex inadvertentiâ aliter fecit. Ab amicis admonitus, nè contemptor publicæ legis videretur, sibi mortem conscivit, & donavit admiratione subditos, cineres plausu, legem perennitate. Legi in Valerio Maximo de *Iustitiâ.*

Castitatis candorem sanguine suo illustriorem reddidit Lucretia confossa propriâ manu. Publica historia est, nec Authoribus indiget: qui autem leges Eusebium in *Histor. Eccles.* & Nicæphorum *lib. 7. cap. 21.* reperies aliam Romanam Lucretiam,

Lucretiam, sed veteri puriorem. A Tarquino oppressa, imò violata fuit Lucretia, & non omninò involuntaria, quoniam dedecoris timore acta consensit temeritati Regiæ. Se adultera occidit, ut crimen sanguine expiaret. Sophronia Matrona Romana à Principe Decio opprimenda consentiente marito se occidit. Verè non quia fuerat adultera, sed ne esset. Maluit devivere ante crimen, quàm adulterio etiam involuntario superesse. Legitur etiam apud Senecam in *Medea* Alcestin filiam Perilai se transfixisse in testimonium amoris connubialis. Cum suum conjugem Acastum moribundum respiceret, voluit aut ipsum prævenire, aut saltim comitari; aut, si malis subornare Manes, ut animam agenti parcerent. Aria Ariæ mater, ne Pætum maritum suum morte condemnatum carnificis crudelitati subditum cogeretur respicere, se transfixit; & gladium viscera confodere edoctum conjugi tradidit. *Martialis lib. 1. Casta suo gladium cum traderet Aria Pæto,
Quam de visceribus traxerat ipse suis:
Siqua fides, vulnus quod feci, nõ dolet, inquit;
Sed quod tu facies, hoc mihi Pæte dolet.* Multorum vitas Patriæ amor non solum armatus manu hostili, sed & amicâ, imò & propriâ delevit. Thebaidos primo Statius meminit Menæcei, qui se confodit, ut Thebas liberaret.

Omitto reliquos, qui aliarum virtutum observantiâ sponte è vitâ dicefferunt, quorum exitus genethlia fuit nominis sempiterni. Non libuit recensere illos, qui odio Patriæ, amicorum, morbi impatientiâ, furore, amentia, scelertum conscientia, stimulante ambitione, pudore confundente, ignobili metu turbante, quoniam & actus similes ipsimet veteres condemnaverunt, qui laudabant mortem honestâ, nec tali nomine dignam asserabant quæ non virtutis soboles. Hæc vocarunt *αὐτοκτονίαν*, hoc est, *educere se ex vitâ cum laude*, vel ut lemma Gustavi Suecorum Regis transtulit, *Pulchrum mori*. quoniam *ἐξαιεῖν ἑαυτὸν* sonat *extrahere se ex hac vita tamquam ex carcere & custodia.*

Horum & plurium quos omisi, auctoritas suadere videretur esse licitum sibi mortem consciscere; rationes Iustus Li-

pius tetigit in *Traſea*, & *epist. xxii. Centuria 11. miscellanea*, sed pro veterum mente, & Stoicis adhærens, qui asserabant vitam arbitrij nostri esse, si honesto fine.

Primo igitur suaderi potest. Virtutis exercitium semper fuit commendabile; cumque constantia virtus sit, ejus praxis condemnari non potest. Atqui sibi mortem consciscere, est actus primarius fortitudinis, constantia primogenita soboles: ergò & licet.

Secundo. Neccesitas legi non subest; sed sæpè mortem sponte oppetere necessarium est: non est igitur lex quæ talem actionem interdicit. Ergò unusquisque suæ morti & vitæ dominatur. Major est certa, assumptionem suades: Tenetur homo honestè vivere, ergò tenetur è vitâ egredi ne ignominiosè vivat. Et confirmatur ex contrariâ sententiâ. Qui tenetur tueri propriam vitam, non poteris in domo vacillanti & periclitanti remanere, sed debes egredi antequam collabatur, ne vitam perdas. Atqui immortalis animus tenetur honorem tueri & defendere, habitat in corporis ergastulo ob cujus consortium ignominiarum capax redditur. Ergò qui ignominiam prævidet, si sententiam exspectet, deferat corpus ante illatam, fiat dedecoris incapax vitæ excedens.

RESOLUTIO.

NON se produxit homo, ideoque non habet in se; hoc est, in suam vitam naturale proprietarium dominium. qui se occidit, injustè operatur; destruit enim rem alienam invito, imò lege expressâ contradicente vero domino. Nam destruit vitam titulo proprietarij dominij Deo subditam, ipsomet Deo in quinto Decalogi inhibente. Scripturarum & sanctorum Patrum testimonio, homo vitam mutuam accipit à Deo, sine cujus licentiâ illam destruere non potest. Sapient. 16. 13. *Tu es enim Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem.* Subscribit D. Thomas *quæst. 54. art. 3. ad 2. & quæst. 64. art. 5. ad 1. & 3.* Caietanus *quæst. 73. art. 3.* Victoria *relect. de homicid. num. 23.* Sotus *4. de Inst. quæst. 2. & 3.* Valentia *quæst. 10. punct. 1.* Aragonius & Bañez *quæst. 66. Dicastillus de just. lib. 2. tract. 1.*

tract. 1. disp. 1. num. 94. & alij.

Argumentis satis.

Nec adlata pro contrariâ sententiâ alicujus sunt roboris. omnia enim exempla, quibus vitæ & mortis libertas suadebatur, condemnatio, omnesque illos Philosophos, quos indocta celebravit antiquitas, violati juris divini reos ago. Omnis igitur autoritatibus ad rationes succedens,

Primam examino, & admitto virtutis exercitium condemnari non posse; nego autem sese consciscere esse primarium actum fortitudinem, nam demonstrante Senecâ sese soli occidunt pusillanimes, illi qui non sunt imminentibus malis tolerandis. qui enim superiores sunt imminenti infortunio non tentant tali viâ miserias instantes evadere.

Ad secundam nego posse dari casum præter præceptum Dei, in quo sit necessarium mortem subire illatam propriâ manu. Ad probationem admitto debere homines honeste vivere, nego debere devivere ne ignominiosè vivant: ratio est, quia non est mors medium aptum ad evadendam ignominiam, bene enim comparitur cum honore vita, si bonis moribus imbuta; & si bene consideretur, infame est sibi mortem consciscere, est enim irrationale facinus belluino crudelius.

Sed quia etiam in sacris literis & Catholicorum historijs actiones nonnullæ reperiuntur, quæ videntur tueri mortis & vitæ libertatem placuit adhuc clausulas sequentes subijcere.

De Samfone.

149 **M**irabilis est Samsonis historia, quam Liber Iudicum expendit. Nascitur Angelicâ legatione prædicitur, matris prius, posterius patri: & natus benedicitur à Domino, Iud. 13. Hæc benedictio tantis eum armavit viribus, ut potuerit leonem lacerare, Iud. 14. mille Philistæos solus & inermis prosternere, Iud. 15. & Gazæ urbis balbas benè-æratas abrumperet, & invitis cardinibus extrahere, & in montem subvehere, Iud. 16. Hæc virtus fuerat non solum miraculosè indita, sed & miraculosè conservata. Capillis verè debilius nihil, idè in illis con-

stituit Dominus vires Herculeas, ut ostenderet suam omnipotentiam. Invictas Samson vires, non à robustæ vitæ fonte corde, non à cerebro nobilissimâ sensuum scaturigine; sed à capillis debilissimâ totius corporis parte participabat: ut eas non adtribueret fragilitati eorum, qui tonsoris forcibus cesserunt, sed Deo divinitus communicanti. Dalilæ uxoris fraude enervatus capitur, obcæcatur majoris securitatis causâ, detruditur in carcerem, & addicitur torquendo saxo, convicijs affligitur, opprobrium hominum & objectio plebis reputatur. Cum jam capilli excisi renasci cœperant Philistæi Satrapæ conventus diem indicunt, ut Dagoni Deo suo in epulis & sacrificijs gratias agerent. Præcipientibus Primoribus confusum vulgus consonans, ingeminabat;

Tradidit ecce Deus nobis Dagon optimus hoste Samsonem, lachrymis succedant gaudia fufis.

Reboantes promiscui vulgi voces fornices Palatij resumebant, ita ut tæderet Samsonem vitæ suæ expositæ tali confusione. Apprehendit duas columnas Atlantes totius domus, & invocato domino diruit, domum totam subvertit, & interim se & quasi ter mille alios, qui aut illi illudebant, aut illam scenam spectabant.

Historia est curiosis dubijs grava, sed indiget altiori expositione.

Prima hujus actionis ponderatio.

Non defuerunt severi expositores, qui actionem Samsonis condemnarent, asserentes illam fuisse præcipitem & mortis propriæ veram necnon directam causam, nec excusari posse à culpâ gravi.

Quod si objicias hoc facinus fuisse præstitum invocato domino, literam meditantur. Sacer textus Iud. 16. 28. sic habet. Ille (nempe Samson) invocato domino ait: Domine Deus, memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis, & pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam. Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dexterâ, & alteram levâ tenens, ait; moriatur anima mea cum Philistæim: concussit fortiter columnas cecidit domus super omnes Principes

Principes & cateram multitudinem, quæ ibi erat: multoque plures interfecit moriens, quàm ante virum occiderat.

Ex his verbis contra Samsonis sanctitatem arguunt; Primò. Quia bene dicitur Samsonem petijisse à Deo licentiam, non tamè asseritur concessâ fuisse: ergò præsumendum est Deum talem ipsi licentiam denegasse; quia si concessisset non subtrahissent sacre literæ circumstantiam, quæ esset verè necessaria ostendendæ ejus ingenuitati.

Secundò. Nec ipsa oratio carere videtur reprehensione & amore vindictæ: volebat enim se ulcisci de inimicis. Vindicta autem ex suo genere culpa moralis est, reddens malum pro malo.

Tertiò. Illa verba ultima quæ Samson protulit desperationem arguunt, Moriatur anima mea, inquit, cum Philistæim. Ergò & sibi non solum corporis, sed & animæ mortem apprecatur.

Quartò. Ne quis dicat eum directè occidisse Philistæos & indirectè se, prius sibi optavit mortem quàm illis: se igitur persequebatur directè, Satrapas & alios indirectè. Ergò inexcusabilis est furor ille quo sibi mortem conscivit.

Expositio secunda.

151 **A**lij asserunt Samsonem se indirectè occidisse, & Philistæos directè. Illustrant exemplo communissimo. Multi naucleri Christiani, ne subsint imperio inimicorum & ne ipsi spolijs suis potentiores reddantur, accenso pyrio pulvere directè navim perdunt, indirectè seipos. Videmus tabellarios in mare exsilire, ne hostes discerent politica arcana: ergò similiter potuit Samson collidere ædificij columnas, arcem illam subvertere & intendere Satraparum excidium etiam cum vitæ propriæ dispendio.

Multa valde dubia supponit hæc secunda expositio, multa valde periculosa & obnoxia summis inconvenientibus, idcirco missam illam faciens genuinam resolutionem dabo.

Expositio tertia.

152 **G**ermana historia Samsonicæ explicatio ejus ingenuitatem tuetur, & asserit eum se occidisse aut per se aut per accidens, directè aut indirectè, sed ex divinâ permissione. Licentiâ à Deo petijisse

constat, illam fuisse concessam colligo ex multis circumstantijs præcipuè tamen à viribus quas divinitus adeptus est. Petenti enim robur ut domum illam subverteret & se & Philistæos occideret, concessit illud Deus miraculosè; si enim illud non concederetur divinitus, diruendæ domui non sufficerent vires Samsonis naturales: obtinuit igitur Samson licentiam, ut se occidens deleret Philistæorum Primores. Non ergò arguendus venit, qui se de medio sustulit obtentâ facultate à domino, & hæc sunt satisfactioni argumentum primo.

Ad secundum dico ultionem & vindictam posse bifariam sumi; nempe, ut medium respiciens bonum publicum, & ut finem seu scopum actionum humanarum. Samson non intendebat vindictam ut finem, sed eligebat ut medium: nempe optabat mortem Philistæis non in eorum ruinam solummodo, sed utilitatem publicam, & divini nominis exaltationem.

Ad tertium assero phrasin illam Moriatur anima mea æquivalere huic Moriatur vita mea, quia nomen Anima non pro rationali animo, sed pro vitâ corporeâ sumitur, & aliquando pro viventi. Occurrunt multa sacre Scripturæ testimonia in solidam asserti probationem. Sed sufficiant verba Principis à Abrahamo devicti & dicentis, Da mihi animas, cetera tolle tibi.

Ad ultimum. Sive dicatur Samsonem se directè occidisse, sive indirectè, statuedum est ipsum non peccavisse. Ratio est, quia non imputantur actiones indirectæ, & Samson potuit se directè occidere, habuit enim à Deo concessam facultatem: quâ licentiâ suppositâ sequitur illum non peccavisse.

De Filio Prophetarum.

153 **L**egimus tertij Regum vigesimo, quempiam ex Filijs Prophetarum (Religiosi erant veteris testamenti, de quibus disputo Commentarij in Reg. Benedictionam num. 165.) jussus à domino dixisse socio suo; Percute me. Obstupuit alter, & percutere noluit. Cui ait, Quia noluisti audire vocem domini, ecce recedes à me, & percutiet te leo. Et fuerunt verba practica,

practica; quia discedens inde occurrit leoni crudelissimo, & dilaniatus est. Sed & Prophetarum Filius socio alteri, *Percute me*; ille satisfaciens Divino indicto vulneravit.

Hic notandum est, primò se hunc Prophetam vulnerasse moraliter, cum alterius ministerio physicè utebatur. *Secundò* socium debuisse illum percutere, quia aliàs non incidisset in leonis unguis criminis expiatores. *Tertiò* ipsum Prophetam debuisse sollicitare socium, ut se percuteret; quia id præceperat universalis ille Dominus, cui subsunt omnium vitæ. Propheta igitur non sollicitavit socium nomine proprio, ut se vulneraret; alter percussit eum, non tamen ut humanæ petitioni acquiescens, sed uterque operatus est ut Domino sincerè obediret: aliàs enim peccasset Propheta, si nomine proprio sollicitaret percussurum; peccasset socius posterior qui ei obediit; justè operatus fuisset prior, qui ei pepercit, contra quem & injustè ciceretur leo vindex.

De Martyribus.

354 **H**abemus Orthodoxorum testiū exemplam parallela. Sollicitat admirationem Agiographa, excitant eorum vite, quos legimus pro justitia & veritate passos. innumeri tyrannorum minas, furias, diras, horrores, supplicia, cruces, & pyras non solum contempserunt, sed & invicti superarunt. Fragiles putabantur, cum fuerunt tormentis diris adjudicati; triūphum adepti sunt de inimicis quorum expectationem perseverando fefellerunt. Multi asseruntur ultrò in medios rogos, multi etiam in medias undas exsiliisse; quos imitari non expedit, non licet condemnare. Alij aliter, si velint, harum actionum generositatem tueantur: ego vel operantium probabili dictamini adtribuo, ac propterea prudenti, asserens has actiones fuisse formaliter bonas, materialiter malas; vel ad dispensationem aut præceptum Domini recurro, quo dispensante poterant, præcipiente debebant hujusmodi actiones operari.

DISPUT. XI.

De autoritate patria, posito quòd generatione activa adquiratur dominium proprietatis naturalis in filios.

155 **C**VM ago de autoritate patriâ suppono primò patrem non esse avo subditum, quia filius ante avi mortem moralem aut physicam genitus, non nascitur patri, sed avo; ut optimè notant multi Authores §. de patriâ potest. b. sic eveniet 21. ad legem Jul. de adult. in P. leg. 4. de iis, qui sui vel al. jur. in P. nam mortuo avo succedit hæres filius, & incipit esse suorum filiorum, hoc est, nepotum avi dominus. Suppono *secundò* patrem esse verum & proprietarium filij dominum. Consultò hoc suppono, non assero; quia falsum esse sequenti disputatione ostendam; sed modo, ut radicatus cognoscatur ethnica parentum autoritas, opus est hoc supponere, ut naturam dominij proprietarij noscamus. Suppono *tertiò* non esse aliquam superiorem legem, quæ filicia inhibeat. Ex his hypothesebus præmissis infero has conclusiones.

Prima, *Pater haberet autoritatem vitæ & mortis*. Patet; quia supponitur habere proprietatis dominium, & hoc est jus interimendi & conservandi.

Sed obijcis. Malum est filio occidi: 156 ergò quando pater occideret filium, inferret ipsi malum, saltem physicum. Ergò exspoliaret subiectum formam debitam. Patet hæc consequentia, quia cadaver filij occisi maneret cum privatione vitæ, ergò cum carentiâ formæ debitæ; privatio enim carentia est, non quæcumque, sed debitæ formæ. Hinc sic. Nemo potest moraliter tollere à possessore quod illi debetur moraliter: nemo igitur tollat physicè quæ subiecto debentur physicè & naturaliter.

157 Ethnici, qui vitæ & mortis parentibus autoritatem tribuunt, occurrunt huic rationi dicentes malitiam esse carentiam bonitatis debitæ. negantes occidi à patre esse physicè malum. quia pater occidendo tolleret quod tribuerat, & filius redderet quod receperat, nempe vitam, cujus ipse filius non erat dominus, sed pater.

pater. Addunt privationem non esse carentiam formæ debitæ, sed formæ in subiecto capaci. Vita autem quæ privaretur filius, non esset ipsi debita; esset tamen communicabilis, quia hic esset vitæ capax, ut per se patet. Cum igitur vita filij, non filij sed patris dominio subsisteret, si quis eam directè adimeret, inæqualis esset non filio sed patri, quem privaret filio. *Directè* consultò dicunt, quia indirectè occidere in illa hypothese quis posset sine inæqualitate, imò & modò potest sine iniquitate; puta cum directè propriam vitam, famam, aut divitias propugnat, quas aliter defendere non potest.

158 *Secunda. Si mater concurrat physicè, etiam habet autoritatem vitæ & mortis; aliàs, non.* Dubitant Naturales, an mater concurrat ministrando materiam, an etiam effectivè producendo compositum. Si supponeremus hoc ultimum, deberemus asserere utrumque parentem activè concurrere, & producere filium in genere causæ principalis: & subinde utrumque simul vel neutrum (non enim esset major ratio unius quàm alterius) esse filii dominum, non alterutrum. Quia sicut in moralibus, quod communitas possidet, non potest à privato viro sine aliorum consensu alienari; sic etiam vita filii, quæ patris & matris indiviso dominio subsisteret, non posset ab altero seorsim tolli. Pater, qui matre invitâ filium occideret, si illum ipsâ volente interimere posset, esset quidem inæqualis, non filio occiso, sed suæ uxori, contra cujus voluntatem id faceret. Ratio est; quia sicut pater sine suâ uxore non posset filium gignere, sic etiam nec solus illi dominari. Possent igitur eum vitâ privare, qui dederunt, non alteruter. Confirmatur: si pater tantum produceret filium, ipse unus eum interimere posset; atqui ipse non potest sine conjuge filium producere: ergò sine conjuge illum occidere non potest.

159 *Dices.* Licet mater concurrat activè, non habet in filios aliquam jurisdictionem, quoniam non est principalis & absoluta causa, sed subordinata. Probas, quia si filius est matri subditus, ipsa subditur patri: maritus enim uxori, naturâ id disponente præsidet. Ergò mater non posset filium perdere sine patris licentiâ; pa-

ter posset inconsultâ, imò & invitâ matre.

Respondent uxores nunc de facto apud nos esse maritis subditas, præcipiente Domino Genesios tertio, ut subesset conjugi in penam commissi peccati. *Multiplicabo*, inquit Dominus, *arumnas tuas & conceptus tuos; in dolore paries filios, & sub viri potestate eris & ipse dominabitur tui.* apud ipsos, qui Biblia Sacra non admittunt, non esse. Ad formam autem syllogisticam ex hypothese, quod lata non fuisset naturalis lex, multi negarent assumptum, & assererent patrem & matrem sine subordinatione æquè primò concurrere, & in generationis praxi non minùs patrem à matre, quàm hanc ab illo dependere. Licet enim mulier subordinata viro sit, non ideò vir sine uxoris licentiâ potest vendere domos, fundos, census & quæ in communi possident: ergò nec posset filiū occidere sine licentiâ matris.

160 Posito quòd parentes ex communi consilio possint interimere filios, ulterius progrediebatur Ethnicorum Theologia; examinabat enim, An mortuo altero parente superites parens posset filios occidere? Verbi gratiâ. Lucius & Claudia habuerunt filium Brutum, quem Lucius non occidit, quoniam contradicebat Claudia: moritur ista; & iterum Lucius Brutum adoritur, & occidere vult: inquiritur autem an possit? Staret pro parte affirmativâ Lucium esse unicum filij dominum, adeoque sine aliis licentiâ filium interimere posse. Antecedens probatur, quia supponitur Lucium & Claudiam esse solum Bruti causam & proprietarios dominos, & Claudiam interiisse, ac propterea totum Claudiæ dominium devolvi ad patrem. Staret pro negatrice, maritum non esse physicum & naturalem uxoris suæ hæredem filio superstite, qui est naturalis imago & restauratio patris & matris. Vt igitur dubio satisfacias proderit Conclusio

161 *Tertia. Ex hypothese, quod parentes communi consilio filios occidere possent, mortuâ Claudiâ uxore Lucius posset invitum Brutum interimere: imò & Claudia, si Lucio marito superviveret.* Patet consequentia; quia remaneret totalis Bruti domina, in genere dominij naturalis. Hoc ut altiùs intelligas

intelligas, adnotato bifariam posse concurrere duas causas ad productionem alicujus effectus: nempe, vel partialitate causæ, vel partialitate effectus. Effectus partialitatem illæ causæ concernunt, que simul producant totum effectum, non verò seorsim. Patet in igne; calefacit, incendit, illuminat; ratio autem calefaciendi est calor, illuminandi lux: hæc non calefacit, & ille non illuminat. Simul verò lucidè calefaciunt, sive calidè illuminant. Vel si distincta supposita desideres, considera duos bajulantes unum & eundem lapidem. Verè ipsi duo portant lapidem totum, non tamen unicuique incumbit totum pondus, sed analoga ponderis pars. Partialitate causæ illi dicuntur concurrere, quorum quicumque producit totum effectum indivisibilem. Tales sunt Deus & homo, cum aliquid physicum producant; quia totum id quod homo producit, etiam producit Deus, nec dari potest in effectu realitas, quæ à Deo non sit etiam producta. His positis ad patriam auctoritatem revertamur. Si parentes concurrerent partialitate effectus, puta, si alter partem contribueret, & altera aliam partem, posset alter repetere quod dederat, non tamen quod conjux. Verbi gratiâ. Ex materiâ decisâ à patre multi putant non fieri totum corpus, sed ex utraq; quod videntur convincere filij, qui partim assimilantur patri, partim matri. Hi Authores ut consequenter loquantur asserunt posse patrem repetere materiam quam dederat, etiam destruendo filium; quia repeteret quod suum esset, & filij mors sequeretur per accidens. Multi autem putant parentes non concurrere partialitate effectus, quod putent semen utriusq; virtute generativâ foveri & animari. Cæterum materia prima non cadit sub dominium naturale humanum, quia à nemine produci potest: decisa autem materia erat actuata feminis formâ [substantiali vel accidentali] quæ jam perijt, & idè hoc titulo ad neutrum parentem pertinet, sive totam mater dederit, sive totam pater, sive partem alteruter. Ergò substantia, quæ de novo producit, non pertinebit ad illos, qui dederunt materiam, sed ad causam principalem efficientem: hæc autem con-

stituitur æquè patre & matre, qui partialitate causæ ad totum effectum concurrunt. Pater totum filium genuit, totum mater. Uterque ergò esset dominus filij quamdiu viveret; defuncto alterutro conjux superstes sicut solus remanet, sic etiam solus est filij dominus.

Dices, hinc sequi patrem matre invitâ posse filium interimere: & probas, quia esset totius filij dominus. Ergò posset totam vitâ adimere, quia totam dederat. Admitto patrem esse totius filij dominum, nego autem esse dominum totalem, unde melius *Condominus* quàm *Dominus* dici deberet, quia filij indivisibilis entitas pertinet æquè ad duos nempe ad patrem & matrem, non tamquam ad duos dominos seu causas, sed tamquam ad unum dominum & unam causam. Qui sicut per modum unius principij filium producerunt, sic etiam per modum unius domini filio dominantur.

Multi Medici & illustres Theologi negant utrumque (nempe patrem & matrem) activè concurrere ad generationem. dicunt alterum concurrere efficienter, & alterum purè materialiter. Uter tamen? Inquisiverunt olim Aristoteles 1. *de nat. an.* Censorinus *de die nata.* Nemesius *de nat. homin. cap. 14.* Plutarchus *de placit. Philos. Avicenna lib. 3. de nat. hom. cap. 24.* Cælius Rhodiginus *lib. 3. lect. antiq. cap. 42.*

Galenus foetum plus à matre quàm à patre suscipere affirmavit: & Rodericus de Arriaga matri uni activitatem adscripsit *lib. de Animâ.* quia sæpè contingit filium gigni patre jam mortuo, ergò non ille qui aut mortuus, aut absens saltem est, sed mater quæ nequit non esse præsens creatam animam uniendo, filium activè generat. Alij è contrario concedunt matri concursum purè materiale, ita multi Philosophi. Ratio quæ aliquos Theologos ab hac sententia ablegat nullius momenti est. Sequeretur, inquit, Deiparam non produxisse activè Christum-Dominum, quod non posset asseri sine Deiparæ summâ ignominia. Respondet Virginem fuisse Christi matrem veram & realem, nec posse negari illi prærogativam aliquam naturalem quæ alijs matribus concedi soleat. quapropter dicenda

dicenda est Virgo concurrissè efficienter, si aliæ sic censeantur concurrere; sed non, aliàs. non enim audiendi sunt illi qui Virginem *Matri-patrem* seu *Virilem-matrem* appellant; ipsa enim non præstitit, quæ vir faceret; quia Spiritus sanctus supplevit virilis seminis activitatem.

364 Ferè omnes gentes jus vitæ & mortis non matri, sed patri concesserunt. Romulus patrem vitæ & necis habere potestatem declaravit, asserente Dionysio Halicarnasseo *lib. 2. antiq. Roman.* ubi sic. *Romanorum autem Legislator omnem ut ita dicam potestatem dedit patri in filium, idque toto vita tempore, sive in carcerem eum mittere, sive flagris cadere, sive vincitum ablegare ad rustica opera, sive necare libeat, etiam si filius traheret Rempublicam, etiam si Magistratus gerat maximos, etiam si liberalitatis laudem publicè sit emeritus.* Matres lege expressâ excluduntur §. *Femina de adopt. l. mulierem. C. eod. §. ceteri de hered. qual. & differ. ad Justin. l. nulla. de suis & legit. 4. §. nam testamentum. de bono poss. cont. tab. l. nam & femina de adopt. in P.* Huc respiciebat Phalaris cum ad uxorem Erythriam scribens *epist. 54.* affirmat jure rigidissimo (sic naturale nominat) filios esse patris non matris; humano autem, (hoc est morali & positivo) utriusque. Galli etiam patri auctoritatem necis & vitæ concesserunt. Testor I. Cæsarem *lib. 6. Comment. belli Gall.* & Prosperum Aquitanicum *in epist.* Apud Persas etiam filij suberant patri, ut mancipia hero, asserente Aristotele *lib. 8. Ethicor. ad Nicom. cap. 20.* quibus subscribebant Moscovitæ, ut refert Sigismundus Liber Baro *Comm. rerum Moscov.* Ægyptii quia poterant res suas prodigere, etiam filios impunè interimere: impunè quidem, quia sine poenâ facit, quæ sine gravi gravia. Filicida enim lege Ægyptiâ tenebatur cadaveri triduo adsistere. Ita Dionysius Siculus *lib. 2. Biblio.*

Matria auctoritas apud Lycios & Locros, qui genus suum à matribus non vero à patribus repetebant, ut testatur Herodotus *in 1.* Sed & Cicero pro Sexto Roscio maternum sanguinem paterno anteposuit. Sic, inquit, *se res habet (Iudices) magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem, maternus pater-*

nusque sanguis.

Sed inquiris, An pater non solum filii sit dominus, sed etiam nepotis? Suppono patrem in filium filiæ, dominium non habere; quia nec habet ipsa. dubito an nepos ex filio subit avo?

Ad emancipationem sine causâ recureretur, quoniam emancipatio moralem patris mortem exprimit, quæ ante legem moralem intelligi non potest. sit igitur Conclusio

Quarta. *Petrus haberet non solum dominium naturale in Lucium filium; sed etiam in Lucii filios.* Probat, quia Petrus dedit Lucio vitam immediatè, mediatè Lucii filiis, qui non essent in vivis, si Lucium Petrus aut non genuisset, aut occidisset antequam illi gignerentur.

Quinta. *Nepos subderetur patri, & avo.* Ratio est, quia vitam à patre reciperet dependente ab avo: ergò reciperet à patre & avo; ab hoc mediatè, à patre verò immediatè.

Obijcis. Servitus ventrem sequitur, non patrem: unde Lex *Partum, Codice, de rei vindicat.* decernit, ut ancillæ domino subijciantur etiam ancillæ filii: quod & supponit Ius Cæsarium *instir. de Ingentis. §. sed & si quis.* reddens huic decreto aliquas prudentissimas limitationes. Ergò vel dicendum est hæc jura esse contra naturam rerum; vel addendum, patrem nepoti ex filiâ, non verò nepoti ex filio dominari.

367 Respondeo. Naturam res ipsas respicere secundum se; leges humanas res ipsas quæ probabiles: Idcirco humanæ auctoritati actus merè-internos non subdimus; quoniam humanitus cognosci nequeunt. Si filium, ut per testes probabilem consideres, matrem habet, non patrem. Clarè enim probari potest, cujus matris sit filius: sed cujus patris sit plenè probari, numquam, aut raro potest. Si autem filius consideretur secundum se, parentes respicit: patrem ut causam efficientem, matrem ut ministrantem materiam foetui, ut nondum natum sanguine nutrientem, ut natum lacte. Multa sunt quæ filius matri debet, multa quidem sine quibus vitam non haberet; vitam tamen in multorum sententiâ debet uni soli patri. Prudentissimè igitur Legislatores

gillatores filii subdunt civiliter domino matris, non verò patris domino; quia non potest de patre haberi certitudo moralis.

168 Addis. Ergò in tali casu, ancillæ & servi filius pertineret naturaliter ad dominum patris, & civiliter ad dominum matris. Ergò si patris domino serviret, satisfaceret obligationi naturali.

Respondeo. Servitus obligatio moralis est, non naturalis: ideò non datur naturale debitum serviendi. Hinc est, quod illa proles non deberet pertinere ad dominum servi, imò nec ad ipsum servum, cui aliàs occidendo vita conceditur secundum leges Reipublicæ, in quâ servit: nempe indulgetur ei vita mera, & dominio naturali, quod haberet in filios, politicè privatur, & hoc ad dominum matris transfertur.

169 Instas. Qui nascitur ex ancilla & libero mancipium est: ergò leges cognoscunt filios esse matri naturaliter subditos; non patri. Patet consequentia. Quia si naturaliter filius non sequeretur matris conditionem, huiusmodi proles naturaliter libera esset: ergò esset contra rerum naturam illam mancipium reddere & ad dicere perpetuæ servituti.

Respondeo. Non esse contra naturalem rerum dispositionem commutari seu transferri dominium. Leges jubent ne liberi cum ancillis misceantur: si fecerint, condemnant eos privatione autoritatis patriæ, & hanc concedunt parti læsæ, nempe ancillæ domino. Sed istæ objectiones hypothesin illustrant & implicent; quia nascuntur ex legibus humanis, quas hypothesi nostra non admittit, agimus enim de rerum statu ex suppositione quod entia moralia non essent. Ad datur Conclusio

170 Sexta: *Mortuo patre filius nemini subderetur seu naturali domino.* Probatur: nam supponitur obiisse ille, qui filio vitam dederat in genere causæ effectricis. Cujus igitur est vita ipsius?

Si occideret se filius familias esset patri inæqualis; perderet enim vitam, quæ non erat sui-ipsius, sed parentis. Idem dicitur, si ab alio occideretur: quia homicida non esset inæqualis filio occiso, quem spoliaverat vitâ; sed patri, qui

erga filium habebat necis & vitæ autoritatem.

Dicis homicidam huiusmodi futurum fuisse etiam inæqualem filio occiso, quia is habebat vitæ usum concessum à patre, & jus illâ utendi donec pater eam tolleret. Respondeo hoc jus non esse physicum ut patet, & pro illo rerum statu morale esse non posse; agimus enim de rebus consideratis ante Decalogum & mores. Ergò instantia esset fortis, si supponeremus Decalogum, à quo abstrahimus rerum ordinem physicum radicitus inquitur.

Siquis post mortem patris se occideret, nec sibi nec alii esset inæqualis physicè positivè, quia vitam quam deleret vel pertineret ad se vel non. Si ad se; perdere poterat: si nec ad se nec ad alium, nec sibi nec alii esset positivè inæqualis & dissonus, quia neminem re propriâ privaret: dicendus autem esset negativè inæqualis occiso, quem spoliaret quidem vitâ, non propriâ, vitâ tamen quæ non erat alius.

Qui alium hominem, cujus pater obiisset, occideret, non esset inæqualis parentibus jam mortuis, quia hi nullum jus habent in supersitem filium: non esset inæqualis filio physicè positivè, quem privaret vitâ cujus non erat naturalis & positivus dominus: cumque nec ejusdem vitæ esset alius dominus, dicendus esset occisor esse occiso dissonus solum negativè.

Petis, Vtrùm hæc patria autoritas perpetua esset? hoc est, An stando ipsi legi naturæ pater haberet dominium in filios etiam senes; an hoc dominium excideret durationis successu?

Romulus putavit ante triennium filios non posse perimi, ita Dionysius Halicarnassensis lib. 2. antiq. Rom. sed ratio Legislatoris videtur esse valde levis; quia si ideò biennis occidi nequit, quia in patrem peccasse non potest: duo consequenter dicenda essent; primum, non posse adolescentem à patre suo sine crimine occidi; secundum, neminem ante usum rationis perimi posse, quia arbitrii & libertatis expers peccare non potest. Patria autoritas apud Græcos non erat perpetua. Idem Author ibidem. *Qui formis vivendi*

*vivendi Græcis condiderunt civitatibus, certum quoddam tempus admodum breve præscripserunt, quo liberi essent subditi patribus. Quidam ad annum pubertatis tertium; quidam tantisper dum illic cælibes manserint: nonnulli donec publicè inter vivos adscripti fuerint, quemadmodum è Solonis, Pittaci, Charundæque legibus acceperant, quarum magna celebratur sapientia. *** Romanorum autem Legislator omnem, ut ita dicam, potestatem dedit patri in filium, idque toto vita tempore.*

Cæterum si ingenium autoritatis patriæ consideremus, dicenda est ex se non esse limitatam, sed limitari lege posse: quapropter asserendum stando rerum naturæ filium à primo vitæ anhelitu ad ultimum esse sui patris subditum, & ab ipso pro libito nullâ causâ aut quæsitâ aut allegatâ occidi posse.

173 Hucusque egimus de autoritate patriæ abstrahentes à lege Decalogi quintâ: quia si hæc filicidia interduntur, jam filii perimi non poterunt, qui possent si talis lex non fuisset lata.

Ærodius in tractatu illo ultimo ad filium Iesuitam, & Petrus Gregorius Tholosanus in *Syntagmatis universi Iuris lib. 12. cap. 5. num. 5.* & alii, jure naturæ filicidia non inhiberi affirmant. & probant ex *Genesios 21.* & aliis locis. Argumentum Tholosani est hoc. Sub jure naturæ & gentium, inquit, illud ipsum receptum mihi persuadeo, ex eo quod Abraham voluerit filium proprium sacrificio Deo immolare; quod certè nec cogitasset, si lex aliqua prohibuisset. Sed hæc ratio est valde debilis, quia Abraham non devovit suum filium sacrificio, sed ipsi fuit indictum à Deo, ut eum sacrificaret; & certè non cogitare solum, sed & debuisset facere, etiam si millenæ leges prohibuissent, tenebatur enim obedire Deo summo Legislatori. Fortius hoc probaretur ex sacrificio Iepthæ; si is vere & physicè filiam sacrificaverit; sed cum multorum Theologorum opinio asserat Iepthæ filiam civiliter occisam, nec hæc instantia urgere poterit. *Vide mei Comment. in Reg. Bened. num. 201.* Sed nihilominus

DISPUT. XII.

An parentes sint prolium veri & proprietarii domini? an mortis & vitæ jus habeant?

RESOLVI ad mentem veterum quæstiones aliquas ex patriâ potestate subortas. volo impræsentiarum inquirere, An parentibus conveniat verum & reale dominium proprietatis in filios? an mortis & vitæ potestas?

Prima Catholicorum opinio.

Ærodius Andegavenis Præses in libello cõtra filium Pseudo-iesuitâ patriam autoritatem prolixè explicat, & potuisse olim filios, & nunc etiam posse à parentibus occidi sentit, suamque sententiam his assertis perstringit.

Primum. *Pater erat vitæ & mortis verus & proprietarius dominus olim in lege naturali.* Videtur esse quidem curiosa Ærodii conjectura, quæ unam circumstantiam ponderat in Abrahami holocausto. Autoritatem patriam vitæ & necis non colligit hic Author ex Abrahami resignatione; sciebat enim eum non potuisse non obedire Deo; sed instat, si filicidia in lege naturæ non licerent, providisset Deus, ut & omnes alii scivissent Abrahamum ex præscripto divino filium immolasse; cavisset Abrahamus, ne scandalizaret proximos, nec honorem denigraret, ne à consanguineis & amicis reus sceleris impii ageretur. Atqui nec Deus nec Abrahamus cavet inconvenientia huiusmodi, quæ si essent, omninò caveri deberent: ergò non erant. ergò occidere filios in lege naturæ parentibus permittebatur. Nec valet dicere Deum esse honoris dominum; quia, si poterat Deus Isaacum privare vitâ & Abrahamum honore, saltem ipse Abrahamus non poterat proximos scandalizare; scandalizarentur autem illi qui scivissent filium fuisse immolatum, & hoc scandalum esset imputandum Abrahamo, qui non exposuerat ipsis illud peculiare mandatum. Cõfirmatur. Quia Iephte obtulit in sacrificio filiam domino privata autoritate: illâ igitur patriâ autoritate occidere & sacrificare potuit.

Secundum. *Filii non solum in lege natura, sed etiam in lege gratia possunt à patre sine peccato occidi.* Ita definiuit Senatus Parisiensis, si credimus Bartholomæo Chaffaneo ad §. 3. tit. des enfans de plusieurs lietz. in gl. 1. vers. licet. gl. §. 1. &c. in cons. Burg. cui videtur Petrus Greg. Tholos. sub- scribere; numero enim 4. citati capitis dicit non esse audiendum Acursum & sequaces, qui in §. jus autem. in verb. Romanorum. de patriâ potest. asserunt Francigenas non habere filios in potestate.

Secunda Catholicorum opinio.

175 **C**redunt alii quintâ lege Decalogi interdici universa homicidia, patresq; futuros fuisse dominos vitæ & mortis, si Decalogus latus non fuisset; at verò impræsentiarum ex vi istius legis nō posse occidere physicè suas proles privatâ auctoritate, imò nec publicâ directè. Hanc legē ita universaliter accipiunt, & sentiūt Magistratui aut Regi non licere vel unū sceleratum directè & per se occidere; bene tamen indirectè & per accidens. Quia sicut in vasorem occidere quis potest, si aliter nequit evadere; sic etiam homo civilis (seu Respublica) latrones, sacrilegos, & omnes illos, qui gravia damna aut perturbationes inferunt, poterit interimere, non quidem ut interimat, sed ut suam tranquillitatem, vitam politicam, & concordiam conservet. Tranquillitatis enim, pacis & quietis gratiâ homines in civitatibus convivunt, & habent jus conservandi quietem & auctoritatem publicam, & interimendi quemcumque, qui velit eos alterutrâ spoliare.

176 **A**d id quod objiciebatur de Abrahami sacrificio, dicunt eum debuisse occidere suum filium non obstante quinto præcepto Decalogi, quia ipsemet Legislatores Deus, contrarium jubendo, dispensabat. Ærodius timebat scandala, & dicunt Abrahamum potuisse dicere amicis & cognatis se quidem filium occidisse, sed ex Dei præcepto, & hoc sufficere ut scandalum non paterentur; hanc autem circumstantiam subtrahit sacra Pagina, colligitur tamen necessariò ex contextu, quia hic Patriarcha laudatur ab Angelo Dei nomine, non autem diceretur *Deum timens*, qui proximos scandalizaret. Re-

spondent secundò (& hæc expositio videtur congruentior & aptior) dicentes Patriarcham dolore faucium totum fuisse absorptum, & uni filicidio intentum, & non animadvertisse ex eo scandalum oriri posse, ac propterea illud ex inadvertentiâ non cavisse. Hoc possibile fuisse, sciunt qui experti sunt amorem patrum. filii enim dicuntur ἀπὸ τῆς φιλίας, quam erga eos habent patres.

Ad illud quod ex Iephtæ sacrificio additur, respondet breviter & efficaciter illud fuisse morale, filiamque Iephtæ non fuisse damnatam physicâ morte, sed civili. Vel si physicâ, concedendam Iephtæ inculpabilem aliquam ignorantiam.

Ad Senatûs Parisiensis declarationem quid respondent? se non scire quales in eo fuerint sub illud tempus Senatores. Videndum esse, an docti, pii, & prudentes; & si tales, verba venire perpendenda; fortè mitiùs loqui, quàm à Bartholomæo Chaffaneo citantur. Vnde quidquid sit de illorum testimonio, tenendum filicidia hodie non esse humanitûs solum inhibita, sed etiam divinitûs, ac propterea non posse Regem aut Rempublicam concedere privilegium Ambrosio, ut filium sine causâ occidat.

Verâ Sententia.

177 **O**mnia, quæ in Ethnicorum legibus, & luniorum scriptis legimus in favorem auctoritatis vitæ & mortis, quam patri conantur concedere, ex non intellectâ domini ratione aut hominis generatione nascuntur. Ut igitur veritas clarè elucescat, Positiones nonnullas statuamus.

178 **P**rima. *Si homo propria vitæ esset dominus proprietarius, etiam esset vitæ filiorum.* Probat. Quia decideret partem corporis sui; ergò corpus in quod haberet naturale dominium; hoc enim decisione non perditur.

Secunda. *Si homo filium ex materiâ externâ (puta ligni, terra, &c.) suo arbitrio proprietariè subjektâ produceret, esset illius vitæ dominus.* Ostenditur. Quia illam materiam artificiosè disponendo cōverterat in corpus humanum: ergò produxerat formâ corporeitatis (substantialem Scoto, mihi characteristicam) ergò evadere corporis

corporis producti dominus. Possent igitur illud dividere, decerpere, destruere: ergò & filium occidere; patet, quia omnia ista cum filii vitâ componi nō possunt.

Tertia. *Si homo animam filij produceret, esset dominus vitæ ejusdem filij.* Patet; quia posset animam, quæ sua esse supponitur, repetere, & hæc ablatâ filium mori opus esset.

Quarta. *Quia corpus filij pars est corporis parentis decisa, in quam parens non habebat dominium proprietatis ante decisionem, nec illud post decisionem habet.* Patet; quia divisio non est ratio acquirendi dominium proprietatis. Hinc patet prima Positio; quia si ideò pater non habet dominium in corpus filij, quia hoc est pars corporis paterni in quod pater non habet dominium proprietatis, sequitur à contrario ex hypothesi quod pater esset corporis proprii dominus, futurum etiam esse dominum corporis filij; quia pura divisio nequit dare aut tollere dominiū.

Dices; si pater esset dominus proprii corporis, futurum esse dominum corporis filij, non tamen vitæ; quia hæc recipitur non à patre, sed ab animâ rationali, quæ spiritualis cum sit non ancillatur patri.

Respondeo, hanc esse bonam consequentiam [Petrus est dominus corporis Joannis filij sui; ergò potest illum occidere.] & probatur. Dominus proprietarius potest rem possessam conservare & destruere: ergò Petrus, si est dominus corporis Joannis, poterit illud conservare & destruere: atqui non potest illud in frustra v.g. decerpere, quin per accidens mors sequatur; ergò repetendo rem suam (hoc est, Joannis corpus) directè, posset illum indirectè interimere.

Quinta. *Quia anima filij pars est, quam pater non genuit, & cujus pater non habet proprietarium dominium ante unionem, non habet in illam dominium post unionem.* Patet; quia unire extrema, non est titulus sufficiens ad acquirendum verum & reale dominium. Si Petrus esset tuæ animæ dominus, posset te indirectè occidere, animam, quam condidisse supponitur, aut repetendo aut corrupendo; at quia anima à solo Deo conditur, ab illo solo repeti & separari potest.

Sexta. *Filiorum generatio est diversa ab aliarum rerum productione, ideoque infert dominium diversum in filios.* Ostenditur; domum enim ædificas ex lapidibus & lignis, quæ ante ædificationem tua erant; picturam formas ex linteo & coloribus ad te titulo proprietarij dominij pertinentibus: sed filium generas ex corpore & animo, quorum neutrum est tuum. Corpus ante decisionem tuam non erat, per decisionem tibi non acquiritur, ergò nunquam est tuum: animus ante unionem à Deo solo creatus, sicut hunc solum conditorem cognoscit, sic etiam hunc solum cognoscit proprietarium dominum: igitur cum hominem genuisti, solummodo materiam à Deo creatam divisisti, & ut plurimum animo à Deo itidem condito copulasti. Hinc constat parentem non esse filij dominum proprietarium; cum autem illum fecerit dominus verè est, habens dominium proprietario imperfectius, hoc est, jurisdictionis.

Dicis. Proprietatis dominium in liberâ productione consistit. ergò si tota patris operatio decisiva sit, ipse erit dominus hujus decisionis & divisionis: ergò illam divisionem poterit tollere aut conservare: ergò materiam illam divisam, ex quâ filius coalescit, poterit iterum sibi unire: ergò & filium destruere. non enim filius persisteret, si illa materia à parente decisa iterum corpori paterno reuniretur. Nec valet dicere hanc reunionem impossibilem, quia scimus alimenta converti in substantiam aliti, & carnes humanas, æquè ac ferinas, servire in alimentum posse.

Respondebo expendendo ingenium humanæ productionis. Condidit Deus hominem, & is in se non habuit dominium proprietatis. non fuit corporis dominus, quia illud non condidit, sed habuit ex liberalitate Creatoris. non fuit animi, propter eandem rationem. Ergò suum corpus in frustra Adamus decerpere non potuit; non potuit caput à collo praecludere; non manum à brachio; non pedem à tibiâ sine licentiâ domini: ergò nec seminalem materiam. Esto jure hanc aut injuriâ, hoc est, cum licentiâ aut sine licentiâ deciderit, non acquisivit dominium in partes; quia dividere, acquirere dominium

dominium in partes; quia dividere, adquirere dominium non est, aliàs enim fures merà rerum furto ablatarum divisione domini veri redderentur. Sed hujus divisionis existentia, divisoris arbitrio & proprietario dominio non subest, nam tolli non potest; non enim dantur humanæ vires, quibus ipsa tollatur. Alimenta converti in vivam substantiam aliti incertum est; & si verum, non favet. Si quis enim tibi manum præcideret, non satisfaceret illatæ injuriæ illam pedi aut capiti continuando; deberet enim reddere unionem quam abstulerat, & hæc non erat manûs & pedis, aut manûs & capitis, sed manûs & brachij. cum igitur per decisionem feminis materia ab alijs partibus excidatur, per nutritionem alijs uniatur, non restituitur per nutritionem unio, quæ fuit per decisionem sublata. *Confirmantur* omnia quæ dicimus sententiâ probabilissimâ, quæ asserit, nihil in divisione produci, sed solum corrumpi pristinam unionem. eadem enim relatio quæ interest partibus unitis, sublata unione interest partibus non-unitis, & *divisio* vocatur.

Dicis; si divisio orta ex decisione nihil reale sit, saltem unio corporis & animi est aliquid reale. ergò in hanc parentes habent proprietatis dominium: hanc enim positivè producunt. Infers, eos posse filium occidere, & ostendis. Proprietarius dominus potest conservare & destruere rem possessam; atqui parentum est unio illa, quâ filij animus unitur corpori: ergò illam possunt destruere aut conservare.

CAPUT V.

De physica Jurisdictionis Dominio.

OMNIS lex [tres cognoscimus, Innati appetitûs, Proprietarij domini, & Jurisdictionis gubernativæ] aliquos actus prædeterminat; non tamen omnis Jurisdictionem involvit. Posita rei existentia prædeterminat innatum ejusdem appetitum, ut appetat suum esse, ut desideret omnium rerum, quibus foveri & conservari possit, contactum; ut fugiat aut fuget omnes illas, à quibus possit destriui aut corrumpi: hæc autem

Atqui illâ destructâ filius moritur; ergò possunt proprium filium occidere.

Respondent aliqui negando unionem illam à parentibus gigni. ægrè enim ferunt potius à matre quàm à patre gigni, & non gigni à patre certum esse existimant: is enim sapissimè mortuus est, semper absens, cum hujusmodi unio producitur. Hæc responsio probabilissima est; olim enim quærebatur, an mater activè concurreret? at illam magis activè concurrere quàm patrem, non est assertum veterum, sed somnium recentiorum.

Sed nos, ne quæstionem moralem novis difficultatibus implicemus, sic discurremus. Vel mater, dicimus, activè concurrat ad unionis productionem, vel non. Si non; cessat quæstio; nam eam non posse à patre gigni creditur certum esse. Si concurrat, adhuc non est domina illius; quia proprietarium dominium non ex quacumque productione, sed ex liberâ nascitur; à matre autem illam unionem gigni, dubium est; sed liberè illam gigni, falsum. Et ostenditur; quia nihil liberè volitum, quin volitum; nihil volitum, quin præcognitum; atqui anima infunditur concepto corpori, semper ignorante matre, sapè invitâ; ergò à libero illius concursu non producitur. Ignorantiam ostendo; quia nulla est, quæ sciat, quando illa unio fuit genita; & quando liberè operamur, cognoscimus. Coactionem demonstro; quia sapè contingit matrem abortum procurare & non consequi; ergò tunc unio illa producitur matre invitâ.

prædeterminatio ad legem appetitûs Innati spectat. Proprietatis jus prædeterminat rem ad existendum illam conservando, & ad non-existendum illam destruendo. Imperij autoritas prædeterminat non quidem rei subditæ existentiam, sed operationes. Cum igitur ubiq; physicas prædeterminationes reperias, postulas tibi singulas caractere proprio definiri, ne confundas ad classem diversam spectantes.

Dico

Dico igitur primò, *Omnis physica prædeterminatio, quæ ante omnem causationem intelligitur, innati appetitûs est, non verò proprietarij domini aut jurisdictionis.* Consulto causationem dixi non operationem, ut excludam actus Dei immanentes, qui licet eliciantur & producantur, non causantur. Suadetur, quia nec proprietatis nec jurisdictionis dominium possunt ante omnem causationem intelligi.

Secundò. *Cum causa liberè prædeterminat existentiam aut non-existentiam effectûs, datur prædeterminatio seu præmotio, quæ ad dominium proprietatis pertineat.* Ostenditur; quia dominium proprietatis est jus in ipsam existentiam rei, & definitur *potest. destruendi & servandi.*

Tertiò. *Cum causa liberè prædeterminat, non jam existentiam aut non-existentiam, sed operationem aut non-operationem rei causat, dicitur illam gubernare, & actum jurisdictionis exercere.* Igitur de hac ultima Capite præsentis tractabimus.

Prædeterminatio igitur jurisdictionis physica, est realis entitas liberè producta ab agente in re a se ipso causatâ, hanc physice afficiens & removens ad operandum. Notas illud liberè, & inquiris, An usu rationis carentes possint habere jurisdictionis dominium? Respondeo inter infantes ægrotos & perpetuò amentes distinguendo. Infantes possunt succedere in jurisdictione asserente D. Thoma quæst. 66. Caietano *ibidem*. Victoriâ in *Relect. de Indis num. 21. & 22.* Lessio *dub. 2.* imò & creari Reges, si electoribus placeat. Ametês ad ten pus, jurisdictione non excidunt; non tamen possunt novam acquirere, quamobrè cenleo ægrotos, qui phrænesi laborant, pro tempore carere voce passivâ, nec posse ad dignitates promoveri: & addo à præhabitâ jurisdictione excidere cum primum amentia incurabilis esse credatur. Ita Caietanus *tom. 1. Salon ad quæst. 62. de dominio quæst. 2. art. 4. dub. 4.* & alij qui judicant Summum Pontificem dignitate excidere, si incidat in perpetuam amentiam. Hanc sententiam non esse improbabilem affirmat *Dicastillus de just. & jur. lib. 1. tract. 2. disp. 1. num. 86.* ut Adamus Tannerus *disput. 1. de fide. quæst. 4. dub. 4. num. 171.* existimant esse communem, atque contrariam

singularem. Sanè positâ physica præmotione infallibile est causam liberam liberè operaturam; & etiam æquè infallibile necessariam operaturam necessariò. Hæc prædeterminatio libertatem humanam non tollit, sed perficit, & reducit ad actum secundum.

Multi sunt, qui physicas prædeterminationes negant, & concedunt solummodo morales, qui à nobis non differunt praxi; quapropter non examinabo, an præmotiones physicae dentur, hæc enim quæstio merè speculativa alibi uberius pertractabitur. suppono tamen ex Angelici Doctoris doctrinâ dari in rebus præmotiones reales, de quibus examinare oportet, utrum illis nomen legis conveniat.

Legem ex D. Thomâ superius diffinivimus *Regulam actuum agendorum aut omitendorum.* Quæ definitio convenit præmotionibus physicis; ipsæ enim sunt regulæ, quæ discernunt agenda ab omittendis. Illa sunt, ad quæ agens prædeterminatur; & solum omittuntur ad quæ ipsum non prædeterminatur.

DISPUT. I.

An in Deo reperiantur passivæ prædeterminationes physicae & reales.

TITVLVS inquit, An Dei potentia activæ habeant prædeterminationes passivas; hoc est, sint physice prædeterminata ad operandum. Consulto de potentijs activis disputo; tum, quia in Deo potentia passiva non datur; tum etiam, quia licet daretur, non esset capax prædeterminationis jurisdictionis, malè enim physica, velles donare tali nomine appetitum innatum, qui verè est determinatio ingenita ad inferendum aliquam formalitatem seu operationem, & nullam jurisdictionem involvit.

Prima Dei operatio realis, est Verbi æterni generatio, ad quam præmotione liberâ non eguit Pater, qui Verbum non gignere non potuit: innato coque infinito desiderio appetit ille divinus intellectus producere verbum intellectivum, & innati appetitûs infinitate ita determinatur

manatur intrinsicè & in se, ut motione aut determinatione non indigeat.

Secunda Dei operatio sancti Spiritus productio est; ut autem ipse procedat præmotio physica necessaria non est; primò in Angelici Doctoris sententiâ, quæ asserit Spiritum sanctum actione necessaria produci, nempe ita necessaria, ut nullatenus potuerit non esse. Scotici cum doceant esse liberam Spiritus sancti productionem, eam ita infallibilem esse volunt, ut non possit non esse; ac subinde in idem recidit, quia id quod nequit non operari, non eget prædeterminatione.

184 Circa actus Dei liberos major est difficultas, nempe, An detur causa quæ physice prædeterminet divinos actus?

Dico primò, non dari causam intrinsicam aut extrinsecam, increatam aut creatam, quæ verè causet decreta & actus voluntatis Dei. Probatur evidenter; quia effectus debet dependere à sua causâ: at qui decreta Dei nec à Deo nec ab homine dependent: ergò non datur divinatorum decretorum causa. Minorem probo; quia omnis dependentia imbibit imperfectionem essentialiter, & divini actus sunt incapaces omnium imperfectionum.

Addo secundò, nullum agens creatum Humanum aut Angelicum posse decreta Dei virtute jurisdictionis physice prædeterminare. Hoc est tam clarum, ut probatione non indigeat; quia prædeterminatio physica aliquid reale & imperio agentis subditum est, unde si hæc humanitùs Deo concederetur, inciperet Deus in tēpore habere realitates accidentarias ab hominibus participatas, imò hominibus subditas, quod impossibile est Numini æterno, immutabili, & experti accidentium.

185 Tertio, non reperio, cur debeamus negare posse decreta Dei libera à decretis Dei liberis infallibiliter inferri; & reperio rationes fortissimas propter quas id debeamus asserere. primi Regum vigesimo tertio exponitur historia cognitione dignissima, ex qua clarè colligitur Deum habuisse hoc decretum conditionatum. Si David manserit Ceila, descendet Saul, & Ceilita tradent ipsi Davidem: constat Deum habuisse hoc decretum absolutum: David non remanebit Ceila, quibus decretis infal-

libilitatur Dei voluntas, ut eliceat hunc actum, David non tradetur Sauli; quia ex præmissis sequitur infallibiliter.

Huc respiciebat D. Thomas, 1. p. q. 21. art. 1. ad 2. Quod secundum suam voluntatem facit (Deus) juste facit; sicut & nos quod secundum legem facimus, juste facimus: sed nos quidem secundum legem alicujus Superioris, Deus autem sibi ipsi est lex. hoc est, posito uno actu libero se quasi adligat Deus, ut alterum liberè ponat, ut conflat ex exemplò præmissò: unde actui libero, qui reverà Deus est, ipsemet Deus, seu actus liber antecedens, est lex.

Sed postulas, An illa infallibilitatio 186 divinatorum actuum debeat dici physice prædeterminatio? & si debeat, An pertineat ad dominium imperij physici, seu physice jurisdictionis? RESPONDEO, naturalis imperij dominium imbibere superioritatem in imperante, & in re imperatâ dependentiam; cumque in Deo nullus actus dependeat ab alio, sequitur nullum esse imperantem, nullum imperatum. at propterea illam infallibilitatem ad innatum appetitum & exigentiam infinitam, non verò ad legem naturalis jurisdictionis pertinere. Deus enim promisit vitam æternam beatis, & illos æternum conservabit. Primus actus non imperat secundum, nec secundus prædeterminatur cum dependentiâ à primo: quia in Deo nulla est imperfectio; & esse dependens, esse imperatum, esse prædeterminatum, intelligi sine imperfectione non potest: sed primo actu affecta divinitas exigit infinito innato appetitu elicere secundum, ita ut sine infinitâ violentiâ ab ejus productione impediri non possit. unde cum talis violentiæ infinitas repugnet, illius actus in sensu cōposito repugnabit omisso, & erit necessaria operatio.

DISPVT. II.

An Deus creaturas physice prædeterminet?

187 **P**RAEMOTIONE indigent universæ creaturæ; non solum liberæ, sed & necessariae. Liberæ quidem propter indifferentiam quoad speciè: necessariè propter operationum contingentiam. Proposi-

Propositum objectum potest homo odisse aut amare; & fortè odisse aut non odisse, amare aut non amare, contrarietate & contradictione actuum formali. Idem objectum potest etiam pertingere contrarietate & contradictione objectivâ: proposito calore potest voluntas eum aut ejus contrarium, nempe frigus, diligere; item calorem aut caloris carentiam, qui sunt termini contradictorij. Hâc igitur naturali indifferentiâ remanente intelligi non potest aliquis actus liberæ voluntatis; quia, cur is potius quàm alius? ergo Dei scientia fallibilis est, aut dantur præmotiones infallibiles, quæ prædeterminent humanam libertatem.

188 Exempla rem dilucidabunt. Dicit Petro Christus. Antequam gallus cantet ter me negabis. Christus igitur certò & evidenter cognoscebat sese à Petro Apostolo negatum iri. Vnde ergò id cognoscebat. In Petri voluntate? minimè, quia hæc supponitur indifferens. cognoscebat igitur in æternitatis præsentia, & in efficaciam sui decreti potentis concedere infallibilem præmotionem, quæ illas à Petri libertate ejus voluntatem determinaret ad materiale negationis. Resumamus exemplum num. 185. expositum, & veritatem aliquam conditionalem expendamus.

189 Cognovit Deus hanc propositionem esse veram, Si David manserit Ceila, incolæ prodent eum Sauli. cognovit quidem, non conjecturaliter & dubiè, sed certò infallibiliter & evidenter. Vnde ergò hujus notitiæ divinæ certitudo? Sanè, non ab extremorum connexionem, quia contingens est. poterant Ceilitæ non esse ingrati suo propugnatori, & ingrati esse poterant; cæterum si David permansisset, ingrati erant futuri & eum tradituri Regi persecutori. Ad comprehensionem causarum recurrendum non est, quia hæc non essent aliæ etiam si David fideliter servandus esset: essentiæ enim actibus futuris non mutantur. Præsentia æternitatis non favet, quia Ceilitarum proditio non est Deo præsens præsentia æternitatis, quia nec fuit, nec erit, esset tamen si David permansisset. Sicut autem illa quæ essent, revera non sunt: sic etiam, si essent, essent præsentia Deo; non sunt

tamen. Confugere ad præsentiam objectivam, periclitari est; quoniam omnia cognoscuntur à Deo ut sunt, illa autem propositio contingens in se est, ergò Deus æternum cognosceret eam esse contingentem; nempe constare extremis, quæ connecti, & non-connecti possunt. ergò ut cognitio Dei evadat certa & infallibilis ad decretum hypotheticum veniendum est, dicendumque illius propositionis veritatem nasci à decreto disponente Davidem traditum iri ab incolis, si Ceile manserit. Ergò decreti resolutionem poterimus expendere hisce verbis. Si prædeterminavero Davidem, inquit Deus, ut maneat Ceila, prædeterminabo etiam incolas negativè aut positivè; hoc est, permittendo aut inducendo, ut prodant eum. quia vel Deus potest prædeterminare ad materiale peccati, ut volunt Thomistæ, vel saltem potuit talibus apprehensionibus Ceilitarum mentes prævenire, ut sanctè illum traderent; puta si faceret, quod ipsi sic debere fieri judicarent. Ergò in hoc decreto efficaci & infallibili certò & intuitivè cognoscit Deus esse veram hanc propositionem, videlicet, Si remanserit David Ceila, Ceilitæ tradent eum. Hæc sufficiant, quia hæc materia subtilissima est, & à Thomistis expenditur in prima parte, cum disputant de scientiâ Dei. Maneat igitur Deum causas liberas præmovere & prædeterminare ad singulas operationes.

190 De causis necessarijs minor est difficultas. quia illarum libertati non timetur, cum illâ careant. Multi ex eo causis necessarijs prædeterminationes negant, quia putant ex se esse satis determinatas & idèò necessarias dici: sed si res bene examinatur, causæ hujusmodi necessariæ quoad speciem sunt, & quoad exercitium contingentes. Calor ingenio suo prædeterminatur ut calefaciat, non enim potest frigus & rigorem producere, non tamen necessariò & essentialiter calefacit, quia potest Deus facere ne calefaciat, licet approximetur passo, imò de facto fecit in camino illo Babylonico, ubi ignis urere non potuit prædeterminatione, hoc est, consensu denegato.

191 Dices in talibus occasionebus non negasse Deum physicam præmotionem, sed solum concursum simultaneum: esto, sed unde

unde demonstrabitur simultaneum concursum à præmotione condistingui? An non possibile eandem actionem Dei prout prior est actione creaturæ, præmotionem dici; & prout coexistit actioni ejusdem creaturæ, simultaneum concursum nominari?

Definitur lex physica jurisdictionis.

192 **L**ex æterna physice dirigens, est decretum liberum Dei respiciens creaturas & actus earumdem necessarios aut liberos sine intentione obligandi moraliter. D. Thomas 1. 2. *quæst.* 91. *art.* 1. & *quæst.* 93. *per totam.* Suarius *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 3. & *num.* 6. Causas necessarias & liberas prædeterminat & absolutè infallibilitat: mores tamen non tangit.

Idearum & physica legis distinctio.

193 **I**dæa est cognitio illa Dei qua creaturam intelligit: lex æterni dominij est actus ille voluntatis, quo creaturæ decernit existentiam eam producendo in tali differentiâ temporis. Æternæ autem jurisdictionis lex creaturas supponit, & solum respicit earumdem actus: ergo distinctio evadit satis clara. Idem est decernere ligno calorem, quam calori decernere existentiam in ligno: & sic de alijs. Verè ideæ secundum se aut speculativæ sunt, aut practicæ solum radicaliter, hoc est, aptæ inferre praxin: patet in ideâ alterius Mundi, quæ numquam praxin actualiter inferet, quia numquam Mundus ille possibilis erit. Lex autem æterna physica in actu secundo practica est, quoniam hoc nunc æternitatis lex illa æterna actualiter universa producit, movet, & prædeterminat.

194 **D**icis juxta D. Thomam, legem æternam in mentis divinæ conceptu consistere, non verò in voluntate. Nam *quæst.* 91. *art.* 1. *ad* 1. ait. *Æternus divina mentis conceptus habet rationem legis æternæ secundum quod ordinatur ad gubernationem rerum ab ipso præcognitarum.* Ecce in conceptu, non in decreto docet consistere legem æternam.

Respondeo D. Thomam agere de cognitione Dei quæ decreto annectitur, & præsupponit creaturas simpliciter præcognitas, quæ vocatur à Theologis *scientia visionis.* hæc est existentium cognitio;

creaturæ autem emendicant suas existentias à decreto. Dico igitur decretum Dei liberum, esse legem æternam: scientiam autem visionis esse æternum divinæ mentis conceptum, habentem rationem ideæ seu imaginis intentionalis legis æternæ. Et hoc sufficit, ut exponatur D. Thomas.

Respondeo secundò (& hæc expositio priorem non destruit, sed confirmat) scientiam visionis esse legem æternam non formaliter, sed intentionaliter, eo sensu quo dicimus conceptum Cæsaris esse verè Cæsarem intentionaliter.

Lex æterna est ipsa Providentia.

195 **N**ulli potuerunt probabiliter distinguere providentiam divinam à lege æternâ, quia licet legamus in aliquibus hanc esse in voluntate, in alijs illam intellectualem esse, nullus probabiliter alteram excludit ab alterius consortio. Si providentia virtus mentalis esset, æterna lex non posset ad voluntatem spectare; quoniam vel utraque debet esse in intellectu, vel utraque in ipsâ voluntate. Igitur sive in voluntate, sive in mente sint, distinguere re aut ratione non possunt. Ergo *Providentia & Lex-æterna* sunt duo nomina, quæ significant eandem rem. Subscribo Augustino *lib. de verâ relig. cap.* 30. *in fin. & cap.* 31. *sub init.* Et *quæstionum libro, quæst.* 27. Doctore Angelico 1. 2. *quæst.* 9. *art.* 1. & 4.

Hinc constat Providentiam eodem modo debere dividi quo æternam legem, nempe in Physicam Moralemque. Illa, omnia physica dirigit; hæc verò, moralia; vel ordinando ad physica physica, vel moralia ad moralia. Ergo æterna lex physica à providentiâ physica mero nomine distinguere potest.

Obijcis, hanc esse sententiam contra mentem Angelici Doctoris Legem æternam & Providentiam distinguentis *quæst.* 5. *de verit. art.* 1. *ad* 6. quia ibi asserit Providentiam non esse ipsam æternam Legem, sed eam sequi.

Respondeo dari tres æternas Leges; prima enim est innata, secunda respicit rerum dominium, tertia regimen. Providentia & hæc tertia coincidunt, & sequuntur innatam, & æternam physicam legem dominij.

Legi

Legi æternæ morali sapè non obeditur, nemo est inobediens physica.

196 **D**abo verba Augustini dignissima tanto Doctore. *cap.* 100. *Enchiridij* sic ait. *Quantum ad ipsos* (nempe ad peccatores) *quod Deus noluit* (hoc est, quod Decalogo interdixit) *fecerunt: quantum verò ad omnipotentiam Dei* (sive ad legem æternam physicæ jurisdictionis) *nullo modo id facere voluerunt* (id est, nullo modo aut voluerunt aut potuerunt facere quæ Deus nolisset fieri, sive æternum inhibuerit physicâ lege & directione) *hoc quippe ipso, quod contra voluntatem Dei* (seu Decalogum) *fecerunt, de ipsis facta est voluntas ejus* (videlicet lex æterna jurisdictionis physica.) Hæc certissima sunt, quia quomodolibet opereris liberè aut necessariò, bene aut malè, semper correspondebis legi æternæ physica. Benè operando quidem; quia amando Deum non solum satisfacis præcepto morali, sed etiam correspondes physico decreto te physice prædeterminanti. Malè operando etiam, quia si peccando contra legem æternam moralem quæ te obligantem ad talem actum virtutis, opereris; in eadem legem æternam incidis quæ physicam, nempe quæ permittentem te tuo arbitrio atque præcipiti electioni, aut fortè quæ te prædeterminantem ad peccati materiam.

Vtrum dentur plures æternæ leges jurisdictionis physica; seu plures providentiæ?

197 **N**egat D. Thomas 1. 2. *quæst.* 93. *art.* 1. *ad* 1. cui subscribunt communiter Doctores universi: quorum mentem penitus percallebis legendo *Asserta* subsequencia. *Primum:* non dantur plures leges æternæ intrinsecè distinctæ re aut ratione. Probatur; quoniam eadem formalitas, quæ calos regulat; eadem ipsa homines dirigit, & operationes eorum liberas physice prædeterminat: unde nec abstractioni est locus. Hoc sensu intelligendus venit Augustinus 1. *de lib. arbit. cap.* 5. & 6. & *lib. de verâ relig. cap.* 30. & 31. & *sapè alibi* agens de æternâ lege. *Secundum:* dantur multæ leges æternæ

extrinsecè distinctæ realiter; hoc est, quæ connotent terminos distinctos realiter: quia lex æterna physica prout calos gubernat, non prædeterminat arbitrium Angelorum, & prout homines dirigit, non regit alias animantes. Huc respiciebat Divinus Doctor Augustinus qui 9. *de Civit. Dei*, dicit esse æternas & immutabiles leges, quæ in divinâ sapientiâ vivunt. & *lib. de catechizand. rudib. cap.* 18. asserit Deum convenientissimis legibus mundanas creaturas gubernare.

Difficilis est sententia D. Thomæ 198 *quæst. jam citatâ* asserentis in hoc legem æternam & ideas distinguere, quod hæc simplex sit, & illæ plures.

Impugnant nonnulli D. Thomam, & asserunt eo sensu quo lex una dicitur debere etiam ideam simplicem esse, hoc est intrinsecè: extrinsecè autem non solum dari plures ideas, sed etiam plures æternas leges.

Suarus *lib. 2. de legib. cap.* 3. *num.* 15. asserit non esse intellectu facilem distinctionem idearum & legis quam assignavit D. Thomas. & *num.* 16. subjungit totam hanc quæstionem esse de mero nomine. Verè est quæstio maximè de re, & fundatur in curiosissimâ doctrinâ. Cognitionem esse intentionaliter intrinsecè rem cognitam dixi sæpius, in *Metaphysica* probavi: ergo & ideæ divinæ quæ cognitiones sunt, intrinsecè & intentionaliter erunt sua objecta. Ergo ideæ quæ tales plures sunt, non enim intelliguntur ut ideæ cum extrahuntur à categoremate rerum intentionalium: lex autem physica & simplex est, & hoc ipso ab ideis ipsis condistingua.

An lex æterna physica, si bene cognoscatur, habeat vim obligandi?

199 **C**onfundunt legem æternam physicam & moralem, qui existimant à physica induci aliquam obligationem. Non habuit intentionem obligandi conscientias Dominus cum physicam legem condidit, cui universa subjecit: quamobrem si bene à creatura cognoscatur, cognoscetur non esse moraliter obligatoria, esse tamen certa & infallibilis, ut omnia alia decreta.

G 3

Pluribus

Pluribus exemplis suaderi posset; proponam solum unum quod doctrinam illustret. Prædixit Christus Petro negationem. Ergo duo cognoscebat Petrus, & dari legem physicam eum prædeterminaturam ad materiale negationis, & dari legem moralem interdicentem infidelitatem. quæ subijciebatur primæ legi, poterat quidem physicè non negare Dominum, sed infallibiliter negaturus erat: quæ subijciebatur secundæ, non poterat licitè negare. Ecce moralis obligatio non nascitur à physicâ lege.

De legis seu regiminis physici objecto.

Primò lex æterna non regulat increatos actus Dei, ut persuasi num. 33. Secundò lex eadem non indicitur essentijs & quiditatibus rerum, quia hæ necessariæ sunt, nec divinitus mutari possunt. Potest Deus facere, quod homo non sit albus, imò nec coloratus; potest eum privare omni existentia, omni loco, omni tempore, omni accidenti, omni passione, omni proprietate: cæterum prædicatis essentialibus & intrinsicis eum privare non potest. Homo possibilis homo est, sed non existit. Si crearetur sine ubicatione, revera existeret, sed nusquam. si spoliaretur tempore, esset nusquam: si autem rationalitatem substuleris, non intelligam hominem.

Non aliter. Lege æternâ decretum est gravia deorsum tendere, quia descensus non est de essentiâ gravium: attrahuntur virtute magneticâ residente in tellure, quæ si resideret in secundâ æris regione, sursum adtollerentur. Levia (sic vocantur corpora, quæ minus gravia) sursum tendunt, quia extolluntur descensu gravium; descensurâ, si gravia adtollerentur.

Sanctum est lege æternâ physicâ ignem esse calidum, hominem risibilem, adamantem durum, ceram mollem, ferrum solidum, aquam liquidam. quæ omnia, si distinguantur specie substantiali, ut communis sententia fert, aliter potuerunt disponi. Posset fieri aqua solida, ferrum liquidum, cera dura, adamas mollis, homo non risibilis, & ignis frige faciens. Cur ignis non ureret medio frigore si Deus voluisset? cur non posset æquivocè

frige faciendo præparare materiam, quæ postea incenderet aut calefaceret? cur non posset exuere omnem activitatem? in Babylonico fornace ignis sui ingenij obliviscitur; quoniam lex ipsi æterna pro illo tempore decrevit carentiam omnis activitatis. Cæterum, si ista omnia distinguantur accidentaliter, cavenda sola est contradictoria terminorum oppositio, dicendumque omnia illa posse fieri divinitus, quæ contradictionem non involvunt.

Cum entia necessaria æternæ legi subdo, subscribo Divino Doctori Augustino qui 1. de lib. arbit. cap. 5. & 6. asserit res omnes æternâ lege dirigi in suos fines. & lib. 83. questionum, quæst. 27. in fine affirmat legem æternam esse incommutabilem, & omnia mutabilia pulcherrimâ gubernatione moderari. Hujus legis meminit Poëta-Rex Psalmo ciii. *Præceptum posuit & non præteribit.* Et Proverb. viii. *Legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* Et paulò ante, *Quando certâ lege & gyro vallabat abyssos.* Et Iobi xxxviii. *Dixi (nempe aqua) usque huc venies, & non procedes amplius, at hic confringes tumentes fluctus tuos.*

Sunt scrupulosi aliqui qui vellent irrationabilia legi non subdi, quia lex importat libertatem. Sed quæstio nominalis est, & resolvitur doctrinâ expositâ. Lex æterna duplex est, physica & moralis. Moralisis alogis animantibus & rebus vitæ expertibus nequit imponi, quoniam mores excidunt absente libertate. Adhuc physicam legem non ratione sui, sed ratione objecti subdivido in necessariam & infallibilem. utraque est ante moralem; illa mentis impotens, hæc intellectuales creaturas prædeterminat sine intentione obligandi moraliter. Quis enim aloga entia subtrahet à lege physicâ necessitante?

DISPUT. III.

An creatura possit creaturam physicè prædeterminare.

CAVSARVM sympathia definitur à Cicerone lib. 2. de Divin. quædam convenientia & conjunctio nature. Hæc convenientia naturæ potiùs, quàm

quàm essentiæ dicitur, quia non est solum convenientia in essentiâ, sed etiam in operatione. Sympathia igitur prædeterminatio physica est. Prædeterminatio quidem, quia symbolam causam prædeterminat; sed & physica, quia cum reperiatur sæpè in rebus insensibilibus, moralis præmotio nequit esse. Sympathiam autem esse in pluribus rebus clarius est lumine meridiano.

Primo inter voluntatis humanæ decreta & potentiarum actiones sympathia quædam est & concordia. Movetur manus ad imperium liberum, cum voluntati placet, & ut placet. Credit, qui vult & quando vult, & ideo infidelitas agenti imputatur. Decreto libertatis prædeterminatus intellectus; speculatur hæc vel illa, & omittit quæ vult, alia substituendo & ideando. Lingua etiam prædeterminata loquitur, & tacet ad imperium manucentis voluntatis. Et hæc in ipso homine.

Secundò, extra se homo causas secundas prædeterminat applicatione & arte. Calamo prædestinat motum; figuram solidis; alijs corporibus ubicationem, situm, motum. Hæc enim & nobiliora præmovendo & prædeterminando facit.

Tertiò, res inanimatæ sæpè alias inanimatas præmovent ad operationem. Si cytharæ chorda pulsatur, alterius cytharæ unisona chorda reboat non pulsata: quam manus non tetigit, præmovit uniformitas, concordiaque prædeterminavit. Magnes admirabilis lapis, sive à cælo sive à terra moveatur, movetur tamen, & prædeterminatur, & ni impediat, respiciet Septentrionem.

Quartò, Antipathia ratio confirmat hæc, quæ diximus; quoniam etiam prædeterminatio physica est. Lupus visus præmovet agnellum ad timorem: conspecta felis prædeterminat mures ad fugam. &c.

Tandem multa experimur quorum rationem aliam assignare non possumus, quàm naturalem sympathiam. Talis res te adlicit, talis te fugat, & utrumque ante omnem discursum, & fortè aliquando ante rei cognitionem; sed qui? aut fallor aut adliciunt symbolæ qualitates, & dissymbolæ fugant; similitudo conne-

ctionem appetit; separationemque dissimilitudo; quam, quia res, quæ sunt similes, sine motu acquirere non possunt, se mutuo ad operationem & motum localem prædeterminant.

Dantur igitur etiam in creaturis activæ prædeterminationes, non solum ad legem innati appetitus, sed etiam ad proprietarij domini & supremæ jurisdictionis pertinentes. Illas inter se dicta numero 180. distinguunt.

Dico igitur primò, *Quotiescumque res prædeterminata non sit causata, prædeterminante, illa prædeterminatio physica ad innatum appetitum spectat.* Patet; quia prædeterminatio à dominio proprietatis aut à jurisdictione suborta interest causæ & effectui; competit enim activè causæ, & passivè effectui.

Secundò, *Quotiescumque causa prædeterminans non est libera in prædeterminando, illa prædeterminatio ad eundem innatum appetitum spectat.* Consultò in prædeterminando dixi, quia sæpè contingit causas alias liberas necessario prædeterminare. puta, si sit homo distractus.

Tertiò, *Cum Homo aut Angelus rei à se productam & causatam liberè & physicè prædeterminat ad existendum, aut ad non existendum, exercet actum veri domini physice proprietatis.* Patet, vel ex ipsamet definitione domini.

Quartò, *Cum Homo aut Angelus rei à se causatæ non jam existentiam sed operationem liberè prædeterminat; elicit actum physice jurisdictionis.*

DISPUT. IV.

An aliquando peccetur contra Legem Divinam physicè prædeterminantem?

PRAEDETERMINATIO physica lex est, quæ indicit actiones causis tam liberis, quàm necessarijs; lex quæ creaturas in omni operatione manu ducit, regula omissionum operationumq; Petis, an aliquando creatura possit agere contra legem præmoventem & prædeterminantem?

Auxilium dividitur in efficax & in inefficax. Illud effectum semper consequitur, hoc nunquam. Primò. Multi putant auxilia efficacia ab inefficacibus extrin-

extrinsecè distingui ut victor à victo, nempe denominatione extrinsecà sumptà ab ipso effectu: quia sicut idem dux si prevaleat nominabitur victor, victus, si superetur; ita etiam idem auxilium, eadem præmotio dicenda erit efficax, si effectus subsequatur; & si non subsequatur inefficax. Vnde addunt æqualia & simillima auxilia aliàs esse efficacia, & aliàs non esse. *Secundò.* Alij dicunt auxilium efficax & inefficax differre specie. Diciturque efficax, quod ex naturâ suâ infallibiliter infert effectum; vocarique inefficax quod infallibiliter infert effectus omissionem. *Tertiò.* Nonnulli existimant idem auxilium numero dici inefficax & efficax: efficax quidem prout infallibiliter talem operationem infert; inefficax prout non infert contrariam, quæ fieri posset à potentiâ liberâ. Prædeterminatur Petrus ad homicidium: hac prædeterminatione (juxta hos Authores) affectus Petrus potest occidere, & potest non occidere, occidet tamen: ipsa igitur prædeterminat Petrum efficaciter ad homicidium, ad homicidij omissionem inefficaciter. Vocaturque auxilium quâ præmoveret ad actum bonum; dicitur præmotio, quâ prædeterminat ad materiale actus boni vel mali.

207 Cæterum semper credidi omnes prædeterminationes & præmotiones physicas esse unius atomæ & ultimæ speciei, ejuſque effectum formalem esse inferre, non quidem necessariò, sed infallibiliter effectum. Eadem prædeterminatio quæ infert infallibiliter actum necessarium ab igne, inferet actum liberum à libertate; quia ex naturâ suâ nec necessitat causam, nec libertate donat, sed solum facit quod sit infallibile illam operaturam esse juxta suam potentiam & capacitatem; unde sicut ignem prædeterminat ad comburendum, non autem ad frigefaciendum; sic libertatem prædeterminat ad liberas, non autem ad operationes necessarias.

208 Si debeamus auxilium efficax ab inefficaci distinguere, placet distinctio tertio loco nuperrimè adsignata; idem auxilium inefficax ad amandum Deum est prædeterminatio efficax ad contrarium actum (aut positivum, aut negativum, si dicitur pure & merè negativæ omissiones.)

Ratio est; quia physica prædeterminatio inefficax ad audiendam missam, & prædeterminatio efficax ad non audiendam: prout inefficaciter ad missam præmoveret, auxilium inefficax dicitur.

Sed contra objicis, malè vocari auxilium inefficax ad bonum opus, illam præmotionem quæ physicè & efficaciter prædeterminat ad materiale operis mali illi bono contrarij: nempe malè vocari auxilium inefficax ad audiendam missam, præmotionem illam quâ homo prædeterminatur ad faciendum aliquid incomponibile cum auditione missæ: & probas. Quoniam illa præmotio non prodest voluntati ut missam audiat, sed obest & cogit ne audiat. potiùs igitur impedimentum quàm auxilium & favor dici oportet.

Respondeo libertatem præmotione perfici & adjuvari, imò & actu secundo; perfectior est affecta præmotione quàm eâ carens, perfectior cum operatur actualiter, quàm cum potest. Quo perfectior ipsa est, liberior est; & auxilium debet dici & favor quæcumque entitas, quæ eam liberiolem & perfectiolem reddit: unde asserendum est meliùs & proximiùs posse audire missam cum afficitur prædeterminatione efficaci ad actum oppositum, quàm cum omni prædeterminatione caret. Est asserendum igitur unâ & eadem præmotione libertatem creatam ordinari ad opposita, nempe ad unum extremum efficaciter & ad aliud inefficaciter.

210 Instas. Ergò jam præmotio quæ insensibilia & sensibilia irrationalia prædeterminat distinguitur specie à præmotione quâ agentia libera prædeterminantur. Ratio est, quia agentia necessaria prædeterminantur ad unum, & libera ad opposita.

Respondeo, agentia necessaria ideò determinari ad unum quoad exercitium, quia ipsa ex se sunt determinata ad unum quoad speciem; unde si non essent determinata ad unum hac præmotione ad illa omnia prædeterminarentur ad quæ prædeterminari possent: cum autem causa libera ad duo possit, imò postulet prædeterminari, hinc est quod eadem præmotio, quæ causam necessariam ad unum actum præmoveret, liberam præmo-

veat ad

veat ad oppositos. imò aliquando ad quatuor vel ad centum actus. Verbi gratiâ, si velis habere unum famulum, proponuntur tibi centum juvenes, Franciscum eligis. Ergò jam prædeterminaris efficaciter ad admittendum hunc, & inefficaciter ad admittendos alios, quos potes admittere & non vis.

211 Hinc igitur dubitationi satisfacio, & Affirmo nullum agens operatum aut operaturum esse contra legem efficaciter prædeterminantem. Est expressa Augustini, qui in Enchir. cap. 100. Quantum ad ipsos attinet, ait, quod Deus noluit (hoc est, quod lege morali divinitus interdictum est) fecerunt; quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id facere voluerunt, hoc quippe ipso quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipsis facta est voluntas ejus (nempe voluntas prædestinans & lex divina prædeterminans actus universos.)

212 Major difficultas est, Vtrum possit contra prædeterminationem divinam operari? Resolutio vera est negativa:

A P P E N D I X.

De Angelorum Dominio.

214 **A**NGELORVM propria nomina quis investiget, cum nec specierum propria habeamus? Optime notante Gregorio Homilia 34. in Euang. ANGELVS officij nomen est, non substantiæ, qui enim *ἄγγελος* à Grecis dicitur, à nostris Legatus & Nuntius dicitur. Adsonat Vulgatus in Psalm. Qui facit, ait, Angelos suos spiritus, hoc est, qui spiritus Legatos facit. Nomina quæ singulis appropriantur in sacris literis etiam officij sunt, non substantiæ. MICHAEL dicitur, hoc est, Qui sicut ipse Deus, quoniam ipsi divinitus commissum est fugare Luciferum, qui gloriabatur se esse Altissimo similem; ergò Michael non à naturâ, sed à victoriâ nomen habet; triumphat enim spolijs inimici. GABRIEL Hebraicè, Viri Dei Angelus latine diceretur, quoniam egit Patris Legatum ad Virginem, quæ circumdedit Virum Deum. RAPHAEL, hoc est, Medicina Dei, fuit

non quidem quia contrarium non possit, sed quia contrarium posse non est contra legem physice præmotionis. Explico. Petrus physicè prædeterminatus ad audiendam missam, potest quidem missam non audire; non tamen potest contra physicam prædeterminationem operari, quoniam ipsa eum prædeterminat efficaciter ad auditionem missæ, & inefficaciter ad omissionem; unde posse missam omittere non est contra illius prædeterminationis naturam, imò est secundum ejus ingenium, cui verè opponeretur, si non posset facere contrarium; non enim potest intelligi prædeterminatus inefficaciter ad omissionem missæ, qui missam omittete non potest.

213 **NOTA.** Humana prædeterminationes finitæ efficacitæ sunt, & ideò nunquam frustrantur. Membra subsunt imperio voluntatis, non tamen obediunt si agrotata, si languida; quia voluntatis virtus remissior est illorum passivâ resistentiâ.

divinus Medicus, qui utrique Tobie optulatus. Quis ergo rerum proprietatem adtribuet Spiritibus, qui nequidem nomen habent communem aut particularem proprietatem? Proderit legere sequentes Conclusiones.

215 **PRIMA.** Angeli appetitibus innati lege suam existentiam desiderant & possident & oderunt suâ non existentiam. Si essent mortales non possent licitè se occidere; possent tamen suam vitam tueri etiam cum interitu aggressoris. Ostenditur; quia omne ens appetit suum esse; nec datur probabilis ratio ob quam hunc appetitum Angelis denegemus.

216 **SECUNDA.** Multa sunt, in quæ Angeli habent dominium proprietatis.

Sanè Angelos habere dominium naturale in aliquas res, asserunt universi; differunt tamen in designandis rebus quibus dicuntur ex rei naturâ dominari.

217 **PRIMO** Angelus est naturalis Dominus suarum

H

suarum operationum, earum scilicet quas elicit cum indifferentia & libertate. Est Dominus sui arbitrij, multarum cogitationum, motuum localium, & durationis temporaneæ; quia liberum Angelo est uniri aut non uniri corpori, & ejus ubi & tempus extrinsecus participare. Lefsius *lib. 2. de just. & jur. cap. 4. num. 3.* Ego *Comment. in Reg. D. Benedicti num. 821.* quoad hoc, eodem prorsus modo de Angelo philosophor, quo de homine numero 121. & 122.

218 *Secundo.* Multi existimant esse magnam Angelicam activitatem, posseque naturaliter movere corpora quacumque non solum localiter, sed etiam substantialiter educendo, novas formas materiales de potentia materie. Vtrum hoc verum, examino loco opportuno: nunc autem ex hypothese assero Angelum esse naturalem Dominum cujuscumque effectus substantialis a se producti; non enim bonam Philosophiam instituerem, si aliter de Deo, aliter de creatura in questione utriusque communi disputarem.

219 *Tertio.* Angeli fuerunt naturales Domini omnium illarum rerum, quas destruxisse leguntur in genere causæ principalis. Vt hoc melius intelligas adnotato bifariam Angelum operari; nempe, vel ex iudicio Dei, vel ex arbitrio naturali. Cum Dei nomine & mandato homines occidit, armenta destruit, domos diruit, & provincias submergit, non agit causam principalem, sed instrumentalem: est enim moraliter Dei manus flagello accincta infligens penas peccatoribus; peccatoribus inquam, qui subsunt Dei dominio, qui in huiusmodi actionibus asseritur causa principalis.

Si historias sacras & prophanas examines, reperies exempla plurima que dicta confirmant, & dicenda præparent; perstringam selectiora.

Angeli læsi Dominij Dei vindices, ut causæ instrumentales.

221 **D**idicerat suo damno Adamus scientiam & discretionem boni & mali, proscribitur à Paradiso *Geneseos*

tertio; illi custodiendæ decernitur celestis Cherubinus, flammeo & versatili instructus gladio, occisurus quemcumque qui auderet sacros illos recessus penetrare. Occisurus, inquam, non propria authoritate, sed ex Dei commissione.

Erant Sodomæ peccatis gravissimis contaminata; in tribunali infallibili de crimine pessimo convictæ ultimam sententiam damnabantur. Intererat Lothus vir pius, & nonnulli domestici illibati. Hos protegit & liberat; Sodomitas igneis oceanis, & flammeis inundationibus submergit Deus universorum Dominus *unde vigesimo Geneseos*, legans faciales Angelos, & severo spirituum arbitrio tanti sceleris expiationem committens.

Exterminator Angelus *Exodi xii.* à Deo expressè mittitur, qui præteritis Hebræorum domibus agni sanguine illitis, Ægyptiorum universas percurrit, & sustulit omnes primogenitos.

Mittitur etiam divinitus *2. Regum 24.* Angelus qui percutiat populum regnante Davide, qui jusserat lustrari populum, aut indigni timoris, aut inanis curiositatis gratia.

His & alijs historijs delegatam Angelorum authoritatem comprobantibus, recentiora adjungamus. Heraclius, imperij sui anno ultimo, adoriebatur Agarenos milite ducto ex Portis caspijs. Mira res! Dei Angelus de ejus exercitu occidit viros quinque milia, asserentibus Othone Phrisingensi *lib. 3. cap. 9.* & Godofrido Wittenbergensi *p. 16. Chronicor.* Est miraculum simile illi quod *4. Reg. 19.* legitur; nam cum Assyrij injuste obsiderent Hierosolymas, Judæos ad se clamantibus adveniens Dominus concessit prædarium Angelum, qui prima nocte triumphavit inimicum deletis octuagies quinquies millibus.

Angeli exterminatores, ut causæ principales.

222 **N**on habemus historias ex quibus evidenter constat Angelos homines occidisse, ut causas principales; nempe, non ex commissione divina, sed ex causâ

causâ legitimâ, non jubente Domino, sed permittente. Probabo nihilominus ex multis titulis id posse contingere, & primò titulo inculpatæ tutelæ.

Ex mente D. Ioannis Damasceni, *Angelus est substantia intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo ministrans, gratiâ & non naturâ suscipiens immortalitatem.* Ergò fortè putavit Damascenus Ioannes Angelos, si eorum naturam respicias, mortales esse: habereque à gratiâ vitæ inamissibilitatem. Ergò & Angeli in puris naturæ, & demones quia in peccato sūt, gratiâ carèt, ac per consequens mortales sunt. Ergò qui Angelum carentem gratiâ adoriretur, posset illum physicè occidere: ergò & se posset Angelus ille defendere: ergò & invasorem occidere propriæ securitatis causâ. Ergò & fieret indirectè Dominus hominis invadentis, non secus ac nos cum defendendæ vitæ gratiâ quemcumque hominem invadentem necamus, si aliter repellere vim non possimus. Omnes has consequentias fortè admitteret citatus Doctor, vel oblivisceretur sui. Has hodie admittere non possumus, quia communis Idea concipit Angelos præditos immortalitate naturali: Angeli igitur neminem occidere poterunt ob vitæ suæ securitatem; nemo enim eos injustè vitæ privare potest: homo enim, & quicumque alius Angelus caret viribus, Deus illos injustè non adnihilaret, est enim proprietarius universorum dominus.

Nihilominus Angeli honoris sui extrinseci sunt veri Domini; nec possunt hoc privari inviti; nec honori suo cedere debent. Ergò quoties homo invidus Angelum calumniatur, & eum injuriâ afficit, potest Angelus nomine proprio honoris læsi instaurationi studere, etiam cum peccatoris damno; imò & potest illum occidere si aliter honor perditus resarciri non possit. Cum primùm Angelus incipit posse hominem justè occidere, incipit esse verus ipsius sed indirectus dominus: aliàs enim injustè ageret, si eum occideret, qui suus non esset. Nec hic aliquid speciale dicimus, quod non dixerimus de homine, nam & *num. 339.* asseruimus posse hominem honorè,

imò & fortunas defendere, etiam, si aliter non possit, occiso invasore.

Iuvat historia meminisse, quam recenset Matthæus Felisius *dist. 2. Inst. Christian. Elucidat. 7. anno 1556.* & ex eo Beyerlinckius *verb. Angel. pag. 425. D.* David Georgius, Delis Bataviæ natus, discipulus esse Christus & verus Messias credebatur, & post resurrectionem secreto loco mansisse absconditus non secus ac Elias & Enochus. sibi cavens aufugit in Basileam, ibique mutato nomine Ioannes Bruck dictus inceptit defendere non dari Angelos. Plausibiles erant ipsius conciones, quibus adlectus vulgus cepit avitas traditiones contemnere & recensere Angelorum & Spirituum nomina inter voces nihil significantes. De Angelorum honore agebatur, quem defendere ipsi poterant etiam cum damno insolentissimi calumniatoris. Eum admonent absorbentes fulminibus duas domus, quas suæ doctrinæ quæstu crexerat, uxorem ipsius terrent, & tandem doloris gladio lauciam auferunt; demum contumacem in cineres redigunt octavo Kalendas Septembris anni MDLVI. & post duos annos ministerio puerorum sollicitantium, & Magistratûs aduentis, unâ cum libris Teutonicis novæ hæreseos obsidibus priores cineres secundo incendio tradunt.

Sanè hæc omnia potuerunt accidere sine Angelorum interventu, Deo operante ut causâ universali: vero similis autem est esse ab Angelis facta tamquam à causis principalibus in restaurationem injustè læsæ authoritatis. Angeli igitur ostenderunt se, non solum esse ædium & miseræ confortis dominos, sed & habuisse jus in vitam, honorem, & scripta Davidis Georgij eorum authoritatem, imò existentiam denegantis.

Addam corollarium, & fortè ad mentem Damasceni cujus memini in limine resolutionis. Creavit Deus *Geneseos* primo hominem præditum mortali naturâ, quam immortalem reddidit gratiâ & innocentiam originali. Stante immortalis innocentiam gratiâ homo occidi non debuit, habebat enim concessam divinitus immunitatem. Peccat homo & novo titulo

titulo Dei dominio subditur; illum poterat propter crimen occidere, honoris vindicandi gratiâ. Vnde si Deus posset homines manumittere & eximere à suâ autoritate, ipsi licet emancipati reinciderent in Dei dominium quoties Deo physicè opponerentur; imò & possent occidi quoties graviter ejus honorem auctoritatemque labefactarent.

Hæc quæ de Angelis dixi, etiam Beatorum animabus adproprio, quæ dicendæ sunt Dominæ suarum operationum immanentium, omnium substantiarum, quas producunt; imò & creaturarum, quas proprio nomine extinguere posse asseruntur; illarum nimirum directè, istarum indirectè.



LIBER

LIBER II.

DE LEGE MORALI

SEU VIRTVALI.

PROOEMIUM.

34




LEGEM æternam in Physicam & Moralem divisi, sed quâ Lege? An quâ dividitur Subjectum in diversa accidentia? An quâ Genus in Species per differentias essentialis? An tandem quâ Totum actuale in suas partes: videlicet, quâ Quaternarius in quatuor unitates? *Respondere unum & idem subjectum indivisibile dividi secundum connotata systematica: consono mihi Commentarij Regule Benedictinæ numero XXI. asserenti Leges Physicam & Moralem non distingui specie, sed esse partes entitativas ejusdem æternæ & infinitæ Legis: partes, inquam, extrinsecas, non verò intrinsecas. Hoc ut altius percalleas, adnotato, æternam & infinitam Legem, prout abstrahitur à denominatione Physicæ & Moralis, respicere proportionatos terminos, à quibus, si fuerint Physici, denominabitur Lex æterna Physica; Moralis, si Morales: ac propterea Lex æterna Physica non distinguitur intrinsecè à Morali, sed solum extrinsecè penes diversa aut differentia connotata. Physicam divisimus in Legem innatam, Legem dominij, & Legem prædeterminationis. Innatâ Lege physicâ, se, suam vitam, perfectiones & attributa Deus diligit: diligit quidem positivè innato appetitu infinito, qui infert negationem odij vel tædij erga se ipsum; quia ex eo quod innato appetitu se Deus diligit positivè, sequitur non posse se persequi odio elicito positivo; hoc enim odium pugnaret contra Legem appetitus innati. Augustinus libri 26. contra Faustum cap. 3. *Contra illam verò**

summam naturæ Legem à notitiâ rem tam tam Deus nullo modo facit, quàm contra se ipsum non facit. Intelligit Legem innatam, quæ prima & summa universalium est, contra quam Deus nihil potest facere. Lex dominij creaturas respicit & consistit formaliter in productione: nimirum, Physica in physicâ, Moralis in morali. Legem dominij, sequitur Lex prædeterminationis, seu regiminis; quia rei dominus habet jus ad illam gubernandam: prædeterminare enim physicè nihil aliud quàm physicè gubernare; & gubernare moraliter nihil aliud quàm moraliter prædeterminare. Nam sicut agri propriarius dominus, non solum habet usufructuarium dominium in agrum, ex vi cujus possit illum destruere & conservare; sed & utile, ex vi cujus agri fructibus & quibuscumque adnascentibus rebus dominetur; & sicut equi dominus præter usufructuarium dominium, ratione cujus eum occidere & conservare potest, etiam habet utile, ratione cujus potest illo uti ad equitandum, currus trahendum, onera vehendum, vel alia quæcumque ministeria; sic & causa efficiens totius creature rationalis (Deus unus est; quia nec Angelus angelitus fit; nec Homo fit totus humanitus, nam parentes nec corpus, nec animû, sed meram unionem producunt) præter dominium usufructuarium erga intellectualis creature substantiam, habet etiam utile & usufructuarium erga passiones & operationes, de quibus potest disponere ut de suis, non solum prædeterminando physicè ad materiale actionum, sed & prædeterminando moraliter latâ Lege & præceptis; imò & hoc idem jurisdictionis dominium hominibus communicando.

De physicis Appetitu innato, Dominio, & Iurisdictione in præcedendi libro, quæ necessaria judicavi, brevissimè tamen exposui; at impræsentiarum de eisdem

tribus membris prout ad systema morale pertinent uberiùs disputabo; synopsis dicendorum dabit Categoriema subsequens.



335 Hinc constat Legem Moralem esse Physicæ symbolam, & eodem omninò modo de illa philosophandum esse moraliter, quo de Physicâ physice: miserè enim oberrant, qui existimant in rebus moralibus summum rigorem non requiri, posseque multa dici physico rigori repugnàtia. Oberrant, inquam, quia illud quod asseritur sine fundamento physico, non jam morale, sed chimæricum est. Et ostenditur; quia multi sunt, qui chimæras cum fundamento in re comminiscuntur; nemo qui sine fundamento non chimæras. Chimæras enim sunt, quæ phy-

sico fundamento carent; chimæras, quæ levi vel insufficienti; & solùm dicuntur denominationes reâles, quæ à fundamento sufficienti desumptæ; vel aliàs Moralitates à chimæris & figmentis distingue. Cùm agis de Sacramentis novæ Legis, confici asseris, rebus ut materiâ, verbis ut formâ, cur non contra? ergò omnes Moralitates sunt nugæ, vel danda est ratio, cur potius verba ad formam pertineant, quam ad Sacramentorum materiâ. nec dari ratio potest, quæ non sit naturalibus fundamentis innixa.

CAPVT I.

De Lege Innatâ Virtuali seu Morali.

336 **O**MNE Ens physicum appetit suum naturale esse appetitu innato naturali: ergò omne Ens morale appetet suum morale esse appetitu innato morali: Entia ergò moralia sine morali violentiâ sæpe tolli non possunt.

Primò. Totum morale suam moralem conservationem appetit moraliter, ut in communitate videre est; corpus est morale seu politicum, institutum ad singulorum conservationem quietam & tranquillam sub tali aut tali modo vivendi. Si civem occidis, violentiam physicam infers occisi animo & corpori; ille enim hujus consortium appetit, & contra. at communitati violentiam moralem; ipsa enim singulorum membrorum, quibus coalescit, conservationem morali appetitu desiderat: contra quem etiam opereris, si vel illam dissolveres, vel illum moralem ex cuius vi subsistit rumpendo, vel aliquem civem bonum & utilem proscribendo. Violentiam moralem passa est Hierosolymitana communitas, cùm sublata libertate (conditio est sine qua corpus mysticum stare vix potest) dissoluta fuit in homines privatos, qui urbis immunitati exuri, miseram servitutem incurrerunt: violentiam etiam moralem Lustrantia cum Viriis bonum & verè Republicæ necessarium Ducem perdidit; Gallia cùm Henricum IV. quidquid sit de moribus privatis, strenuum, vigilantem, politicum, & magnum Regem.

337 Secundò etiam in rebus singulis reperitur nonnumquam aliqua moralis violentiâ, cùm vel aliquid fit, vel omittitur

cõtra moralem entis moralis exigentiam. v. g. Qui ad Sacramenta aliqua (puta Baptismi, Confirmationis, Ordinis & Matrimonij) cum fictione accedit, recipit quidem effectum Sacramenti, non tamen gratiam Sacramentalem. effectum quidem, quia à Baptismo fit Christianus; à Confirmatione in fide Catholicâ consolidatur; ab Ordine habet quòd sit Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus; à Matrimonio quod sit conjugatus. non gratiam, quia hæc cum fictione (sic peccatum actuale, aut non retractatum sufficienter appellant) non compatitur. Cùm igitur Sacramenta sint productiva gratiæ, & agentia necessaria sint, sine violentiâ impediri non possunt. Fictio igitur infert violentiam Sacramento cum ejus operationem impedit; physicam quidem, si asseratur impedimentum physicum: moralem verò, si morale; activitas enim Sacramentorum disputabilis est, & physica à Thomistis, moralis ab alijs asserita.

Tertiò omnis moralis Lex solet violentiam pati, unde violari dicitur, quòd idem sit violentia ac violatio. Omne agens physicum desiderat assimilare sibi passum, omne morale est eadem analogum & afficitur eodem desiderio. omnis igitur Legislato appetit assimilare Legi subditos; moralem igitur violentiam sic appetitus patitur, cùm illius tabule violentantur.

338 Hæc igitur de innato morali appetitu sufficienter, ad morale transgrediamur Dominium, & examinemus graves aliquas difficultates.

339

CAPVT II.

De Dominio Proprietatis Moralis seu Virtualis.

340 **R**ERVM naturale Dominium in earumdem naturali productione consistere libro præcedenti monstravimus: unde necessariò inferitur Virtuale seu Morale productione morali seu virtuali fundari. Dicitur naturalis dominus, qui illam verè & physice produxit:

moralis qui moraliter, hinc dicitur, qui tamen rem non produxit, realiter & verè, ita se habet ex hominum pacto & concordia ac si verè produxisset. Cùm autem multe sint morales productiones, multi sunt tituli adquirendi dominium; sed omnes reduci possunt ad sequentes.

Inventio.

241 **P**RIMVS est Inventio; res enim quæ extra hominum notitiam sunt, humanitus non sunt, adeoque nec virtualiter sunt; unde ita se habent ac si verè non essent. cum inveniuntur, incipiunt humanitus esse; cum autem hoc esse, quod acquirunt, debeat Inventori, bene iste dicitur moraliter produxisse res quas invenit; bene eum Inventionis titulo morale dominium adquisisse.

Inventioni opponitur Amissio, & est virtualis rei destructio; quia cum primum res incipit esse extra notitiam hominum, esse desit humanitus, & tamen si physicè ipsa existat, ita tamen se habet ac si verè non existeret. Cum ita res amittitur ut ab alio inveniatur, etiam respectu illius qui amisit, ita se habet ac si rerum naturam non esset, & hoc quousque inveniatur, tunc enim dominium mortuum reviviscet.

Servatio.

242 **C**VM rem quam destruere posses, servas contractu legitimo inuito, deceris acquirere dominium; & res sic servata dicitur servitutem incurrere. Qui quidem modus dominij acquirendi non solum in homines, sed & in res inanimatas habet vim. Vincis hostem, intercipis, & retines; nondum amicus ille, nondum vitæ dignus; potuisti occidere antequam interciperes, & potes etiam interceptum. Quia manu captus ille tibi mancipium est, fugere licitè potest, violentiæ enim vinculis retinetur. Inis contractum tacitum vel expressum; possum (inquis verbis vel factis) te occidere licitè, tu licitè evadere, ergo cedam jure vitæ & mortis quod in tuam personam habeo, & viginti annorum spatium non occidam, tuque vicissim cedas jure libertatis quod habes. Ecce dero stabile dominium in servum ad quibus & occidendi potestatem pro illo tempore perdis; & ille pro eodem libertatem amittit & vitæ securitatem lucratur. transacto illo determinato tempore servitus finiretur, & status mancipij rediret. Contractus ille qui inter victorem victumque iniri solet sæpius æternus est,

sed temporaneus esse posset si consideretur jus naturæ.

243 **S**ervationi opponitur Destructio, non Manumissio; hæc enim donatio quædam est, quæ libertatem servo restituis, aut ex legis indicto, aut ex munificæ liberalitate. Bene intelligitur qualiter per Servationem, quæ productio moralis quædam est, dominium in servos acquiratur, non autem quale illud sit; multi enim putant non haberi proprietatis dominium in servos, sed dominium absolutissimæ jurisdictionis; nemo enim servum realiter destruere potest, & ex jure vendendi sive destruendi moraliter, non bene inferitur proprietatis dominium; quia naturalis pater, in filium non proprietatis, sed jurisdictionis dominium habet, sed tamen in aliquibus casibus eum vendere potest, & quidem huic sententiæ libentissimè semper subscripsi. nemo enim est proprietarius dominus, qui non habeat servandi & destruendi directam potestatem, quam in homines, nequidem Reipublicæ concedimus, quam dicimus cum moderamine inculpatæ tutelæ contra fures, homicidas & alios facinorosos procedere; neminem ultimam condemnando sententiâ, quem illa suo vitæ communis sine servare possit.

244 **F**undi domus & alia bona realia servitutem incurrunt, cum alicui, qui proprietarius dominus non est, obstringuntur quò ad aliquid in particulari. Puta, si mea domus teneatur præbere tibi transitum, tuæ aquas excipere, &c. Fundatur ista servitus in venditionis aut donationis tacito vel expresso contractu, ut suo loco dicemus.

Curatio.

245 **T**ERTIUS acquirendi dominij modus Curatio. locum habet, cum res manet, ita tamen corrupta ut usibus humanis non serviat. videtur enim cum curatur humanitus produci.

Opponitur Curationi Corruptio, cum res non destruitur penitus, ita tamen corrumpitur, ut usibus humanis non serviat; quod enim humanitus esse desinit, ita se habet, ac si verè non esset.

Filiatio.

Filiatio. Adoptio.

246 **F**iliatio tantæ virtutis est, ut duas personas realiter distinctas uniat & unam in aliam transubstantiet; unde cum pater moritur, non mori dicitur, quia alium se (hoc est, filium) relinquit post se.

Adoptio est quædam virtualis Filiatio, ex vi cujus ita se habet adoptatus, ac si verè esset ab adoptante genitus.

Transubstantiatio, quæ Filiatione, aut Adoptione fundatur, Exfiliatione & Deadoptione impeditur, nimirum, quando pater adoptivum aut naturalem filiū exhereditat.

Non solum singulares personæ, sed & Reipublicæ & Familiæ bene-meritos viros adoptant. Romanus olim populus innumeros donavit urbe, quod & illustres civitates fecisse legimus; nam, ut alias omittam, Brugensis asserente Petro Bertio in Tabulis contractis Gallo-Belgicam Flāndriam describente, lib. 4. pag. 278. & Bleavio in Novo Atlante, ubi Flandria Teutonice Orientali, Ludovicum Vives natione Hispanum donavit civitate propter egregia merita. Sed & nobilissimæ Familiæ homines alienigenas, illustres tamen propter personales aliquas prærogativas, sibi incorporarunt, & inter alias recensenda mihi est Medicæ, cujus nepotes sunt quicumque in vastissimo terrarum orbe Reges, Augustinum Niffum, sui temporis verè phœnicem, gentilitijs stemmatibus & serenissimam suam nobilitate investiens & Principibus alijs adscribens; ut ex Leonis Summi Pontificis diplomate collegit Antonius Sanderus, & in Flandriæ suæ illustratæ Tomo II. edidit, ubi Castrum Aut-veyver, quod pertinet ad Niffos, describit. Notandum etiam est posse quemcumque hominem propter demerita expungi à civium aut consanguineorum numero, non secus ac propter vitæ merita & virtutes excellentes adscribi. Legitimationis species Adoptionis est, non jam externum, sed illegitimum in filium legitimum adsumens. Sed & posset quis propter crimina damnari, ut jus legitimationis, à naturâ aut parentis munificentia concessum, perdat.

Representatio.

247 **N**on solum parentes filij, sed & nepotes & cognati, avos, patruos, avunculos, cognatos, ubi hoc lege stabilitum, representant. Est autem Representatio quædam moralis actio Representantem in Representatum virtualiter transubstantians.

Ex ista virtuali Transubstantiatione in Filiatione, Adoptione, Representatione, ac quacumque aliâ incorporatione repertâ sequitur, quòd eadem omnino jura, quæ priori personæ ante transubstantiationem competebant, competant secundæ post transubstantiationem; unde inter alia hoc jure rerum dominia proprietaria mutantur.

Donatio.

248 **V**irtualis transubstantiationis genus est, & concedit, ut is, cui res donatur, ita se habeat ac si re produxisset; habet multas species; præcipuæ, Remuneratoria, Dispositoria, Liberalis, Donatio causâ mortis, Testamentum, Ludus. Remuneratoria videtur potius esse solutio: Dispositoria, potius esse mutuatio: & Liberalis, sola illa quæ non fit in compensationem & præmium servitij præstiti, aut præstandi, sed ob meram liberalitatem. Donatio causâ mortis talis est, qualem nomen exponit. Testamentum est donatio conditione subnixâ, exprimenda his clarioribus verbis; *Dabo Petro tot aureos si moriar.* Et Ludus videtur etiam imbibere conditionem, sed mutuam; puta, *Dabo centum aureos si vincas, dabis si vincaris.*

Emptio.

249 **E**mptione jam hodie frequentissime transferuntur dominia, nam liberalitate exule res paucissimæ vel nullæ donantur. Ex vi emptionis incipis, qui picturam emisti, ita te habere, ac si illam fecisses, acquiris enim conservandi & destruendi legitimam authoritatem: venditione incipit pictor ita se habere ac si eam non pinxisset, amittit enim potestatem destruendi & servandi, quam habebat.

Mixtio.

250 **A**dquiris dominium mixtione, cum pauca res alienae ita tuis immiscetur, ut distingui non possint; tunc enim teneris recompensare proximo datum ex hac mixtione illatum, iuste tamen res tuas immixtas retines. Ita omnes. Consulto dixi debere ita esse immixtas, ut distingui non possint; nam si alienae sint multae, numquam tuis poterunt ita immisceri, ut non possint distingui.

Præscriptio.

251 **I**n autoritate supremi domini & singularium hominum compromissione fundatur. Prima omnium Rerum publicarum lex neminem debere reliquis convivere qui communibus legibus subesse non velit: igitur cum in Republica Belgicâ degimus, omnes ejusdem leges acceptamus, & juxta illas dirigi volumus, & si ipsae contra nos militent, cedimus jure nostro: cum igitur inter alias sit quod res bonâ fide præscriptæ transeant in verum dominium præscribentis, qui jure nostro cessimus, debemus perdere verum rerum dominium, & ad quietem Reipublicæ, illud in præscribentem transferenti. Iustissima Præscriptionis lex: & tamen veros dominos dominio proprietario exspoliet, finem imponit litibus, & efficit ut dentur certi rerum domini, quæ alias non nisi per manus ambiguas discurrerent.

Amortizatio.

252 **E**t juris beneficium dignissimum consideratione, quod non tam transferendis rerum dominij servit, quam retinendis & firmandis. Præstat, ut vel res reddatur invendibilis, vel dominus non-venditivus, vel reliqui non-emptivi, juxta ea quæ Commentarij in Regulam Benedictinam numero 822. dixi, & inferius expendam.

PRÆTER

Istos titulos enumerari solent alij, qui doctioribus viris non placent; eos insufficientes esse, nec valere ad domini veri translationem ex dicendis constabit.

Depositum.

253 **C**um res aliqua apud te deponitur, non redderis dominus, sed custos, nec poteris ipsam uti tamquam tuam, tamen possis pro custodia labore aut pretium proportionatum exigere, aut rei usum pretio illi proportionatum usurpare.

Commodatum.

254 **C**um rem commodas, usum concedis proprietate tibi reservatâ. Veste sibi commodatâ Petrus uti potest juxta voluntatem commodantis, at illam vendere, alienare, aut corrumpere nequit.

Spes.

255 **N**on sine admiratione lego teneri ad restitutionem, qui impedit ne dentur pecuniæ ab alienâ liberalitate expectatæ: & visis multorum authorum rationibus dico, damnum emergens & lucrum cessans debere secundum prudentem timorem aut spem taxari, & addo spe fundatâ in merâ liberalitate alterius, nullum jus acquiri, eumque qui factâ donatione impedit ne rem donatam adipiscaris esse tibi injurium, non tamen illi qui impedit ne fiat donatio quæ probabiliter sperabatur. Peccabit tamen contra charitatem & invidus erit, si hanc donationem impediat solum, ut tibi noceat; non verò, si ex causâ rationabili, nimirum, si ut sibi, aut alteri amico proficiat.

Gratie paritas.

256 **P**aucas lineas scripturus sum de Gratia paritate, sed valde necessarias hoc seculo, nam audio frequentissime homines hoc titulo abutentes, ut aliena retineant. Petrus, inquit, magis erat nobis obligatus & majori amicitia devinctus quam Favijs; atqui illis legavit aureos mille sexcentos; ergo totidem poterimus tutâ conscientia retinere. Ille enim censendus est non fuisse suis amicis iniquus, & si æquus aequalis, & si aequalis non voluisse plus minus amicus, quam magis amicis legare. Larva quidem regendis latrocinijs apta ratio hæc, non titulus domini acquirendi: in donationibus enim cum stet pro ratione voluntas, nulla datur rationis paritas.

*Promissio.**Promissio.*

257 **I**n acceptatam & non acceptatam dividitur; hanc non mutare rerum dominia, nec inducere moralem aliquam obligationem asseritur ab universis; an autem illa obligationem moralem inferat, disputatur. Ego autem probatissimis viris subscribens, & optimis rationibus innitens existimo inducere obligationem pure humanam.

Adjuratione.

258 **D**e juramento est major difficultas, dico tamen aliud esse jurare me donaturum esse, aliud esse donare. Qui liberaliter & ex nullâ præmissâ obligatione juravit tibi daturum esse mille aureos & non dat, nullam tibi injuriam facit, sed peccat contra Deum ejus legem violando; unde, si voti relaxationem te inconsulto aut invito obtineat, nihil tenetur tibi donare.

Servitio voluntario.

259 **Q**ui voluntario & non requisitus alteri servit, præmium sperare, imò & petere, ut favorem potest, non ut debitum; ac propterea furti arguendus, si per clandestinam compensationem tantum ceperit, quantum ab alio habuisset. Qui voluntario serviunt, majora præmia sperant quam mercenarij; exponuntque se periculo nihil habendi; quia si hoc deesset periculum, cessaret ratio, ob quam deberent præmiu nobilius sperare.

Titulus legi contrarius.

260 **V**erbo multa comprehendam, quæ uberius expendere possent, omnis titulus qui sub talibus circumstantijs accidit, ut in legem domini mutationem invalidantem impegit, insufficientis est ad translationem domini proprietarij: unde tamen Donatio, Emptio, Venditio, tituli sint, tamen si prodigæ, usurariæ, aut simoniacæ, conscientiam inficiunt, & nihil alterant in re.

Hinc constat primo, omne dominium in productione (physicâ vel morali) fundari. *Secundo* neminem posse tractare moralia qui in naturalibus versatus non sit, qui enim in præmissis physicis obet-

raverit, inferet consequentias erroneas. Exorbitavit Armacanus libro 10. quæst. Armenic. cap. 2. & 4. & cum illo Wicleffus, Hufius, & Waldenses, existimantes morale rerum universarum dominium in gratiâ & charitate fundari; unde duo debebant inferre, alterum Ethnicos, Mahometanos, Judæos, Hæreticos, & ad unum omnes etiam Catholicos dominio rerum possessorum excidere, cum gratiâ alterum, omnes in gratiâ constitutos esse universarum rerum dominos. Hunc tamen errorem damnavit Constantiense Concilium Sess. 8. illum pulchre refellit Waldensis in sui Doctrinalis cap. 81. & Molina tract. 2. disp. 18. & 19. Sed & error hoc apparenti syllogismo substruebatur. Amicorum, dicebant prænominati Hæretici, omnia communia sunt; atqui Deus universorum est dominus: ergo ad Dei amicos omnia spectant. Atqui qui habent charitatem & gratiam Dei amici sunt; ergo. Si scholastico rigori studeas nega simpliciter majorem.

His Hæreticis nonnulli Gersonem 261 part. 2. Sermonis in cenâ Domini. De domino evangelico & Conradum libr. 1. de Contract. cap. 2. adscribunt, quod dominium in Civile & Gratificatorium dividerint; illudque jure, hoc verò charitate fundaverint. Dicastillus hac censurâ perstringit Gersonis & Conradi sententiam; In re quidem, ait lib. 2. tract. 2. disp. 1. num. 83. non multum aberrat aut nihil, cautè tamen modus loquendi admittendus est & maxime temperandus ne videamur Hæreticis connivere. At ego doceri velim, An Hæretici docuerint aliquid, quod hi Catholici non doceant. Nam exponendum est quid nomine Gratificatorij domini intelligant; si hoc nomine significari velint jus possidendi aut destruendi, errant. Si jus, non tamen possidendi aut destruendi, nugantur; qui enim nec possidere, nec destruere jure potest, dominus vocandus non est.

Erravit etiam Hostiensis morale rerum 262 omnium dominium constituens in fide supernaturali; erravit inquam, quia tamen crediderit malos Catholicos esse rerum suarum veros & legitimos dominos, tenebatur à dominio vero proscri-

bere universos Hæreticos, Iudæos, Gentiles, & ut verbo dicam, omnes Non-Romanos. Ex hac sententiâ sequeretur Catholicos posse ab Hæreticis & Ethnicis sine scrupulo conscientie furari, illosque non habere jus defendendi divitias, ac propterea erravisse Christum dicentem, *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.*

MANEAT igitur physicum rerum dominium productione liberâ morali fundari, exponique summis periculis, qui charitate, fide, aut alijs extrinsecis titulis fundant. nunc de singulis titulis uberius differamus.

DISPUT. I.

De Inventione primo modo acquirendi dominium morale.

263 **I**NVENTIONEM & Occupationem esse legitimum titulum acquirendi dominium statuunt universi Authores, asserentes cristallos prætiolos, gemmas, metallorum venas, triferas animantes, in maris littoribus, in arenarum montibus, in saltibus, in saxis, repertas ad Inventorem pertinere. Sed quid si negares hunc titulum? quomodo convinci posses?

264 Fortè qui multa supponunt & pauca examinant, te testimonijs & textibus obruerent, non rationibus; ideoque non urgerent; non enim textus admittendi, si ratione vacui. Puto me posse hunc titulum dominij demonstrare, & ex fundamentis præmissis arguo sic. Omnis causa libera acquirit physicum & naturale dominium rerum à se physicè productarum: ergo & morale rerum productarum moraliter. Atqui Inventio est moralis productio; igitur Inventionem acquiritur dominium morale. Minorem probo. Insulæ non detecte, gemmæ nondum inventæ, adamantes nondum reperti, & similia, virtualiter non sunt, quia licet physicè sint ita se habent respectu hominum ac si revera non essent. Cum inveniuntur, incipiunt humanitatis esse: ergo Inventionis vi ex non-esse humanitatis ad esse humanitatis transierunt: ergo Inventio est virtualis seu moralis productio. Ille igitur,

qui rem invenit, virtualiter producit, hoc est, ita se habet ac si realiter produceret. Atqui, si realiter produceret esset dominus physicus proprietarius: ergo ita se habet ac si dominus physicus proprietarius esset; ergo est dominus proprietarius virtualiter.

Inventionem Authores cum Occupatione 265 aliàs conjungunt, aliàs separant: Inventionem enim ipsam rei detectionem appellant; & Occupationem actum primum possessionis quo Inventor rem inventam capit & sibi appropriat. Et inquiris, An dominium pura Inventionem an Occupationem adquiratur? hoc est, An, qui invenit & non occupavit, sit legitimus & verus dominus; An verò ad acquirendum dominium, tam Inventio, quam Occupatio requiratur.

Videretur Occupationem requiri, quia 266 dominium physicum non quacumque productione acquiritur, sed liberâ; ergo & morale acquiretur etiam productione libera morali: sed ad Inventionem libertas non requiritur, requiritur ad Occupationem: ergo Inventio habet rationem præviæ dispositionis, & Occupatio est ratio formalis in quâ fundatur morale dominium. Sed existimo dominium merâ Inventionem acquiri, & Occupationem acquiri rei propriæ possessionem, & sententiam duabus rationibus confirmo. *Prima sit.* Si Inventio non sufficit ad titulum dominij, maximè quia non creditur libera sed fortuita & casualis; atqui ipsa libera est: ergo ad acquirendum verum dominium sufficit. Probat minor. Quia liberè exornantur classis novas insulas & ignotas oras inventuræ; liberè urinatores subnatant gemmas & corallo quærentes; liberè montes & heremos homines industrij percurrunt, ut auri venas aut lapides pretiosos inveniant: ergo in talibus casibus summa libertas in ipsâ Inventionem invenitur; non igitur excludenda est à titulo veri dominij propter defectum libertatis. *Sic secunda.* Si Inventio non sufficit ad titulum dominij acquirendi, maximè quia sæpè non est formaliter & actualiter libera, multa enim liberi invenimus quæ non liberè, atqui formalis & actualis libertas non requiritur: ergo. Minorem

Minorem probo. Quia multi pictores æbriofii mero capti pulcherrimas figuras delineant, & multi conjugati semilopiti filios generant, & licet asseramus neutros habere actualiter usum rationis, utrosque acquirere verum dominium credimus; illos proprietarium, istos jurisdictionis.

De Amissione.

267 **D**ominium Inventionem acquiritur, Amissione perditur; sed quia non quacumque Inventio fundat relationem dominij, sic nec quacumque Amissio legitime fundatam tollit. Talis debet esse Inventio, quæ productio virtualis censetur; talis Amissio, quæ virtualis destructio judicetur: virtualia enim ita se habent ac si essent physica, & physice proprietatis dominium physicè productione acquiritur, perditur physicè destructione.

268 Amissionem animus deferendi & relinquendi sequitur; & inquiris, An Amissione purâ, an Derelictione dominium proprietatis perdat? Hæc quæstio est superiori illi similis, quæ interrogabat, Inventionem, an verò Occupationem dominium ipsum acquireretur? & ideo eodem omnino modo resolvenda.

Respondeo, pauciora requiri ad formæ destructionem, quam ad introductionem. Humanum corpus vix quadraginta vel octuaginta diebus natura præparavit, ut animam rationalem reciperet; & tu vel uno ictu ita illum potes perforare, ut illam conservare non possit. Tribus annis impensis Zeuxis Dianæ imaginem ad miraculum pulchram ediderit; tu vel horæ quadrante tabulam potes lævigare & inmensæ artis delineationem perdere. Cum igitur dominium in operatione consistat, dicendum difficilius acquiri, facilius perdi. Ut acquiratur, opus est, ut rem dominio subditam producat ille qui nominatur dominus; nam si Paulus illam nomine proprio produceret, numquam Anselmus esset dominus. Ut perdat, sufficit rem possessam destrui, sive à domino, sive ab inimico, sive à Deo destruat: nam si v. g. habeas equum, ejus perdes dominium & vel illum occidas, vel

illum inimicus interimat, vel ipse ictus fulmine aut morbo naturali moriatur.

Hinc colligo neminem invitum acquire 269 rere posse dominium, invitum illud perdere posse. vel si dubites, præmissum exemplum iterum expendamus. Equum illum, quem legitime possides, quo uteris, quo carere non vis, morbus extinguat te contra ejus violentiam pharmacis militante. putabisne equi te habere dominium, cum nusquam sit? minimè si sis prudens: habebis enim dominium in equi cadaver & spolia, hæc enim adhuc supersunt; non in equi vitam, hanc enim, cum non sit in rerum naturâ, nec servare, nec perdere potes. Ecce, quod libens & volens adquisieras dominium, perdis invitum & involuntarius.

Hinc igitur ad dubium propositum. 270 Non requiri animum deferendi, sed sufficere meram Amissionem, si talis ea sit quæ destructioni æquivalet. Verbi gratiâ. Instante naufragio in fluctuum vortices sarcinas tuas providus nauclerus immittat etiam te contradicente & reclamante. Illæ adhuc erunt physicè in rerum natura, sed non erunt virtualiter, nam non erunt humanitatis, humani enim usus respectu ita se habebunt ac si actu non essent. Illa igitur immissio independenter à voluntate tuâ fuit destructio moralis. ergo independenter à voluntate tuâ talis quæ te vel invitum dominio proprietario privaret.

Sed quia hæc solidè hucusque perducta sunt, ne scrupulo locus aliquis maneat, aliquot Dubia resolvamus.

ARTICVLVS I.

De rebus quæ nullum unquam habuerunt dominium.

A Dstruit D. Thomas 2. 2. quæst. 66. 271 art. 5. ad 2. triplicem rerum Inventionem; inveniuntur enim, vel, quæ nullius unquam fuerunt; ut lapilli pretiosi, coralli, gemmæ, & id genus alia, quibus littora maris exuberant: vel, quæ olim alicujus fuerunt, jam nullius, ut thesauri antiquorum superstitione conditi: vel tandem, quæ de facto alicujus sunt, sed incogniti; puta, si scyphum aureum

aureum in foro urbis reperias, & tamen facta diligenti inquisitione dominus non compareat. Posita hac distinctione inquiris, An quaecumque rerum, quæ nunquam dominum habuerunt Inventio, sit productio virtualis, & sufficiens titulus adquirendi dominium proprietarium? Satisfaciant Positiones sequentes.

272 Prima. *Abstrahendo à jure positivo civili, gemmæ, lapilli pretiosi, & id genus alia quæ in fluminibus aut marium litoribus inveniuntur, sunt Inventoris. Demonstratur. Quia ab illo virtualiter producuntur; humanitatis enim non erant, & post Inventionem humanitatis sunt: ergo quod humanitatis sint, debetur Inventori.*

273 Secunda. *Si Franciscus à te conductus, ut arcanus maritimus examinet & lapillos querat, lapillum summi pretij repererit, tibi adquirit dominium. Ostenditur; quia in tali casu, non jam Franciscus lapillum illum reperit, sed tu; es enim causa principalis moraliter, & Franciscus tuum morale instrumentum, quo uteris ad lapillos quærendos. Hinc patet mercatores Hispanos posse tutam conscientiam gemmas pretiosissimas retinere, quas vili pretio lucrati sunt in lacu Margarethæ; habent enim urinatores pretio justo conductos, qui gemmas quærunt, quique aliquando nullam utilem inveniunt, aliquando pretiosas, & tamen semper recipiunt suum salarium.*

274 Tertia. *Rex aut Magistratus non potest sibi reservare dominium gemmarum in suis litoribus à subditis inveniendarum invito populo. [Eodem prorsus modo de thesauris philosophator.] Hac veritas suaderi potest, primò communissimam, secundò speciali ratione. Communissima à populi libertate desumitur, cui invito imponi nequeunt leges, nisi fuerint ad ejus conservationem simpliciter & absolute necessaria. cumque hæc lex de gemmarum dominio non possit esse conservationi necessaria simpliciter, invito populo imponi non potest. Cæterum, si aliquando contingat esse necessariam simpliciter, imponi poterit, & ante expressam acceptationem obligabit, sed fortè alio quam obedientie titulo. At esse simpliciter necessaria vix poterit; sed videtur occur-*

rere. unicus casus, cui non dabuntur multi similes.

Esto Cypri Rex à Siculorum Tyranno 275 Dionysio justè victus, & interimendus; delenda Cyprus; insulani perdendi. Salutem miseris concedit Dionysius, si illi Cypriorum Rex gemmas & pretiosos omnes lapillos, qui potuerunt in oris reperiri. Et assero teneri victum Regem articulum hunc acceptare; posseque validam & obligatoriam legem ferre, quæ statuatur, ut omnium gemmarum in litoribus suis reperiendarum dominium sit Tyranni Dionysij; subjungo hanc legem pro illo rerum statu esse necessariam simpliciter & acceptatione non egere.

Specialis ratio ex vero dominio desumitur. Quia ex Positione secundam constitit gemmas hoc modo inventas ad Inventorem spectare. ergo cum Rex aut Magistratus sibi illas appropriat, vasallum innocentem spoliatur: ergo furti erit reus. Regi enim aut Magistratui non est concessa exspoliandi potestas, sed gubernandi, fovendi, promovendi, & adjuvandi autoritas.

277 Quarta. *Potest Rex aut etiam Magistratus interdiceri ne exteri proprio nomine gemmas in suis oris perquirant; imò & ab exteriis inventas mandare fisco; & hoc inconsulto populo. [Eodem modo philosophator de thesauris.] Patet; quia hæc lex non militat contra populares, nec ejus actiones aut dirigit aut coercet, sed militat contra externos, & cadit in utilitatem Reipublicæ. Peregrini autem non tenebuntur legem acceptare, poterunt enim urbe excedere; sed si manserint, debent obedire. Vbi obiter notandum, hanc legem quæ exteros directe obstringit, si indirectè bono publico præjudicet aut civibus aliquibus noceat, sine consensu populi ferri non posse.*

278 Quinta. *Leges circa gemmarum à civibus inventarum Inventionem obligant, si fuerint acceptate. [De thesauris eodem prorsus modo discurrere.] Patet; quia volentibus & permittentibus non fit injuria; & Inventores, siquidem sunt illarum gemmarum domini, possunt cedere dominio juxta præceptum legis; ac si cedant, tenebuntur stare pacto & concordia.*

Hinc

Hinc patet esse temerarios universos Authores, qui leges civiles incusant, injustasque proclamant, ubicumque eas à naturali dissentire aut differre reperiunt, hæc enim multa interdicit, multa præcipit, & tandem multa intermittit, ad quorum omissionem aut admissionem non obligat. Iniqua esset humana lex, si aut præciperet quæ naturalis interdicit, aut interdiceret, quæ hæc præcipit: at verò, quæ naturaliter nec indicta nec interdicta sunt, possunt humanitatis indici & interdici; nimirum, si lex à Principe aut Magistratu feratur, & à populo libere acceptetur.

282 Sexta. *Lapis pretiosus aut vena auri [imò & thesaurus] si in agro Francisci ab Antonio reperiatur, stando puro Iuri natura & à civili præscindendo, sit Inventoris. Est contra Molinam disp. 54. & Bañez 2. 2. quest. 66. art. 5. sed asserta à Lessio & Vasquezio, & non-improbabilis credita à Dicastillo de just. & jur. lib. 2. tract. 2. disp. 9. num. 400. & ostenditur. Venæ auri & argenti, pretiosi lapides, gemmæ, & similia, ante Inventionem nullius sunt: ergo nec domini campi in quo sunt. Consequentia est evidens; assumptum probò. Moraliter non sunt: ergo nullius moraliter sunt. Patet consequentia; rerum enim, quæ non sunt, non datur dominus. Probo antecedens. Quæ humanitatis non sunt, ita se habent ac si verè non essent: ergo virtualiter sive moraliter non sunt. Tunc sic. Cum inveniuntur incipiunt humanitatis esse; ergo illa Inventor ex non-esse virtualiter esse virtuale transtulit: ergo virtualiter produxit. est igitur illorum dominus.*

283 Infer. Ergo venam auri in campo alieno repertam poterit Inventor invito domino eruere, nec tenebitur ad restitutionem auri aut argenti eruti, sed damnum agro illati, non secus ac si illum perfodisset alia ex causâ. Admittunt consequentiam Authores jam citati, quibus libentissime subscribo.

284 Arguis ex Bañez & Molina. Fructus agris inquis, ad agri dominum spectant, in omnium opinione; at lapides pretiosi, gemmæ, venæ auri & similia fructus terræ illius sunt: igitur ad dominum illius terræ spectabunt.

Respondeo concedendo majorem & minorem distinguendo. Pretiosos lapides, gemmas, & venas auri terræ illius esse fructum physicum & materiale, transeat; esse morale, nego: ita enim erant, ut virtualiter non essent; nam ita se habebant, ac si in rerum naturâ non essent. unde non est negandum Inventorem fuisse productorem virtualem.

Instas. Si Inventor est venæ dominus, etiam alter est dominus campi. Ergo sicut ille potest invito domino campi aurum à se inventum eruere; ita etiam hic campum defendere invito auri Inventore. Erit igitur justa utriusque partis oppositio: & evincet potentior.

Respondeo, auri Inventorem posse invito domino campi illud eruere; non posse hunc campi integritatem invito domino auri reperti conservare. Ratio est, quia debemus favere proximo extreme laboranti cum possumus, maxime si indennes reddamur: atqui auri ille Inventor extreme laborat, ut adquirat quod suum est: ergo si campi pretium solvat, vel alium equè bonum & utilem tribuat, debet campi dominus illi opitulari permittendo, ut campum effodiat & aurum inventum possideat. Patet consequentia; quia nulla alia suppetit via ad auri realitè possessionem habendam, & hæc patere posse supponitur sine alio detrimento.

De autoritate Regum in gemmas, auri venas, & omnes metallorum fodinas.

285 Sicut, qui hæc omnia ad Reges pertinere existimant, sunt qui eos tyrannidis incusant si hujusmodi sibi refervent; & ut puto neutrum potest asseri universaliter: nam ut constat ex Positionibus præmissis, stando rerum naturæ non Regum, sed Inventorum sunt. at Inventores, qui inviti spoliari non possunt, nullo jure prohibentur ne proprietate cedant, & publicam res hujusmodi, aut aliquam earundem partem Regi adscribentem legem admittant. In casu necessitatis posse subditos etiam invitos obligari Positio tertia asseruit, quam Paludanus, Gabriel, Antoninus, Castrus, Covarrubias, Molina, Bastezius, Salon, & Aragon, quos citat & sequitur Dicastillus lib. 2.

lib. 2. tract. 2. disp. 9. dub. 15. num. 409. stabiliunt. De facto, jure consuetudinis consensu populorum firmata, omnes metallorum fodinas, thesauros & similia ad Reges pertinere Paludanus, Antoninus, & alij boni nominis Authores contendunt; negant Sylvester, Sotus, Bartholomæus Medina, Ludovicus Lopez à citato Dicastillo adlegati, asserentes talem legem non posse tutam conscientiam à Principe tametsi supremo constitui, addentesque (& hoc omnino mirum est) in nulla Republica bene instituta talem reperiri usum aut consuetudinem. ubi non sine totius Europæ injuriâ hoc ponitur; quia cum constet liquidò hujusmodi leges in varijs regnis Christianis reperiri, omnia hæc horum Theologorum sententiâ malè instituta, contra conscientiam securitatem leges ferunt. Sed esto omnia iniqua sint Europæ regna; causas ob quas condemnantur, videamus.

Quod nullius erat, inquit, cum invenitur, Inventori & primò occupanti cedit: iniquus igitur & tyrannus censendus ille Rex, qui id sibi appropriat, non secus ac qui te tua privaret domo, & sibi aut alteri appropriaret.

Sed hæc ratio non urget, nam singulæ præmissæ ad sensum Positionum initio positæ expositæ veritatem dilucidant, & nostris adversarijs non favent. Majorem enim sic distinguo. Concedo esse Inventoris & primò occupantis quod nullius erat, & hoc si stemus puro juri naturæ, quo ipsemet Inventor non cesserit: at verò stando juri humano ab ipsomet Inventore liberè acceptato, hujusmodi res esse illius, cui lex illas adpropriat, nec esse locum conquerendi, legem enim liberè acceptanti & suo jure liberè cedenti, & cedere potenti, non poteris vocare injuriam. Unde ad consequentiam veniens sub eadem distinctione respondeo, negans iniquum esse Regem, qui thesauros inventos de populorum consensu sibi adpropriat; concedo iniquum esse, si contra eorumdem voluntatem.

In gravissima regni necessitate populi, tametsi contradicant, consentire censendi sunt; nam qui vult finem, omnia vult sine quibus ille non potest cõsequi; adeoq;

populi volentes regni publicam conservationem, dicendi sunt concomitanter omnia velle sine quibus illa stare non possit. Ergò si contingat thesauros inventos, aut metallorum venas posse omnino huic miserie succurrere, ni aliud remedium suggerant, censentur populi hæc Regi cedere, non enim censi possunt velle bono publico & regni conservationi præjudicare. Videris me semper in omni lege publicâ populi consensum requirere, non enim inviti possunt opprimi, homines liberi & ingenui, qui occidi non possunt. Oppositæ defensores sententiæ saepe insudant, ut possint Principum leges excusare à tyrannide, ego facili negotio eos excuso, ad juris cessionem recurrens; illæ enim, quæ invitis positæ, essent injuriæ, sunt aquæ, si volentibus & consentientibus imponantur; potèti enim jure suo cedere, & cedenti de facto, nulla fieri potest injuria. Sed & hoc uberiùs proprio loco, cum de legum humanarum autoritate disputabo.

ARTICVLVS II.

De rebus, quæ olim habuerunt dominum, jam non habent.

Antiquorum divitum superstitione 286 multi thesauri fuerunt cõditi, multi bellorum periculis, multi gentium transmigratione. Veteres cum summâ auri & argenti vi sepulti reperiuntur: unde adagiù, *Divitias quaris? rupta sepulchra dabunt.* Timentes alij urbis excidium, & hostium victoriam, divitias suas sepeliverunt, & postea occisi. Maurisci ab Hispania proscripti, reverti ad exilio sperarunt, & thesauros suos in prædijs absconderunt; excesserunt in Africam, ibiq; mortui sunt. In Hispania igitur & in alijs provincijs multi thesauri latent, multi quotidie reperiuntur. Sit igitur Conclusio

Primâ. *Omnes veteres thesauri in terra sepulti, qui ab universis ignorantur, nullius sunt.* Patet; quia moraliter & humanitè non sunt, ita enim se habet ac si verè non essent.

Secundâ. *Stando juri naturæ, omnes illi thesauri sunt Inventoris, qui nihil tenebitur dare Regi, nihil Reipublicæ, nihil Domino agri, in quo reperi. Patet; quia Inventor est virtualis thesaurorum productor, ac propterea solus verus & legitimus dominus.*

Sed

288 Sed proponis hunc casum. Petrus conduxit operarium, ut puteum effoderet in domo suâ, nempe diurni floreni pretio; & hic ollam auro plenam invenit. Cui autem invenerit, inquiris, sibi-ne, an conductori? Videretur, quod Petro, nam operarius suum laborem vendidit, & quidquid ex illo labore nascatur ementi laborem acquiritur. Dico tamen aurum esse operarij: ratio est, quia illud est Inventoris, atqui Petrus non est Inventor, ergò ad ipsum non pertinet. Nec valet dicere operarium esse instrumentum Petri, non secus ac urinatore mercatoris margaritas quærentis. Subest enim summa disparitas. Urinator conductus est, ut gemmas quærat, operarius ut puteum fodiat: si Petrus operarium conduxisset, ut aurum quæreret, esset omnino paritas: quia non conduxit ad hunc effectum, cessat similitudo. Si urinator ad quærendas gemmas conductus enssem in mari reperiret, sibi reperiret: & operarius ad puteum fodendum conductus illum Petro fodit, reliquæ quæ casu accidunt, habet sibi. Si nimio calore fatigatus in febrim incidat, sibi damnum acquirit non Petro; si lapidis lapsu vulneretur aut occidatur, Petrus non tenetur illi ratione istius damni non prævisi: ergò si aurum inveniat, non tenebitur Petro ratione istius auri non prævisi, sed taceat, & gratias agens Deo custodiat; beator, sine teste.

289 Tertia. *Rex, aut Magistratus non potest sibi reservare dominium thesaurorum inveniendorum populo invito, nisi sit hæc reservatio necessaria simpliciter ad Reipublicæ conservationem: volente & permittente potest, juxta ea, quæ articuli præcedentis positione 3. 4. 5. 6. & 7. adnotavimus.* Ita Paludanus in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 2. Castro de lege penali lib. 2. corollario 3. Covarrubias Regul. Peccatum p. 3. §. 2. n. 4. Molina disp. 56. Gabriel in 4. dist. 15. q. 3. art. 3. dub. 7. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 15. §. 2. Bañez, Salon, Aragon, 2. 2. quæst. 66. art. 5. Sed quia omnes Reipublicæ habent leges de thesaurorum inventionem, placuit fundamentales

Ex Jure communi

Desumere. I. thesaurus casu aut industria inventus in fundo proprio, Inventoris esto. II. Inventus casu in fundo alieno ab Inventore & domino fundi in partes æquales dividitor. III. Inventus ex industria in fundo alieno totus domini fundi, non tamen Inventoris esto. IV. Arte inventum magicâ fiscus habeto. Ita expressè §. *Thesauros. Instit. de rerum divis. & leg. unica lib. 10. C. de Theauris.*

Circa primam legem nihil occurrit speciale dicendum, est enim juris naturæ pura latio; nam etiam thesaurus debetur Inventori, si nulla lex civilis esset.

Circa secundam laudanda est legislatorum providentia & æquitas; nam dissentientibus Authoribus alijs illum domino fundi, alijs Inventori adjudicantibus, videtur instituenda concordia thesauri inventi divisione.

Circa tertiam notandum, pœnas non imponi innocentibus: cum igitur pœnalis ipsa sit, nec sine culpa obligat, nec ante judicis sententiam. Igitur, qui industriam, quæ civiliter peccaminosa sit, thesaurum in fundo alieno repereris, poteris condemnari ne mediam partem habeas, at illam mediam partem ante condemnationem poteris licitè possidere. Ita Lessius lib. 2. cap. 5. dub. 15. concl. 3. ex verbis ipsius legis. Rabellus lib. 1. qu. 15. sect. 2. num. 3. Mercadus lib. 6. cap. 15. §. Item los thesoros. quorum sententiam probabilem censet Dicastillus de just. & jure libro 2. tract. 2. disp. 9. num. 407. ubi etiam Vasquezium & Bañezium adlegat.

Sed quæ industria lege hac tertiâ cavetur? Putant aliqui magicam, & errant; hæc enim cavetur lege IV. Puto equidem caveri industriam incivilem; nimirum, si thesaurus fundi domino inconsulto quærat, tunc enim congruum est hanc incivilitatem expiari: adsono Petro Gregorio Tholosano Syntagmatis juris lib. 4. cap. 11. num. 2. ubi ait, *Si inscio vel nolente domino.... omnis domino debetur.*

Petis. An Inventor incivilis, ille inquam, qui tertiâ lege condemnatur, possit totum

fit totum illum thesaurum inventum ante iudicis condemnationem tutam conscientiam retinere? Consulto, an totum retinere possit, interrogas; posse enim retinere mediam partem usque ad iudicam condemnationem jam diximus. Negant Lessius, Rabellus, Dicastillus, Vasquez, Bañez citati; quia iudicant ante sententiam iudicis standum esse dispositioni secundae legis: ego tamen existimo quaestione aliter resolutum iri, si verbis stetetur. quod si mentem legislatoris velis inquirere, vix probabiliter procedes, si contra tenorem verborum. Arguo sic: quando lex aliqua universalis limitatur lege aliqua particulari poenali, quae non obliget ante sententiam, debet limitatio esse exceptio legis limitatae; & ante sententiam omissa lege limitante procedi poterit iuxta non limitatam. Ergo in casu praesenti, cum tertia lex sit limitatio & exceptio, procedi poterit ante sententiam iuxta illam legem quam limitat. atqui haec tertia lex non est exceptio aut limitatio secundae, sed juris naturae omnes thesauros Inventori adscribens, ut secunda conclusione tradidimus; ergo ante condemnationem poterit Inventor iuxta legem naturae procedere & retinere totum thesaurum inventum. Minorem probo. In lege excipiente debet generalis claudi, alias non esset exceptio. Si dicas *Omnia animalia posse vendi excepto homine*; opus est hunc esse animal: ergo ut sit vera haec assertio, *Omnia, qui in fundo alieno repererit casu thesaurum, mediam partem habebit, illis exceptis, qui repererint illum ex industria*, opus erit, ut casus de industria praedicetur. quod cum fieri non possit [industria enim casus non est,] tenendum legem tertiã non esse exceptionem secundae.

294 Dices, sequi ex nostra doctrina melioris esse conditionis illum, qui ex inurbanam industriam thesaurum invenerit, illo qui casu; hoc est, melioris esse conditionis illum, quem leges volunt punire illo, quae premio donant. Respondeo negando consequentiam: nam qui casu invenit thesaurum in fundo alieno pacifice sine ullo periculo mediam habebit partem; qui autem temerariam & inurbanam industriam quaerere illum praesumpserit, habebit totum ante iudicium, & post sententiam

nihil; atqui melius est habere mediam partem citra controversiam, quam totum cum certissimo periculi periculo: ergo.

295 Circa quartam supponendum dari artem Magicam inveniendi thesauros. Re fatetur; cum de altis nominibus, thesauris inveniendis, domibus transportandis, & ejusmodi Magicis miraculis Authores differentes audio, subrideo existimans potius credulos, quam curiosos esse. Datur naturalis Magia arcanarum rerum indagatrix, quae non omnia adsequitur; praeter quam non ero facilis in aliam Magicam admittendam. Multa dicuntur, scribuntur de artibus superstitiosis, quae falsa, quae nulla. Sentio igitur hac lege quarta Magiam naturalem non damnari; unde thesaurus inventus Magiam naturali esse dividendum inter dominum fundi & Inventorem, si ex communi voluntate quaeratur, aut casu reperiatur; aut esse totum adjudicandum Inventori ante sententiam, post sententiam domino fundi, si contra ejus voluntatem quaesitus. Addo inventum Magiam superstitiosam ad fiscum pertinere.

Sed petis: Pertineatne totus ad fiscum, an solum illa media pars, quae deberetur Inventori, si aut casu, aut cum domini licentiam reperiret? Lessius lib. 2. cap. 5. num. 66. quem citat & sequitur Dicastillus de just. & jure. lib. 2. tract. 2. disp. 9. num. 407. Existimant solummodo mediam partem mandandam esse fisco, & mediam alteram cessuram in utilitatem domini fundi. Et probat, quia fundi dominus non debet esse peioris conditionis, cum thesaurus in fundo suo superstitiose reperitur, quam esset si naturaliter reperiretur. Sed haec ratio non urget. quia ex natura rei, & secundum legem naturalem nullum jus habet Petrus in thesauro a te in suo fundo reperto. ergo Reipublicae [hoc nomine legislatorem ferentem & populum acceptantem intelligo.] erit liberum dare hunc thesaurum superstitiose inventum, cui voluerit; nam si non debetur Petro fundi domino, & tu ratione criminis superstitiose iuste condemnatus dominium in illum non acquiris, nemini erit injuria aut sibi appropriando, aut alteri cuicumque adtribuendo. Ergo de superstitiose inventi philosophator

philosophator eodem modo ac de illo qui industriam incivili thesaurum quaesitum invenit. Nam uterque ante condemnationem erit totius thesauri dominus; post condemnationem, thesaurus in urbanam industriam inventus cedet totus domino fundi; inventus arte superstitiosa totus fisco.

296 Sed inquiris quid tenendum sit de thesauro tuae parte in tuo fundo quaesito & reperto? Respondeo standum esse pacto & concordia. Si enim licentiam dederis, ut tibi Petrus quaereret, tibi invenit; sibi, si ut sibi; utrique, si ut quaereret utrique. Hanc resolutionem limitat Dicastillus citati operis lib. 2. tract. 2. disp. 9. num. 408. & apud eum Molina, Sylvester, Lessius, Vasquez, qui existimant totum thesaurum deberi tibi fundi domino, si Petrus certo novisset ibi thesaurum esse, & simulavisset se id nescire; putant enim te ab Inventore deceptum. Sed hanc limitationem non intelligo stando meis principiis; nam si asseramus cum Molinã, & Bañez venas auri (quibus thesauros adjungito) esse fructum terrae, limitatio subsisteret; tunc enim omnia deberentur fundi domino. Posito igitur, quod ex natura rei thesaurus in agro tuo repertus sit Inventoris; qui scit cum ibi latere, jam invenit; ideoque & dominus esset; ni lege impediretur; nec illa scientia contra legem militat, secreta enim esse supponitur, & leges de actibus internis non iudicant.

297 Caietanus 2. 2. quaest. 66. art. 5. & Salon ibidem laudati a Dicastillo lib. illo 2. de just. & jure. tract. 2. disp. 9. num. 408. has leges non esse poenales, sed definitivas proprietatis rerum affirmant; non enim reperiunt culpam, quae possit legibus relatis damnari. Nos vero harum legum intentum clarissime ostendimus asserendo primam in pura lege naturae; secundam in utriusque partis probabilitate fundari; tertiam & quartam merè poenalem esse, utraque enim culpam supponit; ut superius resolvimus de legibus eisdem disputantes.

298 Hae c. de thesauris inventis in loco habente unum determinatum dominum: subjungamus aliqua de inventis in loco duos aut plures legitimos dominos habente.

Domus haec ad Petrum & Paulum jure

aequali pertineat totalitate objecti, ita ut uterque sit totius domus dominus (scio esse Jurisconsultos qui casum negent, sed videntur laborare ignorantiam naturalis Philosophiae omnem moralitatem fundantis) & fundus ille ad Franciscum & Antonium spectet partialitate objecti, ita ut alter sit mediae partis & alter alterius mediae partis dominus, nondum bonorum distinctione instituta. Hanc moralem hypothesein facili negotio concedet universi Philosophi, scientes dari causas partiales partialitate causae quarum singulae ad totum effectum concurrant; & dari partiales partialitate effectus, quarum alteri pars effectus respondeat, alteri altera pars. Ergo hac praemissa hypothese fit

299 Casus I. Invenisti fortuito thesaurum in domo Petri & Pauli; & ad quem pertineat, inquiris. Respondeo mediam partem ad te; totam alteram mediam ad Petrum, totam ad Paulum spectare. & offendo. Nam altera media pars ad illum spectat ad quem domus, atqui haec tota spectat ad Petrum, tota ad Paulum: ergo illa thesauri pars eodem prorsus modo ad eosdem spectat. Hinc patet, quid dicendum sit de thesauro reperto in loco ad secularem aliquam communitatem pertinente; media enim pars ad Inventorem, media altera pertinet ad communitatem eadem integritate dominij quae pertinet ipsamet locus.

300 Casus II. Invenisti alium thesaurum in fundo Francisci & Antonij. Ergo retineas tibi duos quadrantes (hoc est, mediam partem) & da unum quadrantem Francisko, alteram Antonio. tibi enim soli debetur media thesauri pars, alijs duobus simul alia media.

301 Casus III. Petrus in sua domo invenit thesaurum in scio Paulo: ad quem ergo spectabit? Annon poterit dicere Paulus, in mea domo inventus est casu thesaurus, ergo mihi debetur media pars? Et cur non Petrus, ego in domo mea inveni thesaurum, mihi igitur totus debetur. Respondeo utrumque verum dicere, & ita sententiam ferendam, ut utraq; salvetur veritas. Dico igitur mediam partem cessuram Petro soli Inventionis titulo; & mediam alteram utriusque communi dominio ratione communis proprietatis.

302 *Casus IV.* Antonius in suo fundo thesaurum opulentum invenit in scio Francisco; ad quem ille spectabit? Respondeo tres quadrantes pertinere ad Antonium, unum ad Franciscum. Ratio est; quia Antonio Inventionis titulo debetur media pars; & quia sunt fundi domini, Antonio & Francisco altera media; hoc est, quadrans Francisco, & Antonio alter quadrans: ergo tres quadrantes Antonio, unus Francisco.

Nunc igitur dilucidatis dubijs ex Iure communi subortis, examinemus

Iura particularia

303 **D**iversarum Regionum. Sit igitur Conclusio

304 *Quarta.* *Thesauri in multis regnis pertinent ad fiscum, non omnes, nec toti, nec in omnibus.* Possit Rempublicam [hoc est, Regem & populum] thesauros quoscunque sibi adpropriare Conclusione III. num. asserimus. Sed multi Authores existimant jam apud universas obtinuisse, ut veteres thesauri efossi ad Regem aut ad fiscum pertineant. Sed contra illos militant Sylvester *verb. Inventum quest. 3. num. 13.* Sotus *lib. 5. de just. quest. 3. art. 3.* Bartholomæus à Medina *fol. 169. c. 14. §. 31.* Ludovicus Lopez *2. p. c. 4.* qui nullibi posse tutam conscientiam talem legem à Regibus constitui existimant, & probant. Quod nullius est, jure naturæ ad Inventorem pertinet, non ad Regem: ergo Rex non potest thesauros sibi adscribere sine injuriâ Inventoris. Cui rationi alij prolixius & uberius, ego brevius & clarius. Respondeo ergo distinguendo antecedens. Quod nullius est, jure naturæ ad Inventorem pertinere, nisi ipse suum jus Regi cesserit, concedo; si cesserit nego. & similiter distinguo illatum consequens: admitto Regem non posse sibi thesauri dominium lege adscribere invitatis Inventoribus; non posse adhuc illis permittentibus, nego. Et summo. Atqui quando lex lata à Rege à populo acceptatur, singuli suo jure cedunt; ergo. Addo etiam jure cessionis teneri acceptare hujusmodi legem, si simpliciter ad Reipublicæ conservationem necessaria; quia cum voluerunt vi-

tam communem sub uno Principe instituire, videntur saltem in rebus ad conservationem talis vitæ illi promississe obedientiam, & jure libertatis cessisse. Sed consulto dixi *videntur*, non enim ita evidens est, ut non patiatur maximas exceptiones: malo enim liberè meam vitam tueri cum periculo, quam in servitute summam acquirere securitatem: & puto reliquos homines prudentes, ac propterea eidem opinioni subscribere.

305 *Quinta.* *In regno Castelle omnes thesauri ubicumque reperiantur, sunt Regis, sed datur Inventori quartam partem.* Constat expressè ex lege 7. lib. 6. Ordin. regali. tit. 12. ubi Covarrubias affirmat se ipsum legisse in originali MS. *quintam partem.* Sed nescio an hallucinetur Covarrubias, quia omnia transumpta *quartam* habent, & nuper in novâ Recopilatione lib. 6. tit. 13. l. 1. Inventori *quarta pars* assignatur.

Sed circa legis intelligentiam inquiris, An agatur ibi solum de thesauris in fundis regijs aut publicis inventis; an etiam de inventis in agris & domibus civium. Priori parti subscribit Sotus; cui videtur ipsi favere lex novæ recopilationis, quæ ait, *Siquis invenerit thesaurum ad Regem pertinentem, habeat quartam partem.* Tamen Covarrubias, Castro, Salon, & alij, de omnibus thesauris ubicumque reperitis verba legis intelligunt, & addunt hanc esse consuetudinem totius Hispaniæ. Quæ quidem consuetudo non est dicenda contra legem recopilationis militare, quia si lege statuitur, ut omnes thesauri veteres pertineant ad Regem, qui thesaurum in tuâ domo invenit, thesaurum quidem invenit ad Regem pertinentem.

306 *Sexta.* *Qui in regno Castelle thesaurum reperit, potest tutam conscientiam totum sibi retinere quousque exigatur.* Ita Bañez *ubi supra conclus. 7.* & Bartholomæus à Medina *fol. 168.* Patet, quia illa lex imponit tributum; & consuetudine receptum est, ut hæc non solvantur, nisi exigantur. Sed displicet mihi, quod jungunt; nimirum, si invenias thesaurum in fundo Regis debere illi statim dare mediam partem, quia id non est tributum. Sed quo id jure?

id jure? An communi, decernente mediam partem domino fundi dandam esse? Et si communi; nonne vident Bañez & Medina hanc juris communis legem jure Castellano revocatam? Lex, quæ tres quadrantes Regi, unum Inventori, nihil domino fundi designat, consistere non potest cum illa, quæ duos domino fundi, duos assignabat Inventori, nihil Regi. Ergo non tenet limitatio.

307 *Septima.* *Qui seit thesaurum latere in tali domo, potest illam emere, & totum thesaurum retinere.* Multa congeruntur paucis verbis, quæ indigent claritate. Probo primo posse domum pretio currente emere. Quia emit pretio justo; ille enim thesaurus humanitus ibi non est, & ideo non auget moralem domus illius valorè. Scientia enim illa non debet prodesse non habenti illam, & habenti nocere. Ita Molina *disp. 56. & 353.* Navarrus, Sotus, Salon, Aragon, Rebellus, Lessius, Valentia, & alij. *Secundo* posse sibi totum thesaurum retinere persuadere, quia stando Iuri communi, qui invenit in propria domo thesaurum, totale dominium acquirat. & stando Castellano, tamen si acquirat tres quadrantes Regi, non tenetur illos tribuere quousque exigantur juxta ea quæ diximus superius num. 306.

308 *Octava.* *Thesaurus inventus in loco sacro est Inventoris.* Si locus ille sacer communis & publicus sit, ut cæmeterium, Ecclesia consecrata, consentit Covarrubias, *Reg. Peccatum. 3. p. relectionis. §. 2. num. 3.* Si locus ille sacer non sit publicus mediam partem dandam illi Communitati, cujus est locus ille sacer, & mediam Inventori judicant Navarrus, cui subscribit Molina, *disp. illa 56.* & Vasquez *ubi sup. num. 27.* & Dicastillus *lib. 2. tract. 2. disp. 9. n. 414.* cõtra quos pro mei asserti veritate sic arguo. Si ille thesaurus venit inter loci sacri dominum & Inventorem dividendus, maxime quia sic decernitur Iure Naturali Positivo, aut Canonico. Atqui naturæ jus totum concedit Inventori, ut vidimus num. *Institut. de rerum divisione* mediam partem thesauri Ecclesiæ non concedit: Ius Cæsareum non mutat honorum Ecclesiasticorum dominia. Castellatum, si receptum, quadran-

tem Inventori, tres Regi adscribit; Canonico nihil de hujusmodi thesauris disponit, fortè nec potest. quo igitur aquè ductu jus in illius thesauri partem Prælati aut dominis Ecclesiarum contingeret?

De lignis inundatione translatis.

309 **I**psa ad articulum præsentem pertinent; sunt enim res quæ habuerunt proprietarium dominum, jam non habent: sed exponendum nobis, quo jure priores domini proprietatem amiserint, quo illam adquisierit Inventor.

Vt conscientiam tuam dirigas, debes prudens dictamè operationibus tuis proponere, ergo & credere tuum proximum prudentem esse; injurius enim tuo esses proximo, si illum stultum aut imprudentem judicares. Illa igitur proximi bona, quæ ipse prudentem agens debet continere, censentur ab illo derelicta & ad Inventorem pertinere, non tamen illa, quæ sine imprudentiâ notâ potest requirere. Sit ergo generalis

310 *Regula.* *Quotiescumque ligna tot leucas sunt inundatione proventa, ut rebus omnibus consideratis dominus in querendis, extrahendis, & ibi, vel proximo loco vendendis tantum expensus faceret, ut nihil lucraretur, censenda sunt derelicta.* Consulto ibi vendendis dixi, *vel saltem ad proximum locum, in quo vendi possint transferendis,* non enim prior dominus trabes immensæ molis per centum leucas proventa domum reportabit, si possit in proximo loco illas vendere. Ita Petrus à Navarrâ *lib. 4. cap. 2. dub. 11. num. 88.* Molina, Gabriel, Navarrus, Dicastillus, & alij jam citati.

Præmissam Regulam solidissimâ ratione confirmo. Si tui horti sepes per quatuor leucas quæres & lignatum reciperes, multum temporis impenderes interrogando, examinando, perlustrando; parvam partem recuperares (major enim vel ulterius profertur, vel in manus tenaces incidit) & rebus omnibus computatis expensæ lucrum, aut superarent, aut æquarent. quis ergo te in tali casu prudenter procedere assereret? non nisi imprudens. media enim imprudenter ponuntur, si pretiosiora sint; imò, si æquè pretiosa.

311 Hęc doctrinā pręmissā dico primò. Si sint parvi valoris quę alluvione translata, & dominus distet, derelicta censenda sunt. Ratio est, quia si veniret illa quę situm, laborem & expensas magnas adhiberet ut medium, intendens levem finem. *secundò*, si sint res pretiosę (trabes nonnumquam maximę pretiosę sunt) & tantum laboris & periculi in extractione impendatur, ut non multum lucretur Inventor, pro derelictis censendę etiam sunt; quia teneretur prior dominus, itineris expensas facere, ostiatum inquirens & interrogans, singulas oras fluvij lustrans, & hoc cum periculo non reperendi (quod quidem periculum expensarum valorem auget, fortis diminuit: qui enim prudenter decem pro undecim certò adquirendis expenderes, imprudenter decem pro undecim minus probabiliter adquirendis exponeres) teneretur præterea probare authenticę illas esse suas; cur enim Inventor simpliciter asserenti credere teneretur, præcipuè viro avaro & pusillanimi; si enim generosus esset, illas imprudenter non quæreretur probatone præmissā teneretur itidem solvere expensas factas ab Inventore, & illi honorarium aliquod pro ipsamet Inventione (pretio est æstimabilis) elargiri: quid ergò lucraretur? aut fallor, aut in recuperatione illa multum perderet.

In Civitate A. apud fluvium N. sita lege statutum, ut omnia ruinarum spolia aquarum imperu subiecta sint Inventoris vel domini loci ad quem translata, non verò prioris domini: & quia multi ista lege gravantur, utrum injusta sit, queris.

Eam damnant absolutè Petrus à Navarra lib. 4. cap. 1. dub. 8. num. 53. Caietanus opusculo de usur. cap. 1. & verb. Excommun. cap. 23. Gabriel, Navarrus, Dicastillus, Molina: sed censeo omnes generales positiones, præcipuè in rebus practicis, non nisi periculose concedi aut negari, debereque frequentius distinguuntur.

Dico primò illam legem esse justam, si lata à domino totius fluvij, populis superioribus, hoc est, damnatum patientibus legem onerosam liberè acceptantibus. quia tunc cedunt suo jure, qui gravamen acceperunt.

Dico *secundò* esse injustam si à communitate subditā eidem Regi, cui reliquę superiores civitates. Non enim una civitas potest cives alterius exspoliare invitos. Quod si contingat civitatem inferiorem superiori prodesse puta, si incursum inimicorum retundat, poterit loco compensationis hæc aut alia ejusmodi jura arrogare, & habebit sufficientem præscribendi titulum. unde superiores civitates viderentur illi condescendere, si non agerent lite.

Dico *tertiò* res inundatione perductas ad aliud regnum, esse legibus regni, ad quod translata, subditas; nec censendę injustę leges regni inferioris, si Inventori concedant quęcumque fluvius à regno superiore subrepta littoribus inferioris exponat. Patet; quia leges unius regni ab alterius comoditate non dependēt.

De bonis naufragis.

Præmissa aperiunt viam huic questioni; rara enim ex regno ad regnum fluviorum inundatione asportantur, multa naufragio pereunt. Examinemus igitur has leges ex tabulis civitatis N. desumptas.

I. *Navis naufragę divitię fisci sunt.*
II. *Navis periclitanti nostri opem ferunt; liberata Rex mediam partem habet, quadrantem liberatores; quadrantem liberati.*
III. *Navis plus aqua horā excipiens, quam anthlia hora quadrante evomant, periclitans judicator.*
IV. *Si gubernaculo careat, etiam censetur.*
V. *Navis ab inimicis capta totā illā die recuperabilis creditor. sequenti derelicta putatur; capientis esto.*

Illas condemnant Covarrubias Reg. Peccatum. part. 3. §. 1. num. 5. Gabriel, Caietanus, Dicastillus, Molina, Petrus à Navarra, & alij jam citati; qui docent non posse Christianos sibi adpropriate bona naufraga, licet sint infidelium aut pyratarum; non enim possunt hujusmodi homines à quocumque exspoliari. Navarrus & Sylvester aliquas limitationes admittunt, existimant enim posse retineri & Mahomethani naufragi bona, & Christiani, si magno cum labore & vitæ periculo ab undis procellosis erepta. Sed nos verba singula examinemus, ne temerè aut

aut rejicere aut admittere legem dicamur.

317 Prima videtur dura, sed iniquitatem non animadverto. Potest Rex in omnium opinione interdiceri ne amicorum naves ad talia loca appellent, ne fluvios ultra tales terminos adscendant; cur non posset accessum concedere sub onere, quod, si naufragium patiantur, divitias universas perdant. Nemo peregrinus tenetur illa littora adire; & si adit, censetur ultro & voluntarius admittere gravamen impositum. Si consulamus experienciã centesima navis perditur violentiã undarum. hæc ego. Solvimus Anglis nummum trigesimalium, ut habeamus aperta littora & portus patentes; cur non & bona naufraga illis libentissimè cederemus loco nummi trigesimalium, quem damus? Dicendū igitur est unamquamque supremam Monarchiam esse suorum littorum dominā, posseque exteras naves aut non admittere, aut admittere imposito tributo & gravamine etiam exorbitante: cui nimium videatur, non appellat; & si ad nos proficiscitur censendus est suo jure cedere nostras leges admittere.

318 Secunda videtur justissima, crudele enim esset deserere animas periclitantes & nemo tenetur vitam divitis gratis defendere, præcipuè si pactum intercedat. Mediā illā bonorum parte eget Respublica & nonnumquam in locis procellosis ut alat nautas & milites opem laturos exteris periclitantibus. Et sicuti nimium videatur in suo portu remaneat, nemo enim invitus ad procellosas oras trahitur.

319 Tertia & quarta sunt utiles controversiis & litibus multis sedandis. Navis rupta, si tantam aquam imbibat, quantum arte extrahere non possis, non jam periclitans sed peritura: nec libera à periculo, quæ tantam, quam extrahere possis. Rima semper majores fiunt, qualisatio crescit, & singulis instantibus fiunt hiantes asseres dissolutiores. Si careas gubernaculo, qui à vadis, qui à vento, qui à fluctuum incurfu liberaberis; ergò prudenter discernitur à lege quam navis censenda sit periclitans.

320 Quinta est omninò necessaria & pru-

denter imposita. Conceditur integra dies domino, ut navim amissam recuperet; qui hodie recuperandæ est insufficientis, cras erit insufficientior: expedit igitur, ut die sequenti omnes recuperandæ insident; præstat enim illam ad manus convasalli venire, quam sub inimico manere. Possessionis spe illecti invadunt, qui nequaquam se periculo exponerent, si deberent domino hesternò restituere.

Maneat igitur leges navales esse justas, in æquitate & pacto innixas, nemini necessariò graves; qui enim rigorem illarum condemnas, ne legas oras legibus hujusmodi subditas; vel si legere vis, vis etiam sponte legibus eisdem subesse. Si ergò liberè acceptas, quis tibi volenti & permittenti injurius?

ARTICVLVS III.

De rebus, quę de facto habent dominum, sed Inventori ignotum.

Ducidenda est quæstio celebris, quę examinat, quisnam sit dominus catenę aureę, quam in plateã inventisti, cujus dominus factā inquisitione sufficiente non comparet? Consultò diligentias sufficientes factas supponimus, alias enim malā rem fide detineret Inventor, cum alienam, cujus posset reperire dominum. Sit

322 Conclusio I. *Stando Iuri natura sunt Inventoris.* Ita Sotus lib. 5. de just. quæst. 3. art. 3. ad 2. Ledesma 2. p. 4. q. 18. art. 5. Sarmientus libro 6. selectarum capite 10. Bartholomæus de Medina in Summ. folio 168. Petrus à Navarra lib. 4. de rest. c. 2. dub. 9. n. 82. Sa verb. Theaur. n. 4. Rodriguez in Summ. verb. Rest. c. 4. concl. 2. & 3. Bañez 2. 2. q. 66. art. 5. ad 2. Aragon ibid. Salon ibid. Ludovicus Lopez 1. p. instruct. c. 152. & in alia editione 2. p. cap. 2. §. Igitur. Mercadus lib. 6. cap. 15. §. de los hallazgos. Hanc assertionem probabilem putat Vasquez cap. illo 5. de restit. §. 4. à num. 43. probabiliorē Dicastillus de just. & jure lib. 2. tract. 2. disp. 9. num. 434. evidentem Cardinalis Toletus libro 5. cap. 18. ait enim contrariam non fundari ratione; actio autem, quæ ne quidem probabiliter mala est, evidentè licita est. Probat

Probatur ratione. Quia res perditā, quamdiu perditā manet, humanitūs non est; ergo quando invenitur, incipit humanitūs esse: ergo Inventor eam producit humanitūs, quia eam ex non-esse humanitūs ad esse humanitūs, educit: ergo acquirit dominium; hoc enim non nisi productione acquiritur.

323 Conclusio II. *Possunt dari leges humana non secus ac de gemmis & thesauris repertis, quæ obligatoria sint, si vel ponantur populo adnuente, vel exigente summā necessitate.*

Hæc assertio est contra Caietanum 2. 2. quæst. 66. art. 5. Rabellum de obligat. just. lib. 2. quæst. 12. Antoninum 2. part. tit. 1. cap. 15. Navarrum cap. 17. nu. 92. & 171. Covarrubiam ad Regulam. Peccatum. punct. 3. §. 1. num. 2. & 5. Valentiam disp. 5. quæst. 10. punct. 2. Azevedum leg. 6. tit. 5. lib. 4. Recopilat. Casanovum citatum à Covarrubiā. Lessium lib. 2. cap. 14. num. 49. Molinam disp. 746. & 52. §. Illud etiam observa. Paludanum, Richardum, Gabrielem, ubi supra; Sylvestrum, Angelum, & aliquos Summistas verb. Inventum. Canonistas Cap. Cum tu. de usuris. & Cap. Cum sit. de Iudicis. Theologos 2. 2. quæst. 66. art. 5. qui omnes existimant hæc bona debere distribui inter pauperes, esseque justas leges quæ illa pauperibus applicent, injustas quæ fisco.

324 Sed contra omnes prævalet pondus frequentis ratiocinij. Volenti & permittenti non fit injuria; atqui leges acceptatæ feruntur volente & permittente populo, ergo certum est cedere suo jure, qui leges hujusmodi acceptant: ergo & non fieri illis injuriam.

325 Sed dicent. Injuriam non fieri quidem populo, aut Inventoribus, sed pauperibus, ad quos spectant. Sed ea ad pauperes pertinere nego. Si enim ad illos spectarent, vel jure naturali, vel civili; neutro: igitur non spectant. Minorem probo. Quia conclusio prima ostendit jure naturæ illa ad Inventores pertinere. Et arguo sic. Si ad pauperes spectant, maximè jure civili hæc bona à proprijs dominis, hoc est, ab Inventoribus alienante & pauperibus adtribuente; ergo potuit Respublica hæc legem non ferre; ergo & exclusis pauperibus applicare illa fisco,

vel cameræ.

Conclusio III. *Dantur de facto leges publicæ circa hujusmodi bona.* Est contra Sotum, qui ita illa Inventori adjudicat, ut dari legem contrariam non admittat.

Hanc conclusionem probant aliqui ex Capite Cum tu. de usuris. Sed hæc probatio Soto videtur debilis, illud enim de debitis incertis malâ fide contractis potest explicari. Probant alij ex Cap. si quid invenisti. Sed hoc aptissimè explicatur extra casum à nostrâ conclusione propositū; unde miror viros doctissimos hoc textu conari persuadere inventa esse distribuenda inter pauperes. Verba consideremus; Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti. Ex Augustino, aut ut alij malunt, ex Hieronymo; hæc verba non docent res inventas dandas, sed reddendas. ergo agunt de priori domino, non de pauperibus; quibus non redduntur, sed dantur. Ergo ex vi textus debes obedire septimo præcepto Decalogi; qui si Petri aurum invenisti, & illi non reddidisti, rapuisti. Igitur non fertur novum jus, sed antiquum, imò ipsummet naturale, refertur. Ergo in textu non agitur de Inventore, qui facta inquisitione non habet cui reddat, sed de illo, qui vel non adhibuit diligentiam sufficientem ut inquireret, aut saltem scit cui reddere debeat & non vult.

327 Possemus tamen expressas leges preferre de hujusmodi rerum dominio. PRIMO quia lib. 4. fori. tit. 13. l. 2. & lib. 6. ordin. Reg. tit. 12. l. 1. & lib. 6. recopil. tit. 13. l. 6. & 7. animalia inventa, cujus dominus ignorabatur, adjudicabantur Præmonstratensibus, & successu temporis eadem judicata sunt cameræ regiæ. Hic obiter notandum est etymon vocis Hispanæ. Ejusmodi animantes Mostrencas dicimus, antiquo vocabulo, quod Præmonstratensibus dandæ. SECUNDO, dantur leges disponentes easdem animantes Trinitarijs & Mercenarijs debere ad redemptionem captivorum. Sed eorundem jus aut declararunt aut limitarunt Reges Catholici (Fernandus, Isabella) libro 1. novæ recopil. tit. 9. leg. 2. asserentes illas ipsis animantes debere, quæ alias fisco competere, non alias.

Molina

Molina doctrina recognita.

328 **T** Anti ingenium Molinae facio, ut ejus voluerim doctrinam seorsum examinare. ipse disp. 746. docet ex natura rei, hoc est, stando juri naturali animalia sic inventa non pertinere ad Inventorem, nec ad Rempubl. sed ad pauperes: hoc tamen esse falsum Concl. I. clare ostendit. Addit disp. 749. posse statui leges utiles & obligatorias de ipsis: esse latas in Hispania, & solum circa animantes servari, disp. 760. quod non nego. De Mercenarijs autem & Trinitarijs sic scribit. Fertur Castellæ regnum fratribus Mercenarijs applicasse Io. mostrenco (hoc nomine animantes & res etiam non animatas Molina comprehendit docuerat) in redemptionem captivorum, locumque esse præventioni, qui eorum fratrum priores, illud petant ac recipiant. Fertur item Philippum II. idem illis confirmasse, & Gregorium XIII. illud ipsis comprobasse, atque à Nautijs Apostolicis eos obtinuisse. Paulinus, ut per censuras melius illa bona in tam sanctum opus pium obtineant.

329 Sed ut melius hæc verba intelligas, audia Dicastilli de just. & jure tract. 3. disp. 9. n. 428. dicentis, Quarta sententia asserit omnes res inventas debere in foro conscientie fratribus Trinitarijs aut Mercenarijs, quia dicunt habere privilegia à Summis Pontificibus concessa, & quia uterque agit de Summis Pontificibus, inquis, possitne Summus Pontifex concedere alicui mostrenca seu bona, quæ carent vero domino?

Respondet mundum esse latissimum, & in diversis regionibus diversam esse Summi Pontificis auctoritatem. PRIMO in regno Romanæ, cui Pontifex ut temporalis Princeps præficitur, posse leges de dominio ferre, quæ à populo acceptatæ obligent; manifestum est. SECUNDO, non posse tales leges ferre in Hispaniâ, Galliâ, aut alijs regnis sibi seculariter non subditis. TERTIO, potest in Hispaniâ, verbi gratiâ, Religiosis concedere ne sint incapaces acceptandi favorem à Rege concessum, hoc autem non est ipsis res mostrencas adjudicare, sed eos declarare capaces, quibus seculariter adjudicentur. QUARTO, utrū possit excommunicare rerum mostrencarum retentores, multi inquirunt, & superfluis subtilitatibus difficilem quæstionem im-

plicant, quam loco proprio examinabo; nunc resolvo, ex hypothesi quod possit, esse apud Rempublicam auctoritatē illā excommunicationem tollendi; non quidem formaliter, sed materialiter. Ratio est, quia idē illa excommunicatio subsistit, quia non solvitur Mercenarijs aut Trinitarijs, quod ipsis debetur; atqui penes Rempublicam est auctoritas faciendæ: tales animantes debeantur: ergo tollendi excommunicationis materiam, & faciendæ; ne excommunicatio illa subsistat. Minorem probo. Quia grātis illas concessit & potest gratiam revocare, imò de facto revocavit cum prius fisco, postea Præmonstratensibus, deinde Mercenarijs & Trinitarijs, postea utriusque cum limitatione concessit, tandem sæpe negavit. Hoc ut altius intelligas, supponas te unū equum mostrencum retinere; exigentibus fratribus Trinitarijs negas, & excommunicaris, impetras à Rege privilegium ne tenearis illum ipsis cedere; & assero tolli totam excommunicationis materiam; quia nihil illis debebis, & non poteris urgeri excommunicatione ut solvas quod ipsis non debes. Sed hæc obiter; acturus alibi de excommunicatione. Armarium Ecclesiæ est, ex quo fulmina tremenda exploduntur, & sine Christi injuriâ fieri non potest, quod propter caniculam amissam, feticulam perditā (vidi non sine lachrymis, privatim sæpe, imò & nonnumquam in sede veritatis reprehendi) excommunicationes à Præpositis indoctis ferantur.

De Amissione destructivâ moraliter.

330 **V** T perdat dominium res debet destrui physicè vel moraliter. Sed non statim, cum amittitur, moraliter destruitur; est enim recuperabilis, & sapiusculè recuperanda. Res amissas, si adhibitis diligentijs non compareat dominus, excidere à prioris possessoris dominio, omnes dicimus. sed quæ & quales debent esse diligentia quæ à prudentiâ exiguntur. Dicastillus lib. 2. de just. & jur. tract. 2. disp. 9. n. 424. inquisitionem diligentissimam exigit. Molina disp. 646. 747. 748. ad leges provinciales doctè recurrit, & juxta illas debere judicari affirmat. Lego in Castellanis; Por espacio de quatro meses desde el punto en que la tal cosa fue hallada, tengan de manifesto, y la hagan pregonar en publico

publico cada mes una vez en el dicho lugar por pregonero conocido del tal lugar; y los pregoneros se hagan en el dia de mercado. Et statim, si todo lo dicho no se guardare, a aquel a quien perteneciere lo mostrenco, pierda el derecho que a ello tenia, y lo restituya como hurtado. hoc est. *Quatuordecim mensium spatium ab inventionis die computandorum, res inventa debet haberi publice* (hoc est, ut alia ejusdem generis haberi solent. Puta, si sit pictura, debet pendere in aula, in qua alia pictura; si equus, debet esse in communi stabulo; si bos, debet ad pascua ad qua reliqui adduci) & debet praconijs vulgari semel singulis mensibus in eodē oppido, nempe per praconem publicum & die fori. Et additur, *Quod si haec non observentur, Inventor perdat jus quod habet ad rem inventam, illamque teneatur restituere tamquam furto ablatam.* Molina exclamat, haec omnia non observari, & conscientijs Inventorum cōdolet; sed credo non dari legem obligatoriam, qua obsoleta esse & non observare dicatur. Caterum has leges de rebus levibus non agere certum est; tum quia ipsamet graves sunt, & rebus levibus non implicanda; tum etiam quia illae circumstantiae adhibendae notabiles sunt, & sine gravibus expensis fieri non possunt. Rem servari quatuordecim mensibus molestum est, ideoque pretio aestimabile; forte vestē quatuordecim florenorum pretio mensibus quatuordecim non servares. Si res inventa animans sit, cibus indiget, & hi secundum summum justitiae pretium sine injuria taxatur; praeco debet habere sua jura, quibus omnibus solvendis si res inventa non sufficiat, poterit censerī derelicta aut post minus tempus, aut adhibitis minoribus solennitatibus.

Objectiones.

331 **P**ROBATURUS res inventas debere in usus pios impendi argumentis sic. Certum est rem inventam habere verum & legitimum dominum, tamen si ignotum Inventori: hic igitur debet illi rem perditam restituere, eo meliori modo quo possit. Atqui non potest reddere corporaliter; ergo reddat spiritualiter; hoc est, det pauperibus nomine illius, qui perdidit. Nec sufficit priorem dominum non fuisse pauperibus donaturum; quia censendus est prudens, & velle sibi corpo-

raliter reddi, & si non possit sic, reddi spiritualiter. quia ut ex Hieronymo & Augustino habent Canones, *Siquid invenisti, & non reddidisti* (nimirum, corporaliter, aut spiritualiter,) rapuisti.

332 **R**espondeo argumentum, quod nimium probat, nihil probare: & addo hoc argumentum probare nimium; quia eodem probaretur thesaurum non esse Inventoris, sed debere inter pauperes & egenos distribui: at creditur thesaurus non debere concedi pauperibus, ergo similiter philosophandum est de alijs rebus.

Dices inter thesauros & bona inventa esse summum discrimen, illi enim Mahometanorum & Ethnorum veterum sunt, quibus eleemosynae non profunt; haec autem Catholicorum & plerumque viventium, quibus prodesse possunt eleemosynae & orationes pauperum. Interim discrimen, quod summum vocas, non agnosco. Non enim est evidens thesaurum ad infidelem pertinuisse, forte enim ab aliquo Catholico fuit conditus: nec est evidens rem inventam pertinere ad volentem sibi satisfieri spiritualiter: ergo vel ad dubia vel ad probabilia recurreres. Si ad probabilia, utrumque est licitum; si ad dubia, standum est pro possessione; ergo & pro te, qui invenisti & de facto rem possides.

333 **S**VASURUS res inventas pertinere ad fiscum aut cameram argumentaris sic. Bona, quorum dominus non comparet, jure naturae pertinent ad Rempubl. non ergo possunt ab Inventore retineri, nec pauperibus dari, sed debent tradi fisco. Probatur antecedens. Respubl. habet omnium rerum dominium mediatum, quia mediatis dominis proprietarijs omnibus & singulis rebus dominatur, dominio supreme jurisdictionis: ergo deficiente domino proprietario Respubl. habet dominium immediatum. Patet consequentia, quia ille habet dominium immediatum inter quem & rem possessam nullus dominus mediat; atqui res inventa debet dari domino immediato: ergo Respubl.

Respondeo negando primum antecedens; bona enim, quorum dominus non comparet, stando juri naturae non debentur Respubl. sed Inventori. Ad probationem respondeo distinguendo antecedens. Rempublicam habere omnium rerum dominium mediatum, hoc est, jurisdictionis, transeat; non enim

enim de vocibus est disputandum. mediatum hoc est, proprietarium inter quod & rem possessam dominus alius proprietarius interfit nego. unde & nego illatam consequentiam.

DISPUT. II.

De servatione secundo modo acquirendi Dominium morale.

334 **E**XCIRO controversiam, Belgis inutilem, necessariam Hispanis; illi enim carent servis, hi habent. Verum tamen illis inutilem, cur non illam in nostratum gratiam persequeretur. Sane in Belgio non incurrunt servitutem homines, incurrunt res, & controversia de reali & personali servitute differunt materialiter: quomobrem non omnino inutilis Belgis illa disputatio, sine qua intelligere realem servitutem non possunt. Accedit primum, quod Theologi de Beata Virgine, de Christo inquirant, An fuerint servi? An domini? secundum quod Gregorius IX. & ab eo hucusque omnes Pontifices se servorum servos vocitent, & Iustinianus Imperator servum; quorum intelligentia Viro Theologo necessaria ab hac controversia dependet.

ARTICVLVS I.

Mancipia a Captivis & Servis distincta.

335 **C**onfunduntur haec voces, imò & res, cum tamen toto caelo differant: non enim omnes servi mancipia, nec omnia mancipia sunt servi. Servitus multis modis incurritur, jus mancipij personale est, & à sola victoria introductum. Mancipia igitur sunt manu capti inimici, qui stando juri naturae occidi possunt. [bellum esse justum supponitur; quia, si illud injustum, homicidia ab eodem resultantia, injusta.] Mancipij fortuna misera est: cum capitur, occidi potest; etiam antequam capiatur, & postquam sit captus. Si captum in carceres, nullum jus perdidisti, nullum ille adquisivit, sed remanent omnia in eodem statu, quo antea.

336 **D**iffert mancipium à captivo, quod omne mancipium captivum sit, non autem omnis captivus sit mancipium. Mancipium dicitur captivus, qui occidi & servari, ut servus sit, possit; at captivus, qui mancipium non est, occidi potest, in-

currere servitutem non potest. Captivi infideles mancipia Christianorum sunt, quamdiu nec libertate donantur, nec in servitutem rediguntur; at captivi Christiani sine salutis (Rançon Galli vocat) promissione intercepti, occidi possunt, lytro redimi possunt, fieri servi non solent, adeoque non mancipia, sed captivi vocantur.

Petis, An tales captivi occidi possint sine causa? Respondeo eos posse occidi, cum placuerit victori; non tamen sine causa occiduntur, cum sine nova: permanet enim causa antiqua, quia eodem titulo quo capi potuerunt, potuerunt postea occidi cum victori placuerit. Vt igitur dicenda intelligamus, addamus brevissimum Nomenclatorem.

Nomenclator.

337 **M**ancipium seu servus potentialis, est homo in bello justo manu-captus, quo occidendo, vendendo, praecipiendo uti potes. In mancipium nullum jus directum habes, sed solum indirectum; directum enim salutem & incolumitatem patriae propugnans, patriae hostes occidis indirecte. Hostis captus libertatem non amittit, sed cogitur violentiam extrinsecam ne libertate concessa cecidit utatur. Apud & pulchre Petrus Gregorius Tholosanus Syntagmatis juris universi lib. 14. cap. 1. num. 6. *Quamvis libertas, ait, sit naturalis facultas agendi quod velis, tam extrinsecus vel intrinsecus actus impediri potest. Extrinsecus vi ob quam libertas ne faciat, impeditur, ea tamen facultate nihilominus existente in homine. non enim ideo tollitur aut desinit esse (nempe, illa facultas que libertas dicitur) quod non possit operari. Ut non ideo minus hostis homo est, quod ab hoste vincatur & subiiciatur vi; vis quippe majoris est impetus, cui resisti non potest. Et quia non minus hostis est, cum captus, quam erat antequam caperetur, qui pugnans occidi potuit, etiam captus occidi poterit. Hinc patet mancipium, ut à servo distinguitur, esse dominij capax, & sibi acquirere quidquid acquirit, ipsumque & sua non subesse directe victori, sed solum indirecte & per violentiam, justam tamen, in quantum victor defendit patriam directe & tollit indirecte quidquid impedit ne illa tranquillitate*

quillitate gaudeat; at non solum hostium vita, sed & eorundem divitiarum obesse solent, hostes enim divites conscribunt advenas, quos, si egeni, non possent.

Servus actualis est qui in bello iusto servatur, sub pacto quod non sit occidendus, in quo à mancipio differt, in omnibus alijs conveniens. *Servus* igitur definiatur *captivus, dominij incapax, qui preceptis regi, imò & vendi potest; occidi non potest.*

Captivus absolute, qui sub nullo pacto captus, & hic à mancipio non distinguitur.

Captivus sub conditione generali, qui sub nullâ speciali conditione intercipitur, sed solum potest frui communi sanctione. Cumque jam apud Christianos introductum sit, ne captivi fiant servi, qui sine conditione aliqua speciali capitur, occidi potest. non tamen in servitutem redigi. Et cum diversae gentes habeant diversa pacta, juxta hæc sunt judicandi, qui sine speciali contractu capiuntur.

Captivus sub conditione speciali ille est, qui victori celsit sub aliquibus articulis; qui, si non militant contra publicas leges, sunt omnino servandi. Puta; si cedat sub onere quod nemini debeat victor dicere; sub onere quod debeat taliter tractari; quod possit tantillo lytro redimi; &c.

Corollaria

338 **H**inc lux aliquibus casibus, qui in nostrâ militiâ sæpe occurrunt, & indigent expositione.

I. Petrus Legionarius Hispanus misit tibicinem ad hostilem exercitum cum literis, quem Galli captum suspenderunt. Rescivit Petrus; & quia habebat aliquot nobiles Gallos captivos, nobilissimum curavit suspendi, arroganter dicens, se tibicinis vel gregis militis condemnationem à Gallis factam expiaturum equali lege, hoc est, sanguine nobilissimi Galli. *Casum* examinas, & circumstantiarum æquitatem disquisis. *Primo* videtur tibi iniquum esse, captivum nobilem occidi; contra rationem enim & jus ipsi naturale militat, quod vitâ donati sine novâ causâ interimantur. *Secundo* inter tibicinem Hispanum & nobilissimum Gallum summa est diversitas; & quia nul-

la inter illos æqualitas, summa erit iniquitas in iudicio, quod eos æquales facit. *RESPONDEO* tamen, tibicinibus (legati & tabellarij quidam ignobiliores sunt) semper patere aditum ad inimicos; debent enim hostes & audire & audiri: igitur Galli occidendo tibicinem fidem publicam violaverunt. Adde Petri captivos bifariam potuisse fuisse captos, vel sub salutis promissæ fide, vel merâ vi sub nullis conditionibus. Si dicantur secundo modo capti, occidi possunt sine novâ causâ, Petrus ergo sui tibicinis morte, five publicâ five privatâ authoritate factâ, irritatus, potuit uti suo jure, & occidere, quem & antea occidere poterat etiam sine novâ aliqua causâ. Si capti sub vitæ securitate dicantur, major erit omnino difficultas; non enim occidi poterunt sine novâ causâ, eaque gravi; & videntur agredientium hostium facinora captivis imputanda non esse, quibus nec imputantur victoriæ. Sed nihilominus resolvo debuisse Petrum examinare, an ipsius tibicen suspensus fuerit publicâ authoritate, & an etiam lege publicâ ipsis etiam tibicinibus accessus interdictus. Si non obstante interdictione sine speciali facultate tibicen Gallorum acies adiit, occidi potuit, & non habuit Petrus cur causaretur, violavitque fidem publicam jubendo suspendi illum nobilem, cui vitæ promiserat securitatem. Si tibicinibus patuerit liber aditus, & tamen ille privatâ authoritate suspensus; debuit Petrus homicidâ apud Legionarium Gallum deferre, debuitque is eundem homicidam tamquam læsæ fidelitatis publicæ reum condemnare; quod si non faceret, censeretur homicidium illud approbare & publicæ fidelitatis jura infringere. Quod si Gallus ille Superior fidem publicam violaverit, aut jubendo illum tibicinem occidi, aut non puniendo privatum occiforem, viderentur contractus priores in suo pristino vigore manere, (nisi forte conditionati dicantur) debereque potius vindictas à capiendis, quam à captis sumi. Illud, quod *secundo loco* ponebatur de inæqualitate nobilis & tibicinis, hic non habet locum; quia si contractus intercesserit, vel vilissimus debet servari; alias, vel no-

vel nobilissimus potest occidi, si capiatur. *Igitur* ex hac doctrina resolvendum est, utrum Petrus illum nobilem Gallum jure an verò injuriâ condemnaverit. Captum enim sine pacto concedendæ salutis, occidere potuit; alias non potuit.

339 **II.** *Lege publicâ statutum* ne in tali loco concedatur salus interceptis; Antonius hostem vicit, petenti salutem & offerenti lytrum, adnuit, & inquis, *Primo*, An victi hostis petitioni adquiescere potuerit? *Secundo*, An lytrum possit recipere? *Tertio*, An teneatur stare promissis? *Quarto*, An possit? *Quinto*, An si lytrum recipiat & postea hostem occidat teneatur ad restitutionem?

RESPONDEO ad primum contractum illi victoris & victi esse invalidum, utpote contra legem publicam. *Ad secundum* dico, ex vi illius contractus non posse victorem lytrum accipere, quia cum ille sit nullus, non potest illi concedere novâ aliquam potestatem; posse tamen recipere alio titulo, nempe jure belli, hostium enim bona capi possunt. *Ad tertium* non teneri stare promissis, imò nec posse lege enim publicâ supponitur talis servatio inhiberi, & ipse contra legem publicam nec licitè nec validè procedere potest. & hinc etiam responsum est *ad quartum*. *Ad quintum* dico eum qui accepto lytro, vitæ pretio, inimicum taliter captum occiderit, non teneri ad restitutionem. Patet, quia occidendo illum beneficium, obediit enim legi publicæ; & retinendo lytrum bene facit, nemo enim tenetur hosti publico pecunias restituere. Peccavit tamen quoad modum captivum spe securitatis, quam non poterat largiri, decipiendo, ac propterea solummodo mentitus est. Sed & hæc mendacia perniciosa solent esse Reipublice, & ideo Superior debet severe in tales homines animadvertere; qui enim præcipit ne vitam concedant, videtur compræcipere ne promittant, si aliundè constat mens Legislatoris.

340 **III.** *Pugnantibus duobus Christianorum exercitibus cohortes aliquot captæ, & in illis Ecclesiastici nonnulli reperti; cumque vi merâ, sine aliqua concordia intercepti omnes sint, singulos milites*

occidi posse ex dictis clarè constat; sed dubitas, An occidi possint Ecclesiastici? ratio dubitandi est. Quia Summi illos Pontifices donarunt eximijs privilegijs, excommunicantes quoscumque qui in eos manus violentas imposuerint.

RESPONDEO Ecclesiasticos vel esse Confessarios vel Concionatores. Hos fortius eloquentiâ, quam Legionarios armis, militare certissimum est. Vel qui dubitas Mongallardi memineris, qui contra Henricum IV. populum tam acriter concitavit, ut qui arma non timuit, debuerit hujus eloquentiam horrere, imò & condescendere articulis ab illo suggestis. [Cistercio-Fulienis ille fuit; & male securus sub Henrico IV. ad Belgium veniens ab Alberto ad Aureavallensem Abbatiam promotus, obiit cum opinione sanctitatis.] Memineris etiam Joannis de S. Bernardino & aliorum Concionatorum, qui adhuc hodie turbant & decipiunt populum in Lusitaniâ, proclamantes mendacia in veritatis sede, & afferentes securâ potuisse conscientiam Bargantinum coronam alienam invadere. At verò puros Confessarios crudeliter à castris hostilibus arceremus; ipsi enim profunt animabus, negotijs publicis non intermixti. adeoque de Confessarijs major videeretur & difficilior controversia.

Dico igitur Rempublicam posse tueri suum jus, & hoc directè; addo eam posse indirectè occidere quemcumque hominem, sæcularem aut Ecclesiasticum, qui consequutionem justis finis impediatur. Subjungo malè ad Pontificum privilegia recurri; non enim ille aut concessit, aut concedere potuit, ut Ecclesiastici invadant Rempublicam sæcularem impunè: nec interdixit, nec interdicerè potuit justam defensionem, aut rei propriæ recuperationem, quam natura concedit; ac per consequens nec exspoliare authoritate indirectâ occidendi Ecclesiasticos, natâ ex jure directo se & sua defendendi. Concionatores utpote exhortatores hostes esse confiteor; an & Confessarij hostes sint, decernere non audeo. video tamen pistorum, lanionum, mercatorum hostilis exercitus inimicos censerè, & tamen necessarii sunt, & arma non movent: unde

videretur de Confessarijs pariformiter philosophandum. Sed de hoc uberius in meâ *Theologiâ militari*, quæ omnes casus qui inter milites contingere solent, ad libram conscientiæ reducit. Sed quidquid sit de alijs nationibus inter Hispanos Gallosque servari video, ut Ecclesiastici in acie capti sine lytro, imò & sine literis, quæ redemptis solent dari, mittantur, quasi credantur legitime capi non posse.

ARTICVLVS II.

De servis captis.

342 **B**ellum iustum supponi debet, ut sit iusta captivitas, tale, quod conferrat auctoritatem occidendi adversarios. Cum igitur iuste militans hostem interceptis, occidere & non occidere potes. Si occidas, iure tuo uteris; si non occidas, servas, & servando non statim acquiris alienæ libertatis dominium, nec servatus statim servitutem incurrit.

Sed ais; servatio est virtualis productio; qui igitur servat, virtualiter producit. atqui in productione virtuali fundatur omne morale dominium: ergò, qui hostem servat, acquirit virtuale dominium. Quòd autem servatio sit virtualis productio, ostenditur. Nam occidendus hodie non est crastina die habiturus vitam: ergò si illum servas, es in causa quod habiturus sit cras vitam: ergò ita te habes ac si vitam dares, qui in causa es, ut habeat, quam alias habiturus non erat. Ista tamen non urgent. Victor enim captivum directe occidere non potest, adeoque nec directe servare, at requiritur directa productio ad acquirendum dominium proprietatis.

343 Sed occurrit difficilior ratio. Captum hostem, dicit aliquis, vel potes occidere, vel non potes. Si non potes, cessat questio; non enim servari dicitur, qui occidi non potuit. Si potes occidere, non potes servare: & ostenditur. Si potes hostem occidere, maxime ut defendas Rempublicam, utque eam à viro pernicioso liberet. atqui pernitiem Reipublicæ servare non potes, ergò nec illum hostem. Confirmatur. Si privatus à privato impetitur; debet se defendere, imò & ho-

item occidere, si aliter se tueri non possit: quòd si contingat, quod invasorem non occidere possit, continget, quòd debeat non occidere. Ratio est. Quia tunc potes hostem non occidere, quando non imminet grave periculum; atqui cum grave periculum non imminet, illum occidere non potes: ergò semper tenetur privatus non occidere, cum non occidere potest. ergò etiam Respublica, quia eodem modo, analogiâ servatâ, philosophamur de Rebuspublicis, quo de particularibus.

344 Respondeo captum hostem bello iusto posse occidi stando iuri naturali; addo posse saepe servari etiam cum occidi potest. Ratio est, quia cum duæ Respublicæ confligunt, debet, quæ iustam causam habet, exercitum alterius delere, delet cum reddit pugnando impariorem majorem partem occidendo. Igitur si te Legionarium mille homines impetant, ut te & tuos defendas, debes tot occidere, quot occisis extra aleam periculi maneat; omnes igitur servare non poteris, sed pauciores: cur autem hos potius, quam illos? verè ratio ex solâ tuâ clementiâ sumetur. nullus igitur est hostis in singulari, qui non possit occidi, nullus qui debeat; nullus ergò, qui servari non possit. His positis ad formam, dico te hostem occidere posse. Addo te illum hostem occidere posse, ut defendas Rempublicam, nego tamen necessariò occidendum, ut hæc servetur; sufficeret enim, si occiderentur alij. Ad confirmationem dico etiam in privatis dari casus in quibus possis aggressorem interimere & servare, unde & in publicis pariformiter poteris philosophari: casus sunt; primus, cum causa est probabilis; secundus, cum certa & merè probabile periculum. Fateor bene comparari hostilem militem privato aggressori: quia sicut se habet privatus aggressor erga hominem privatum, sic exercitus contra integrum exercitum: atqui nullus privatim impetitus tenetur extinguere suum hostem, sed sufficit illū prosternere, & ad tantam miseriam redigere, ut nocere non possit: ergò nec Respublica tenebitur delere inimicum exercitum, sed sufficit illum ita debilitare, ut nocere non possit. Atqui privatus ag-

tus aggressor debilitatur exciso brachio aut pede, exercitus pluribus militibus occisis. Ergò sicut privatus non semper tenetur aggressorem occidere, sic nec Respublica invadentem exercitum tenetur totaliter extinguere: potest igitur, quos voluerit, servare, modò tam paucos, ut nullum evidens periculum imminet. Cum autem nullâ lege teneatur potius servare hunc quam illum, poterit cum captivo pacisci, & illi vitæ securitatem vendere pretio libertatis.

345 **P**ETAS; Vtrum, cum bellum ex utraque parte est probabile, possent victi servitutem incurrere? Respondeo affirmative; quia etiam tunc iuste & sanctè occiduntur; & cum non occiduntur, servantur, & servatori vitam directe vel indirectè debent.

DICES, non posse iuste condemnari qui procedit ex opinione probabili. ergò nec occidi. Injustè igitur occiduntur milites, quorum causa est probabilis. Respondeo; in bello non occidi hostes in penam, sed in tutelam & remedium. cumq; hæc Respublica possit suam probabilitatem esse defendere, poterit etiam indirectè occidere quemcumque, qui impediatur, ne quiescat in suâ possessione probabili.

346 **A**DDES ex hac doctrina sequi servi dominium servatione ipsâ non acquiri, sed esse ante adquisitum alio titulo, & hunc esse querendum, & probas. Antequam hostem serves, servare & interimere illum potes: ergò & antequam illum serves, es illius dominus proprietarius; patet, quia proprietatis dominium est jus conservandi & destruendi. Respondeo negando sequelam. Probationis antecedens distinguo; admitto, si agatur de potestate indirectâ; nego, si de directâ. Quia ante servationem indirectè est quispiam dominus alterius; nempe, quia est sui dominus directè, (non quidem proprietarius, sed innatus) & se aliter conservare non potest: at verò post servationem, verum est dicere quòd servatus vitam emerit à servante libertatis pretio, adeoque quòd ejusdem dominio subsistat. Sint igitur morales Conclusiones.

347 **P**RIMA. Ex iure naturæ bello iusto capti,

possunt servari, & tunc sunt servi. Constat ex dictis. & confirmatur Iure Divino, quia Exodi cap. 12. & 21. & Evangelij multis locis, & in Epistolâ ad Ephesios sexto, & in prima D. Petri secundo, indicitur servis ut suis dominis serviant. ergò servi habent obediendi obligationem, & domini jus præcipiendi: sed & adhuc est examinandum, utrum aliquis possit incurrere servitutem invitus. Nam si sit implicitus partium contractus, in quo victor condonet salutem victo sub onere quod sit servus ipsius; victus deberet hanc conditionem acceptare, & si non acceptet contractus videtur nullus esse; non enim sufficit unius voluntas, ne contractus firmetur. Respondeo, teneri hominem admittere servitutis conditionem, & servatori gratias agere: ni fortè servitus talis imponatur, quæ iudicetur peior morte. Puta si capto Principi opera infamia indicerentur. Alexander Magnus hanc doctrinam confirmat; qui cum oppidum ad quod multi profugerant expugnasset, omnes profugos damnavit servitute, teste Arriano lib. 6. de exp. Alex. Mag. & antea captâ vi Thebanorum civitate, quæ ab eo defecerat, ferè omnes in servitutem redegit asserente eodem Arriano lib. 1. Argivi etiam Mycenâ expugnata decimum virum sacrificantes ceteros servos fecerunt, ut Dio Sicul lib. 11. testatur. Græcos sunt etiam imitati Romani. Salaces, qui ab Octaviano Cæsare defecerant, vicit M. Terentius Varrò & eorum filios vendidit sub pacto quod post vigesimum annum redimi à parentibus possent adnotante Dione Cass. lib. 53. Hist. Rom. & Lycios, qui in caput Romanorum militum conjurarant, servitute damnavit, ut apud eundem lib. 60. legimus.

348 **S**ECUNDA. Consuetudine inter Christianos introductum est, ut captivi, qui servantur, servi non fiant. Et demonstratur experientiâ: non enim videmus servos Hollandos Hispanis, aut Suecos Germanis subesse, cum multos Mahometanos & infideles habeamus.

Hac consuetudine non obstantè posset quæcumque Respublica decernere, quòd Christiani bello capti incurrant servitutem, nisi contractu aliquo aut pacto speciali

speciali contrarium statuerit. Patet, quia saepe salutem victis negat, & non datur universalis aut contractus aut lex, quae servos Christianos interdicit. Non dari persuadet Gallorum Monarcha Clodoveus, qui adeptus apud Tolbiacum de Alemannis, victoriam plerosque servos fecit, eorumque res & personas fisco addidit, unde & *fiscalini servi dicti*; multos communitatibus subiecit, qui idem dicti *Ecclesiastici*, eorundem rebellionem servitutis poenam severissimam puniens. Sed & Bartolus, Baldus, Angelus, Franc. Aretinus, captos in bello ab Imperatore & Rege Galliae, licet Christianos, incurere servitutem existimat. in l. qua a latronibus. §. fin. de rest. & alibi.

349 **TERTIA.** Potest Respublica decernere ut nulla sint mancipia. Imò omisso aureo illo seculo, quod Saturni dicitur, & servitutis inscium creditur. Athenaeus lib. 6. cap. 7. Lucianus in Chronos. sive in Saturnalis reperuntur Monarchiae potentissima, in quibus servi non admitti. Apud Indos enim nullus servus afferente rerum Indicarum Historia; & teste Philone Iudaeo lib. Quod liber sit qui virtuti studet. Esset. (erant Iudaorum Religiosi) non utebantur servis, forte nec famulis. Phoenicum & Locorum decreto usus servorum interdictus apud Athenam lib. 6. dipnos. cap. 6. Et l. 1. ne Christiani, interdicitur ne Paganis, Iudaeis, aut Haereticis Christiani serviant. Sed & Bituriges habere non voluerunt servos. §. 1. de cons. jur. stat. Pers. & cons. Bitur. quibus Tholosanos adnumero adnotante Nicolao Boer, ad dictum §. 1. & Petro Gregorio Tholosano Synagoga juris lib. 14. cap. 1. num. 22. qui ait, Tholosa servi, qui ingrediuntur civitatem liberi sunt, nec reperti nec exelli inde a dominis possunt. Talem legem videtur Belgium tulisse ante annos plurimos, non enim mancipia permittit. Hispani, qui huc veniunt, si conducant mancipia, perdere illorum creduntur dominium, cum primum has liberas regiones appellant. Sed quia praxis est optima legum interpretatio, disputandum non est de re quam communis usus explicat & confirmat, ceteram, si legamus nudam diplomatum literam, non repe-

riemus clausulam, quae alienigenis libertatem concedat. Providit indigenis hae Patria, & eos servitutem incurere non voluit; sed quia decretum benignum est, Belgarum servitus etiam ad ipsos peregrinos extendit.

Sed ut rem melius intelligas, dubium valde frequens supponis. Petrus natione Hispanus, habebat mancipium Antonium nomine, insciusque juris Belgici huc illud conduxit: petitur, utrum illa ignorantia Petro profit, noceat Antonio? hoc est, utrum non obstante illa ignorantia Antonius libertate donetur.

Respondéo affirmativè. Rerum enim dominia dependent à Reipublice legibus, non autem à privato dictamine. Si sine culpa, mancipij dominium perdiderit, imputet suae fortunae; quia sicut saepe anulum aureum amittimus inculpabiliter, sic etiam in tali casu mancipium.

Sed ulterius progredieris & inquiris, An si reverterentur Petrus & Antonius iterum in Hispaniam, hic in pristina servitutem reincideret? Audivi viros nonnullos asserentes, sed rationem non reperio probabilem, putoque esse absolute certum Antonium fore liberum in ipsa Hispania. & ut ostendam, discurre sic. Antonius ingressus Belgium donatur libertate, ergo est verum dicere, Nunc est liber, ergo debet dari titulus, ut secundo servitutem incurrat: atqui ingredi in Hispaniam non est sufficiens titulus, ut servus reddatur: ergo. Probat minor, quia alias omnes fierent servi ingressi Hispaniam.

Sed dices, lege Belgica Antonium non donari libertate perpetua, sed ad tempus; hoc est, habere privilegium, ut liber sit, quamdiu in Belgio permaneat, non tamen, si excesserit Belgio: Belgica enim privilegia existentibus extra Belgium non favent. Respondéo non esse possibile, quod alicui libertas concedatur ad tempus; nam vel est verum dicere, nunc Antonius est liber, vel non. si non, cessat quaestio, nos enim agimus de Belgio, ubi omnes esse liberi asseruntur, si sit verum, ergo Petrus perdidit dominium, quod in Antonium habebat, ergo Antonius sui juris factus, tam reddi mancipium poterit, quam

quam quicumque alius Belga, qui vadat ad Hispaniam.

353 Hae veritas millenis exemplis clarissimis posset dilucidari. Venia non potest ad tempus concedi; quia si conceditur, in aeternum conceditur; & si ad tempus solù conceditur, nunquam conceditur. si sit verum dicere Petrus, qui heri erat Dei inimicus, hodie impetravit veniam, Dei amicus redditus est, erit verum dicere, non posse contingere quod cras sit iterum inimicus, ni faciat illud ipsum quod & Paulum vel quemcumque; alium inimicum Dei constitueret. Nec juvat ad poenas recurrere; hae enim possunt differri stante injuria. Sed non potest intelligi, quod Petro injuriam ignoscant, & quod ipse cras sine novo actu pristinum reatum incurrat. Si Petrus mancipium manumitteret in Belgio, non haberet jus illud repetendi in Hispania; ergo nec habet, cum illud manumittit Respublica; nemo enim tam cecus, qui non concedat Reipublicae auctoritatem niurandi hominum privatorum dominia in commodum communitatis.

354 **QUARTA.** Potest decernere Respublica, ut servi non sint totaliter servi, sed habeant tales & tales immunitates. Probat, quia sanctissima Providentiae decernunt, ne domini possint emptam mancipia occidere; ne servos ad turpia cogere; ne nimio labore fatigare: homines enim sunt, & humanitus tractatum iri videtur humanitas ipsa postulare.

355 **QUINTA.** Non potest Respublica concedere vitam & mortis potestatem in servos, qui de facto sunt capti. Ostenditur. Neminem enim innocentem potest Respublica damnare; atqui servi innocentes supponuntur: ergo non possunt condemnari; atqui committere vitam ipsorum, arbitrio domini, ita ut possint occidi sine nova causa, est illos condemnare: ergo. Si dicat, posse illos damnari propter invasionis dirum crimen, ratione cujus potuerunt & occidi & servari: respondeo, tunc quidem sine nova causa potuisse occidi, jam non posse. illa enim culpa est illis condonata, & mortis poena, quam incurrerant, in servitutem commutata.

356 **SEXTA.** Potest Respublica concedere vitam

& mortis perpetuam potestatem in hostes capiendos. Ratio est; quia si occidi possunt die qua fuerunt capti, cur non & sequenti? cur non post annos aliquot, nempe, cum primum placuerit victori? quis reprehendere poterit aliquam hujus sententiae circumstantiam. Ego qui re occidere possum, servabo quousque mihi contrarium placuerit. Vbi notandum est, in tali casu nihil novi concedi à Republica, sed potestatem ab ipsamet natura concessam non limitari: stando enim juri purae naturae clementior erit, qui tibi hodie occidendo indulgeat unum annum vitae, quam qui statim interimat: atqui captivum potest statim interimere, ergo & post annum, ni contrarium valida lege decernatur.

Sed tunc illi hostes mancipia essent, non servi; non enim minus inimicus qui victus, ni cum victore paciscatur. leg. 2. de eo quod metus causa. pactum enim intelligi sine aliqua concordia non potest. Unde dicendum est, posse hostem occidi & non capi, capi & occidi prout libuerit victori; inimici enim victi vita subest victoris voluntati. Hinc apud inter servos & mancipia distinguere, si dices, hostes manu-captos (hi mancipia dicuntur) posse semper occidi; hostes servatos (hi qui & servi) non posse. Nam capere non est pacisci: & ante clementiorem concordiam, debet captivus hostis juris militaris extremo rigore subistere. Cum autem dominus concedit captivo vitam, cum ex misera conditione ad servitutis meliorem conditionem promovet, ipsique culpam contra se commissam condonat, & in poenam perpetuae servitutis commutat. Hae culpa semel condonata amici sunt victor & victus; cessat omnis injuria; & victus vitam securitatis emit pretio libertatis: jam occidi non potest, qui poterat; jam ad obsequium voluntario praestandum jure servitutis in conscientia tenetur, qui antea non tenebatur in foro interiori, sed in exteriori cogebatur: quia antea tutam poterit conscientiam fugere, detinebatur enim vinculis, quibus jam explicatur, quia contractis vinculis implicatus fugere in conscientia non potest.

ARTICVLVS III.

De Seruis condemnatis.

358 Omnes homines natura liberi, sed multi cum seruiert peccato, & hominibus seruire debuerunt; congruum enim est privilegium amittere, qui ab utitur concessa libertate. *can. privilegium 11. q. 3. cap. uxarum. de privileg. l. iudaeos. de iude. &c.*

Bisariam possunt crimina scelestum in servitutem inducere; primo, si dentur leges, quae poenam servitutis infligant; secundo, si capitales iudicium clementiam moderentur. multas legimus apud antiquos jam omnino obsoletas, raro enim in praesentiarum servitute scelerati damnantur.

Olim Claudio Senatusconsulto femina libera se seruo alieno prostituens, si a domino admonita iterum in crimen incurreret, meechi conserva fiebat. *l. 2. de Senatuscons. Claud. tol. lib. 7. c.* Si proprio seruo prostituisset; ille igni, ipsa capite condemnabatur. *leg. unis. de mulier. qua se proprijs seruis iunxerunt.* Hispanorum lege, serua, quae a Domino liberos suscepit, sit libera. adnotante Anton. Pano. *lib. 2. de dictis & factis Alfonso cap. 39.* & Petrus Gregorius Tholosanus *Syntagma. lib. 14. cap. 6. num. 8.* Sed hanc legem, si bene discutias, non videri omnino equam reperies. Fateor posse merito domino privari, qui servam carnaliter cognoscit; illam autem vel inde libertatem mereri quod iniusta domini petitioni adqueverit, iustum non est. peccata enim non donanda sunt praemijs, sed diris supplicijs damnanda. Possent tamen legis aequitas defendi; si crederetur serua carere libertate politica, & potius cogi, quam induci; dominorum enim petitiones minus sapius immixte non tam persuadent quam compellunt. sed tu examina.

Libertis videbatur conditionate solum libertas indulgeri, nimirum, si ingrati non essent; cum enim se migratos exhibebant, in servitutem proximam redigebantur. *l. 2. de libest. & ser. lib. §. man. de cap. diminit.*

Latrones capite condemnabantur; illi

autem, qui ex eorum familia, sententia remissione fiebant servi capientium. *l. 1. quibus ad liber. procl. non lic. lib. 7. c. ti. 18.*

Raptores, raptae suppeditare dotem tenebantur; si non erant solvendo, vendebantur. *can. de raptorib. 36. q. 1.*

359 Experiebatur Respublica in fervorum venditione fallacias; nonnumquam enim liberi homines vendebantur, qui postmodum reclamantes debebant in integrum restitui, & venditore fugiente, carebant & pretio & seruo emptores. Ut igitur iretur obviam huic inconvenienti, statutum majores viginti annis (minores non solent graviter puniri) qui se vendi ultro permisissent ignorantibus, ad participandum pretium, mansuros servos emptorum in perpetuum. *l. si ministerium de lib. cau. c. si ex causa. §. Papinianus de min. 25. ann. in P. alias restituuntur. l. 1. & 2. si advers. vend. c. §. Servi de iure person.*

ARTICVLVS IV.

De Seruis natis.

360 Servus nativitate dicitur, qui servus nascitur, hoc est, qui a servis. Illi enim incapaces domini sunt, & quidquid acquirunt, acquirunt domino.

Sed statim urget gravis instantia. Non potest amplius domino suo servus acquirere, quam acquireret sibi, si liber esset; atqui, si esset liber, non acquireret servos, cum filios. ergo non acquirat servos domino, cum filios.

361 Respondeo tamen fervorum filios esse vere servos, & rationem in contrarium adductam nihil convincere; quia cum causa servatur quae perdi potuit, etiam omnes ejusdem effectus servantur. Cum dominus ex mancipio quod occidere poterat, servum fecit, non solum ei vitam moraliter concessit, sed & universis ejus futuris filijs; si enim parentem extinguisset, ipsi non gignerentur. Ergo tametsi filij a servo sint physice producti, a domino moraliter producti sunt; nimirum, servatione: ergo, qui eodem modo fuerunt servati, quo pater, eandem servitutem incurrerunt. Igitur fervoru servi, servi sunt. Fateor potuisse iniri contractum inter victorem & victum, qui filios a servitu-

a servitute eximeret, sed ordinariè aliter fit, victor enim qui captivum occidere & in eo omnes ejus filios impedire posset, hoc jus pro victi & filiorum ejus libertate commutat.

Hinc ad rationem oppositam respondeo negando majorem, plus enim domino mancipium acquirit, quam sibi acquireret, si mancipium non esset; magis enim est domino subditus quam esset sibi. a se enim ipso interim non posset, & potest a domino quousque servus reddatur. Servus autem a mancipio sola salutis condonatione distinguitur: hoc enim occidi potest, ille non potest. Quod si detur lex inhibens mancipiorum eadem, illa in servos legali auctoritate transibunt a lege ipsa servati, at non mancipij nomine hostem manu-captum intelligimus, nulla lege publica, nullo privato pacto servatum.

362 Sed inquiris. Cuinam filius fervorum acquiratur; domino-ne patris, an matris? & examinare vis; An ex libera & seruo progenitus, aut contra, debeat servus vocari?

Si leges humanas spectemus servitus sequitur partum; & hoc ferè in omnibus regnis, quae servos admittunt; nunquam patris qualitas examinatur, sed serva filius servus est tametsi patre gaudeat libero; libera liber, tametsi a servo genitus: At stando pura legi naturae, difficilius controversia est, quam multi putant.

Si enim ad concursus patris & materni distinctione recurritur, gravissimae quaestiones implicantur. Quis enim demonstrabit, An mater active, an solum passive concurrat? & si active concurrere probetur; Quis scit, an solam materiam active disponat, an etiam animae & corporis unionem attingat? Sanè si Arriaga sententia, asserens solam matrem animam corpori unire, vera est, ipsa sola hominem quae hominem producit, & humanae leges cum partum sequi ventrem determinant, non solum bono publico prospiciunt & obviam eunt litibus, sed ipsamet legem naturalem sequuntur: sed quis sciat, an illa unio a sola matre producat? forè a solo patre; etsi mortuo vel absente; forè a solo Deo. Qui

jaculo exploso inimicum distantem confodit, active illum interimere dicitur, & tamen absens esse supponitur, & mori potest antequam jaculum metam attingat; ergo similiter posset intelligi virum deciso semine in embryonis materiam operari, idque non perdere virtutem tametsi ille aut moriatur, aut distet. Quid igitur sit de quaestionibus physicis, dico utrumque parentem aut physice aut moraliter in filiorum generationem concurrere, sublato enim alterutro proles non essent, ac propterea patrem & matrem moraliter respicere. Unde colligo primo fervorum filium ad dominum patris & ad dominum matris pertinere, nimirum ad utrumque tamquam ad unum adaequatum dominum. ad singulos tamquam ad dominos inadaequatos. secundo, & lytrum, si redimeretur; & pretium, si venderetur, debere dividi in partes, & fortassis, aequales. tertio ejus opera, si aliquam artem exerceret, similiter esse distribuenda.

Si sit ex libero & serua, aut ex servo & libera progenitus, implicatio erit controversia. Nam stando puro naturae juri semiliber & semiservus esset. Si operaretur; mediam partem rerum & operum acquireret domino, mediam parenti libero vel sibi. sed & dominus deberet victis & amictus medias expensas solvere.

363 Omnes istae difficultates sopitae sunt jure humano universa aliter disponente, & cedentibus suo jure quorum lex, ut bono publico consulat, privatam utilitatem diminuit. Sint igitur civiles Theses.

PRIMA. Partus ventrem sequitur. hoc est, servi nascuntur ex ancilla, liberi ex libera, sive pater sit liber, sive non. *l. & fervorum §. jure gentium. de stat. hom. §. servi. in 2. de jure pers. l. fin. de liber. caus.*

SECUNDA. Si a conceptione ad nativitatem inclusive, mater in aliquo instanti fuit libera, filius est liber. Ita decernitur. *l. si & siquis. §. §. e contrario de ingen. l. & fervorum. §. ingenui sunt. de stat. hom.* Ut legum clementiam intelligas adnotato duas esse geneses; alteram naturalem, & alteram civilem. Vivere naturaliter homo incipit a conceptione, vita saltem vegetativa, anima enim non statim infunditur,

ditur, sed multis diebus post. vivere civiliter incipit à nativitate. Iura autem, ut faveant proli libertati quantum probabilitas possit, volunt proli vitam computare civiliter aut naturaliter, eo sane modo, quo computus sit favorabilior. Vnde si ab ancilla conceptus, ex libera nascaris (puta, si tua prægnans mater aut manumittatur, aut redimatur) tu liber es, non enim eras civiliter ante natiuitatem, & non poteris servus dici, qui non eras. Si autem à libera conceptus ab ancilla nascaris (puta, si prægnans in servitute mater incurrerit) liber es. Nam liber fuisti cum conceptus, nec matris calamitas imputanda venit innocenti. Sic leges, & quidem benignissimè.

364 Sed occurrit difficultas parallela. Maria Pauli servi prægnans Antonio venditur, & quaeritur utrius futura proles sit, Pauli an Antonij? Respondeo hanc posse dissolvi controversiam jure speciali, nempe, ex decreto Reipublicæ. Addo tamen itando legibus citatis fortè illum parvulū liberum esse, & ostendo, quia non est Pauli; nam si ille ancillam prægnantem manumitteret, non haberet jus in prolem: nec est Antonij, quia si Maria cum ipsi servire incepit esse serva inciperet, illa proles Antonij non esset: ergo. Confirmatur. Servus, ut leges statuunt illè est, qui conceptus & natus ab ancilla; non ille, qui conceptus à libera & partus à serva, nec qui à serva conceptus & ab ancilla partus. Atqui non est verum dicere, *Hic infans est conceptus & partus ab ancilla Pauli; nec est verum dicere, Est conceptus & partus ab ancilla Antonij.* ergo erit verū dicere, *Nec est servus Pauli nec Antonij.* Fateor posse hanc rationem elidi per moralem vendentis & ementis transubstantiationem, sed fortè hoc ipsum Legislatores ignorarunt, fortè nec hoc populi legem hanc acceptantes præviderunt. Hujus rationis momenta benigni Iuriconsulti & Theologi examinent, si quando misero alicui servo probabiliter favere possint.

ARTICVLVS V.

De Servis emptis.

V Enditor plus alienare non potest, quàm habet; unde, qui servum emit, non poterit acquirere majus in servum vel mancipium dominium, quam habebat venditor. Verbi gratiâ. Mancipium occidere potes, & alienare: hoc ipsissimum vendere potes. Sed cum servum vendis, nequis concedere emptori vitæ & mortis potestatem, quam non habes; tenebitur enim emptor stare pacto à te & servo inito, cum servitus illa contracta. Hæc animadversione præmissâ veteres & juniores leges venirent explicanda.

Præter dominos, quibus vendendi mæcipia & servos jus est ab omnibus concessum, jure naturæ etiam patri permittitur filium vendere, sed suspecta mihi de iniquitate *lex 1. & 2. de patribus, qui filios distinx.* tametsi jus illud summum quodammodo limitare videatur. Ex vi hujus legis famis tempore conceditur parenti filium vendere eâ conditione, ut restituto pretio (puta à patre aut ab alio) debeat libertati restitui. Optimè. Peto tamen *primò.* Quid si pretium nec à patre nec ab alio restitatur? & *secundò* quid pater vendat, cum filium? in utroque enim sublatentem invenio aliquam iniquitatem. Filius naturæ jure subditus est parenti usque ad mortem, non filij sed parentis; hoc enim & omnibus progenitoribus emortuis pater familias remanet, & à parentum jurisdictione emancipatus. Pater igitur cum filium aut nepotè vendit, non potest vitæ suæ tempus excedere, nec justa lex, quæ filium venditum, post mortem parentis in servitute retineat; aliàs concederet parenti quod alienam venderet libertatem. Accedit, quod hæc venditi filij subiectio non solum non debet esse diuturnior, quàm esset sub patre; sed neque alterius speciei. Si enim Ambrosio quatuor libras argenti debeas, ille mihi poterit in te adsignationem conferre, non quidem quatuor librarum auri, sed quatuor argenti. Pater igitur, qui non erat dominus proprietarius filij, cujus hic nec mancipium nec servus erat, non po-

non poterit filium vendere in mancipium aut in servum, sed in adoptivum, aliàs emptori potestatem venderet, quæ caret. Hæc breviter notata sunt; tu attentè lege, mihi enim videntur clarissima & certissima, quamvis legibus positivis contraria.

ARTICVLVS VI.

Servos nunquam potuisse occidi: pura mancipia etiam nunc posse.

367 S I aliquos dominos servos occidisse legis, scelus commissum legis; si impunè illud patrasse reperis, malè gubernatam Rempublicam fuisse cognoscis. Puto multos, cum hanc quaestionem tractant, servum cum mancipio confundere, quorum conditione esse valde diversam superius dictum, nunc probandum.

Inimicus publicus, quamdiu talis, occidi potest; si semel veniam impetret, sine novo crimine non potest condemnari. Infidelis hostis, si capitur, mancipiū est; non amicus, sed inimicus victus captus. Illum victor occidere potest, cum velit: si tamè ei ignoscit & vitæ concedit privilegiū, benignè procedit, non tamè poterit illum interimere sine novo peccato. Servitutem vel servationem ipsam veniam involvere & hostem in amicum convertere cognoverunt ipsimet veteres; qui Macrobio *lib. 1. Saturn. cap. 11.* teste, non servorum domini, sed *paterfamilias* dici voluerunt, & servos *familiares* vocarunt.

368 Fuerunt aliqui crudelissimi domini, qui pacti immemores aut servos occidere. *Gloss. l. 2. de his qui sunt sui vel alien. jur.* Tertullianus *lib. de Pollione*, nominatim Vidium Pollionem recenset, tantâ inhumanitate præditum, ut servos murenis invadendos & edendos objectaret. Contra hujusmodi irracionales homines multæ leges. Constitutione Pij Cæsaris sanctum, ut qui proprium servum occidisset, eadem puniretur sententiâ, quæ qui alienum. Inhibuerunt alij Imperatores, ne sine causâ domini occiderent servos; sed quia statim servicia falso suffulta testimonio impunita manebant, nunquam enim deerat modus fingendi & protrudendi aliquam causam, Adrianus Cæsar omne jus occidendi servos,

etiam fontes, dominis negans, in Rempublicam transfudit asserente Spartiano in vita hujus Imperatoris: unde & Umbriam, tametsi divitem & nobilem matronam, exilio quinquennali damnavit, quod atrocissimè ancillam tractasset, *l. 2. §. fin. de ijs qui sunt sui vel al. jur.* Adriani constitutiones amplexi Moscovitæ, permittunt dominos crudeles à servis in judicio reos agi. *Sigism. l. 16. Bar. in comment. rer. Moscovit.* & nullam video bene gubernatam Rempublicam, quæ permittat dominos in servū impunè scèvirè.

ARTICVLVS VII.

Servos incapaces dominij.

A omnibus bene probatur. De servo facilis esset resolutio, si diceretur cum hujus capacitatis pretio vitam emisse; hoc enim posito servum esse incapacem dominij dilucidè demonstraretur. Sit igitur

370 CONCLUSIO I. *Mancipium est dominij capax; quod acquirit sibi directe acquirit, non domino.* Patet, quia libertatem non perdidit, nec in alienum dominium directum & proprietarium transijt, sed violentia extrinseca impeditur ne libertate utatur.

Sed objicis, jus necis omnium supremum est, & ipsamet rei substantiam respicit: ergo sicut omnes domus partes, & quidquid ad illam spectat, est domini proprietarij, qui illam destruere potest: sic mancipij mæbra, & quidquid ad illud spectat sunt domini, qui id occidere potest. Ergo quidquid mancipia acquirunt, non sibi, sed domino acquirunt.

Respondeo ad primum antecedens jus necis taliter substantiam respicere, qualiter ipsum est; nimirum illam respicere directè, si directum; & si indirectum, indirectè. Ad consequentiam nego suppositum, non enim datur mancipij dominus directus, sed manucaptor; nam si daretur dominus directus, aliquid ista ratio convinceret. & idem dico ad secundam etiam consequentiam. Fateor tamen omnia mancipij bona, quæ directè pertinent ad ipsum mancipium tanquam ad proprietarium dominum, ad manucaptorem

orem pertinere indirectè, (qui, si ideò vocetur *indirectus dominus*, voces non condemnabo.) nam sicut mancipij vita indirectè pertinet ad victoris arbitrium, sic & universæ fortunæ, si & manucapi possint.

371 **C O N C L U S I O II.** *Servus dominij est incapax; quod acquirit, suo directo & proprietario domino acquirit.* Probatur; servitus mors virtualis ac civilis est, *l. interdicit de condit. & demonstr. l. servitutem. de regul. jur. l. cum hic status. §. si donator. de don. inter virum & uxorem.* atqui mortui physice, carent omni dominio physico; ergo & mortui moraliter & virtualiter, omni morali & virtuali.

Confirmatur: Servi sunt virtualiter & moraliter nulli; ergo & dominij incapaces. Patet consequentia, quia quod dominio subijcitur, alicujus dominio subijcitur. Antecedens probat, *l. quod actinet. de reg. jur.* asserens idem esse nullum ac servum esse.

Si servus sit duorum habentium dominium in communi, illis servus acquirit bona possidenda in communi: si autem habentium bona in particulari, eisdem acquirit bona possidenda in particulari.

Aliorum Authorum sententia.

372 **S**ervos non posse sibi adquirere rerum dominium, mancipia posse non semel diximus; sed debemus in præsentibus probare, variorum Scriptorum sententias ventilando, ut veritas clariùs innotescat. Ago de actualibus servis specialiter, sed quia communes sunt quæstiones & fundamenta eadem, etiam resolutiones ad famulos, filios, & Religiosos (de quibus omnibus seorsim agendum esset) studio brevitatùs extendam.

373 **T**homas Sanchez *Opusculorum Moral. tom. 1. lib. 1. cap. 1. dub. 1. num. 1.* quatuor Authorum opiniones recenset. Sed prima parùm abest à nostra, & reliquæ si bene intelligantur, poterunt ad primam reduci. Prima enim, quam ad sensa nostrâ explicatam tenebimus inter captos & emptos distinguit; hos docet nihil, ut proprium possidere, illos nec teneri quidquid sunt esse dominorum, nec reddere dominis dona quæ suscipiunt, vel hære-

ditario jure, aut labore & industria, aut tandem sorte & ludo comparant. Sic Scotus *lib. 4. de just. quest. 2. art. 2.* Ludovicus Lopez *1. part. instruct. cap. 152. fol. 347. & lib. 2. de contract. cap. 40.* Sed & Salon *q. 3. de dominio art. 1.* & alij quoad captos bello justo docent esse omnium juniorum sententiam.

374 **P**uto hos Authores eandem ipsam tenere, quam nos superius tenuimus & tradidimus, mancipia à servis distinguentes. Mancipia diximus homines bello captos, antequam ferventur, (quod & possumus *servos potentiales* dicere, quod possint *servari*) at *servos* absolutè diximus servatos, qui & *servi actuales* congruè nominarentur, ut hoc caractere à potentialibus distinguere possent. Dicendum igitur est servis bello captis, hoc est, mancipijs seu servis potentialibus jus habendi dominium competere, servis emptis vel alio titulo acquisitis, quia jam actuales servi sunt, non item.

375 **V**t autem servos potentiales capaces esse dominij probent, hæc utuntur ratione; Quia cum non propria sponte in has angustias & servitutem redacti sunt, non sunt coarctandi. Et ex ipsa ratione constat non agere de servis servatis, nemo enim prudenter invitus servatur. Invitus Petrus potentiam proximam incurrendi servitutem incurrit, cum à victore justè capitur, incurrit enim conditionem in qua licitè possit aut servari aut occidi pro arbitrio domini sine novo titulo aut causâ: at si fervetur stari debet servationis contractui: qui stando juri puræ naturæ posset esse multiplex & ad tempus; at stando civili hic est. *Habeo potestatem te occidendi si volueris, & tu vicissim fugiendi si poteris; condonabo tibi vitam sub onere quod meus sis, mihi in perpetuum opereris & vivas, & cedas potestate fugiendi.* Hæc in ita concordia (quia non nisi secundum leges inicitur) remanebit dominus obligatus ad servandum vitam captivi secundum legum tenorem, & ipse erit domini, & carebit fugiendi jure eò modo quo leges civiles disposuerint. Cum autem ante hanc concordiam captivus actu servus non sit, non amittit capacitatem habendi dominium tametsi rebus habitis violenter exspoliari

spoliari possit: violenter enim captus, violenter detinetur, violenter exspoliatur; & tota illa conditio non nisi continua violentia est. Siquid illi dones, licitè accipit sibi, & licitè abscondit; si ludens lucretur, sibi prodest; si parentes in sua patria moriantur, heres est: sed quidquid tibi ipse adquisierit, si resciat dominus, violenter capiet; non enim solum occidere, sed & hostem spoliare licet; & ille quousque fervetur & donetur vitæ securitate, hostis est.

376 **V**idetur novitio similis, aut etiam illi cui adoptio promissa; neuter enim actu habet quod desiderat, adeoque neuter anuit jura antiqua: novitius enim & adoptandus adolescens dominium habent, quod ille per solennem professionem perdit; iste per adoptionis beneficium multis limitationibus obstringit. Mancipium autem, seu potentialis servus, est quasi servitutis candidatus; est enim in statu, in quo vitam habet, sed jure occidi potest; bona habet, sed & potest legitime spoliari; potest licitè fugere, sed violenter vincitur & tenetur; & ut ab his miserijs & periculis evadat, & saltem vitam securam retineat, omnia libenter impendit, adeoque adspirat ad servitutis statum in quo jus fugæ & dominij expendendo, jus vitæ perditum recuperet, & occidi non possit.

377 **S**unt qui servos captos, hoc est, potentiales dominij capaces existiment, sed alijs omnibus, quos emptitios nominant, non negent absolutè, docet enim in hujusmodi distinguenda esse quotidiana obsequia & servitia à labore extraordinario sine detrimento domini alicui externo exhibito: puta, si servus pictor, aut die festo, horis quibus orari possit, sine domini damno pretiosam imaginem pingeret & venderet. Hæc rerum præmissâ distinctione omnia quæ horis domino debitis lucratur domino lucrari concedit, at qui diebus aut horis, quibus non erat operaturus domino, in duas classes distinguit; nam vel lucratur cibos vestes aut alia consumptibilia, vel res permanentes, ut aurum, argentum &c. hæc docet adquirere eos domino, illa sibi; adquirunt enim usum, qui in talibus rebus

non distinguitur à dominio. Ita reliqui recentiores asserente citato Sanchez *n. 2.* & citante Salonem *2. 2. quest. 3. de dominio art. 1. sub fin. fol. 358.* qui illos adlegat.

378 **C**æterum hæc sententia partim falsa, partim implicantia supponit. Falsa quidem, quia vestium usum à dominio non distingui improbabile est. Implicantia etiam, quia supponit horis vacantibus posse operari & pretium recipere & retinere sibi. Si hoc enim verum, jam ille servus esset & non esset, quia in hoc famulus à servo distinguitur, quod iste semper sit domini, ille personaliter ad dominum non pertineat, nisi horis debitis secundum mores patriæ & concordie.

Igitur occasione distinctionis positæ à secunda sententia, has Theses valde necessarias adjungo.

379 **Prima.** *In res unico actu consumptibiles acquirit verum dominium mancipium, servus, famulus, filius, religiosus.* Probatur; quia in illis usus à dominio non distinguitur. Ita statui *Commentarij mei in Regulam Benedictinam num. 871.* ita etiam inferius & fortibus rationibus evincam: at in vestes semper usum à dominio distinguam, videmus enim eas commodari à retinentibus dominium.

380 **Secunda.** *Ubi domesticis dantur cibi determinati (Hispanice quando se dan raciones) potest mancipium, servus, famulus, filius, religiosus, sibi aliquid detrabere & dare pauperi aut amico: quinimo si vendat, peccabit quidem contra decentiam & auctoritatem (hanc mancipia, servi, & famuli non semper curant) non tamen contra justitiam.* Ita de servo Sanchez ubi supra *num. 15.* de Religioso Ego in *Comm. à num. 872.* Ratio est, quia in commestibilia adquisivit verum & reale dominium.

381 **Tertia.** *Ubi cibi non determinantur, non peccarent contra justitiam eadem persona se id quod alijs essent comestura & possent decenter non comedere, darent alicui pauperi aut amico: si autem ad satietatem comederint, nihil donare poterunt.* Ita Sanchez *num. 14.* & apud eum nonnulli viri docti de servis, & de famulis idem *num. 15.* & Ego de Religiosis ductus rationis paritate *mei Comment. num. 874.*

Non

Non determinantur cibi, ubi non dantur singulis singulæ portiones, sed fercula communia exponuntur, ut unusquisque capiat quod vult, & quantum vult.

In refectioe terminos latitudinis admittendos esse certum est. non enim consistit in indivisibili. Terminus magnitudinis ille, quem si excefferis, crapula & ebrietas; parvitas ille, ultra quem, si quidpiam subtraxeris, corpori sis tyrannus. inter istos duos terminos versatur sobrietas; & tamen licet neutrum licitè attingere possis, licitè ad utrumque appropinquare poteris.

382. *Quarta. Eadem personæ, si ex cibis ordinarijs domus suæ soleant clandestinè aliquid sumere & hoc frequentissimè, ut consumant in actualem usum sui aut aliorum domesticorum non peccabunt in furti materia. De famulis, servis & mancipijs Sanchez num. 17. quia domini non sunt inviti quoad substantiam actus, sed quoad modum; & licet iustè inviti essent, non est materia quæ subripitur considerabilis, qui enim jentanculum sumpsit, minus prandet. quæ rationes etiam habent vim in religiosis & filijs; vide Commentarij num. 888.*

383. *Quinta. Potest mancipium, servus, famulus, filius, religiosus horis vacantibus sine officij sui detrimento possit, servare amico; puta, pingendo, scribendo, calando. Consultò detrimenti memini cum vacantium horarum, non enim omnes vacantes horæ sine domini detrimento impenduntur. Homo fragilis est, & indiget recreatione aliquâ ut restauretur: lassus opus fastidit, & fastidians nihil curiosè & exactè operatur. Igitur, si aut servo, aut famulo, ut melius pingeret, unam aut alteram horam quietis indulgeres, tibi esset injurius, si hanc ipsam in aliorum obsequium impenderet, & lassus fractusque ad tuum opus veniret. Hac consideratione præmissâ, quæ in artibus, quæ industriam & mentis summam attentionem requirunt, præcipuè locum habet, dicendum est horas, quæ ex domini benignitate aut concordia possent impendi in nugis, possent amico dari, aliquid pro eo operando. Est tamen in hoc ipso maxima differentia: nam Religiosus Conventus aut Chorista, & servus possunt ta-*

libus horis alteri servire, sed si laborem venderent, pretium non sibi sed suo superiori (puta communitati Religiosi, domino servus) acquirerent. at filius sibi proprietatem & patri administrationem; famulus sibi dominium plenum rei, quam dominus capere non posset, at mancipiû vel servus potentialis, plenum rei dominium acquireret, sed subditæ violentiæ domini potentis illam capere & retinere, cum voluerit. [Inter horas successivas dies festos enumera, nemo enim famulus aut servus Christianus his diebus laborare tenetur; adeoque si laboraverit, peccabit contra Ecclesiæ præceptum, & artefactum eidem subiacebit censuræ, cui reliquæ quæ horis vacantibus sunt facta. Vide Commentarij in Reg. num. 869.

Sexta. Qui venditur à se aut ab alio, possit sub aliquibus articulis vendi, & tunc isti essent servandi. Puta si vendatur sub onere quod moriente emptore, aut post tot annos debeat manumitti: si sub conditione quod non debeat nisi diebus alternis operari, aut quod possit sibi dominium talium rerum acquirere, aut quod possit tot aureos in honesta recreatione impendere ex bonis suâ acquisitis industriâ. Taliter tamen venditus non esset totaliter & adæquatè servus, sed solummodo secundum quid. Possent addi conditiones, quæ non jam personam servi respicerent, sed emptoris: puta si is teneretur eum in tali civitate aut loco continere, aut ad talem regionem mittere; tunc servus esset adæquatè servus, sed emptor non redderetur adæquatè dominus, venditor enim harum circumstantiarum dominium retineret.

Septima. In res permanentes, nec servus, nec religiosus, acquirere dominium potest. Ita Sanchez dubio illo primo num. 4. de servis quibuscumque tam emptis, quam bello iusto captis; ubi citat pro se D. Thomam, Abulensem, Gregorium Lopez, Sylvestrum, Arm. Ang. Tab. Navarr. Petrum Covarr. Arragon, Matienzum, Navarram, & Molinam. quorum sententiam quoad emptitios, hoc est, servos actuales libentissimè admitto: at verò quoad captos non admittam sine examine prævio; puto enim illos loqui de captivis servatis

servatis & donatis vitæ tranquillitate & securitate, isti enim veri servi actuales cum sint, dominium habere non possunt. at manu-capti antequam vitâ & salute donentur, servi actuales non sunt, sed potentiales, adeoque quia privilegijs servorum carent, etiam illorum miserijs non subsistunt. De religioso esset major difficultas, bene enim intelligitur voto reddi bonorum possessionem illicitam, non tamen invalidam: quia si secularis juret se non duciturum talem uxorem, aut non venditurum talem equum, illicitè validè tamen illam ducet, hunc vendet: ergò possemus de religiosis pariformiter philosophari. Sed respondeo paupertatis votum quæ votum non militare contra dominium, sed quæ solenne, studiosi enim Societatis & veri religiosi sunt, & verè pauperes, & tamen retinent rerum dominium. at votum solenne autoritate publicâ elevatum amortizat personam illud emittentem, & illam privat morali potestate acquirendi dominium.

386. *Octava. Nullus casus dabitur, in quo, aut servus, aut religiosus (quin illorum status adheretur & mitigetur) possit alicujus rei permanentis dominium acquirere. Est contra Sanchez, qui existimat saltem servos in aliquibus casibus acquirere verum dominium.*

387. *PRIMVS CASVS, quem producit est, in quo intervenit contractus aut pactum inter dominum, servumque, ut sit contentus quotidie duobus argenteis, & reliquum servus acquirat. Sed hic casus illesâ servitute impossibilis est; fateor enim posse contractum fieri inter dominum & servum, sed hic ante contractus celebrationem manumittatur; aut saltè manumittatur inadæquatè, hoc est, ad effectû illû: nego tamen posse componi quod servus totaliter servus sit, & tamen cum domino contrahere possit.*

388. *Sanchez num. 6. arguit ex Aristotele Ethic. cap. 112. quia licet inter servum ut sic & dominum, non sit propriè justitia nec contractus, est tamen inter dominum & servum, ut homo est. Lego & miror tam doctum Theologum tam frivolâ ratione abuti. Hoc habent omnia, quæ Aristotelis aut aliorum, quibus multum de-*

ferimus, nominibus circumferuntur: hoc inquam habent, ut inconsideratè admittantur. quod tamen frequentissimè aliàs accidat, in hoc casu clarissimè videmus; nam si ratio illa Aristotelica, quæ suam sententiam suadet Sanchez, subsisteret; etiam in similibus casibus urgeret. Daretur igitur tempus in quo Religiosus sibi proprietatem acquireret, quo posset emere, vendere, ducere uxorem, quia tamen hæc omnia repugnant illi quæ Religioso, non repugnant ut homo est. Conjugata posset secundo nubere, in dè & sine adulterij maculâ cum alijs commisceri, quia tamen hæc non possit ut uxor, potest ut scemina. quæ omnia sunt similima sensui composito & diviso Thomistarum, cum tollentem indifferentiam physicam prædeterminatione defendunt.

389. *Dari justitiam civilem & naturalem docent Ludovicus Lopez lib. 2. de contract. cap. 40. fol. 487. Molina tom. 1. de just. tract. 2. disp. 38. fol. 304. & Sanchez Conf. Mor. lib. 1. cap. 1. dub. 1. num. 6. & addunt dominum obstringi in tali casu servo non civiliter sed naturaliter. Sed chimærica hæc sunt. Quia quando leges decernunt, ut omnia quæ acquirunt servi acquirant domino, vel volunt eos cedere jure naturali acquirendi bonorum proprietatem, vel hoc illæso bona transire ad dominos. Si hoc secundum statuant, furta permittunt, & nemo dominus bona servi retinere tutâ conscientia potest; ille enim jam servatus, hostis non est nec inimicus. Si autem illum privavit capacitate acquirendi dominium, certum est, aut hanc in casu restituendam, & per consequens remittendam servitutis miseriam, aut servum sibi nihil acquirere posse.*

SECUNDVS CASVS. Si eâ conditione expressâ vel tacitâ bona aliqua sint servo donata vel relicta, ut non acquirantur domino, tunc ipse sibi acquirat, ait Sanchez, nec tenebitur domino communicare. qui assonat Navarra lib. 3. de restit. cap. 1. num. 216. & 217. & Molina tom. 1. de just. tract. 2. disp. 38.

Sed in hoc casu omnia displicent. Primò, quia licet conditio expressâ haberet vim præsentiam, tacita habere non posset, dari enim non posset. Nam conditio

tacita est, quæ non exprimitur sed colligitur ex alijs circumstantijs, quæ sine illa stare non possunt: cum autem in donationibus una ex præcipuis circumstantijs sit persona cui, hæc debet etiam considerari: ergo quando aliquid servo donatur, & donator non exprimit se velle, quod hoc adquiratur domino, censendus est velle quod adquiratur eo modo quo secundum communem statum politici cursum acquiritur: ergo quod adquiratur domino.

391 Sed etiam conditio expressè posita non prodest, non enim in voluntate donantis est rem acquiri illi, cui datur, alias enim etiam possem donare Religioso fundum sub conditione expressa quod non adquirat cum communitati sed sibi, vel detur disparitatis ratio, uterque enim dominij incapax, imò magis incapax servus quam Religiosus, quia veros & adequatos Religiosos in Societate videmus habere dominium, non tamen dantur servi totales, qui illud habeant.

392 Sed arguit Sanchez. Eo ipso quod domino servus bona illa communicaret, non essent ei donata vel relicta, quivis enim rei suæ conditionem apponere potest. Si fortis videatur hæc ratio, mutatâ materiâ applica Religioso. Eo ipso, inquit, quod monasterio bona illa Monachus communicaret, non essent Religioso donata aut relicta: ergo debent Religioso & non Monasterio ipsa acquiri: quivis enim rei suæ conditionem apponere potest. Nonne vides nullius ponderis rationem esse. Sed respondeo duas Authorum reperiri sententias circa donationum condiciones appositâs; alteramque docere donatorem præsumendum esse justum, velleque donationem vel contractum absolutè facere & condiciones apponere secundariò subintelligendo hanc clausulam, *si per leges liceat*: alteram docere hanc esse voluntatem operantis, eumque velle circumstantiam illam primariò & secundariò donationem aut contractum, ita ut si per leges non liceat fieri ut disponit, non contrahere, quam aliter contrahere malit. Neutra tamen sententia servo aut Religioso favet, quia stando primæ, dicemus bona illa, quæ donantur servo aut

Religioso, adquiri servi domino vel monasterio, juxta communem ordinem quo sic subditi adquirere solent dominium: at stando secundæ, illam donationem esse nullam defectu voluntatis, donator enim malle donationem non facere, quam in utilitatem monasterij vel domini facere asseritur.

Aliâ viâ Navarra nos impetit. Non posse, ait, alias servus pro redemptione sua pretium offerre, cum quidquid offerret esset domini. Sed quid inde? estne de contractûs & servitutis perpetuæ quiditate, quod redimi possit aut debeat? sed ut sit, cur redimi non poterit amicorum & consanguineorum pecunijs?

TERTIVS CASVS sub ijs terminis à Sanchez proponitur. Si detur ancillæ ab amasio aliquid ob questum proprii corporis, esse ancillæ & non domini; eò quod tacita amasij voluntas sit, quod illud pretium soli ancillæ adquiratur. Et confirmat, quia donatur pro usu corporis, qui domino non subest. Et hic casus etiam ponitur à P. Molina.

Sed hic casus minus urget, quam præcedens; quia etiam Monialis, si questum proprii corporis faceret, sibi & non monasterio lucraretur; & si dicas non usum corporis propter castitatis votum monasterio subijci, non urgebis, primò, quia etiam dominus habet jus cogendi suam ancillam, ut castè vivat; secundò, quia facillimo negotio poterimus materiam mutare. Postulo an audacia in homicidijs, veneficijs, aut quibuscumque alijs sacrilegijs aut facinoribus committendis subsit communitati potius, quam castitas ancillæ domino. & si non, cur non dicemus aut ancillam pretium sui corporis adquirere domino, aut religiosam pecuniam ob veneficium datam sibi & non communitati lucrari: nulla enim est disparitatis ratio? Nec proderit ad intentionem donantis recurrere, quia si ancilla est dominij incapax, non reddetur capax propter amasij voluntatem.

395 QUARTVS CASVS. Molina ponit alium casum; nimirum, si servo aliquis restituat pecuniam in compensationem aut membri mutilati, honoris detracti, aut cujuscumque alterius damni recepti; & tunc

& tunc putat servum adquirere verum illius pretij dominium, quia datur pro re quæ non suberat domino. Vbi etiam distinguit Sanchez servum quæ hominem à servo quæ servo.

Sed hunc casum non esse verum constabit, si materia mutetur. Habueris cum religioso A. aliquam difficultatem; illum graviter percusseris, & manum abstuleris, manum quidem quæ non magis erat monasterij, quam tua tui servi manus; imò fortassis multo minus. Venitur ad concordiam; agitur de satisfactione, offers quingentos patacones, & ille acceptat. Sanè non satisfacisti modò, sed & satisfacisti. At interrogo. Cuinam acquirentur illi quingenti patacones? religiosone, an communitati? Ergò de servo, aut ancillâ pariformiter philosophare.

396 FATEOR posse servum de licentia expressa domini adquirere rerum dominium, sed addo tunc extrahi ex serie totalium servorum ad seriem servorum non-totalium. Imò & posse de licentia implicita; hancque præsumi, quando ipse dominus dat servo aliquid ex causa (puta, in compensationem injuriæ) aut sine causa ex mera liberalitate. Si semel servus habeat alicujus rei permanentis dominium, poterit eam exponere ludendo, mercando, aut alio quocumque modo licito, & lucrari augmentum; quod quia nascitur ex propria pecuniâ & à persona dominij capaci, non domino, sed servo acquiritur.

Omnes istæ resolutiones consonant *Inst. per quas pers. nob. adq. §. Item vob. ibi enim. Vobis acquiritur, quod servi vestri nanciscuntur, sive quid stipulentur, vel ex donatione, vel ex legato, sive ex qualibet alia causa adquirant; servus enim nihil suum habere potest.* Consonant etiam *Legi 7. tit. 21. part. 4. ubi sic, Todas las cosas, que el servo ganare, por qualquier via que las gane, deben de ser de su señor.*

ARTICVLVS VIII.

An Servi possint fugere.

397 Hominem ali obstrictum personaliter fugere non posse certum est, imò nec se occidere posse; unde homo hujusmodi si sibi mortem conscisceret,

committeret unum peccatum, quod præter malitiam homicidij, haberet malitiam injustitiæ, eodem modo (majorem tamen) ac si occideret alienum equum. Lego in Athenæo lib. 6. cap. 7. *Si ex Bæotis, qui Arneam coluerunt, qui non recesserunt in Bæotiam, propter timorem regionis, se ipsos Thessalis in servitutem dederunt, ex stipulatione, ex quâ neque se extra regionem recipient, neque occident, ipsique (Bæoti) regionem illâ (Thessalis) colentes tributa persolvunt.* Ecce servitutis tres distincti & valde notandi characteres. Primò enim servus cedit jure fugiendi, adeoque non potest se extra regionem recipere. Secundò jure se occidendi; veteres enim stabant pro mortis & vitæ libertate: unde sequitur servum, qui se occideret, novam deformitatem criminis hodie committere; quia abstrahendo ab homicidij communi malitiâ, adhuc remaneret in illa actione deformitas alia specialis. Tertiò jure habendi proprium & colendi agros sibi; nam ex vi hujus contractûs non sibi agros colere debebant, sed dominis; ni malis illud illis non referri ad colentes, sed ad persolvunt, quod sine textûs injuriâ posset fieri. Servus igitur post servitutis stipulationem vel contractum, tactum vel expressum, fugere non potest: ante contractum servitutis potest. Maurus enim antequam caperetur liber erat, dominij capax, nulli homini obnoxius; cum capitur, nihil perdit intrinsicum physicum aut morale, sed potentioris virtuti subcumbens, non tanquam amicus, sed tanquam inimicus occidendus cum victori placuerit, detinetur. Salutem à victore postulat, & ut obtineat nihil non offert: ille communes condiciones proponit dum tacitus vitam concedit; censendus enim est juxta leges civiles procedere, severiores vix posset, fortè enim istas Legislatores proscribunt; sed si benigniores proponeret, illæ solæ servum obstringerent. Dubium tamen est, An leges civiles fugam omnem actualibus servis inhibeat.

DICO IGITUR PRIMò, eum qui se vendidit, ni contrarium expressum in contractu sit, fugere non posse. Sic Sotus, Ludovicus Lopez, Iosephus Angles, Navarra, & alij docti Juniores, quos citat & sequitur

Thomas Sanchezius *Concil. moral. lib. 1. cap. 1. dub. 6. num. 1.* Ratio Sanchezij est; quia sua sponte se libertate privavit & facultate fugandi. Sed hac ratio, tametsi fortis videatur, non est specialis hujus casus; nemo enim servus actualis est, præter eum qui se sua sponte libertate privavit & facultate fugandi: ergo nullus servus potest fugere. Negabit consequentiam Sanchezius, putat enim eundem dubij *num. 3. & dub. 7. 8. & 9.* esse aliquos servos qui possint fugere: ergo illa ratio non omnimodo efficax est. Sed eum non posse fugere sic ostendo. Cessit fugiendi iure; ergo teneretur stare contractui: atqui nulla leges civiles concedunt quod stante illa cessione & contractu possit fugere: ergo nullâ ratione potest fugere.

399 DICO SECUNDO, de vendito à patre me omnino dubitare; sed cur dubitare me dicam, cum nulla ratio, sed sola hominum doctissimorum autoritas me ancipitem reddat? Sanchezius *num. 2.* sic inquit. *Certum est eum, qui à patre venditus est, fugere non posse.* & hæreo, cum video viro tanto esse certum, quod mihi, si rationes nudas spectem, improbable. Scio filios patrum esse, & non posse fugere, at quis non videat aliter homines apprehendere fugam filij, aliter fugam servi? illa levis culpa creditur, petulantia & juvenilis actio dicitur; hæc etiam, hæc scelus, quod solet diris & furij, ne dicam crucibus nonnunquam expiari. Aut fallor aut hæc filios vendendi potestas reperta in veterum libris & non examinata defenditur. Potuerunt olim Patres filios in servitutem redigere, quia & occidere poterant lege civili ad clarè & expresse permittenti: hodie non possunt; quia melius docti scimus hominem nec in semetipsum, nec in filios habere mortis & vitæ potestatem. quam si ponas, servituti fundamenta suppones; at si auferas, ut debet, nihil remanet quod favere opposita sententia possit. Petito enim prius, an sit mortalium aliquis qui hæc asserta negaverit, *Nemo potest vendere quod suum non est; Nemo in re sua potest majorem auctoritatem concedere, quam ipse habet.* *Nemo aliam quam habet* & ergo

& hoc erit verum, *Pater nec potest vendere quod suum non est; & si vendat filium, non potest vendere majorem in eum auctoritatem, nec aliam alterius speciei, quam habet.* Subsumo, *Atqui emancipatus & exheredatus filius patris non est: iste igitur vendi non potest.* Subiungo iterum, *Atqui in filium non emancipatum nec exheredatum pater non habet auctoritatem dominicam; sed patriam; atqui filius erga patrem non habet subjectionem servilem, sed filialem: ergo pater potest transferre in alterum (donatione aut venditione) auctoritatem, quam habet, hoc est, patriam; non verò dominicam, hæc enim caret.* ergo filius sit Petro donatus aut venditus ex vi commutationis tenebitur Petro filialiter, & non serviliter. MANET igitur optime fuisse Ethnicos philosophatos, asserentes patrem posse filium in servum vendere; qui enim poterat illum licite occidere, cur non posset etiam servare, & servando servum efficere, & ipsi supponebant ut certum filios à patribus occidi posse. ET MANET summè fuisse delictos antiqui juris correctores, cum præscriptâ patriâ vitæ & mortis auctoritate filios vendendi in servos potestatem, quæ sine altera stare non poterit, reliquerunt. ET MANET TERTIO patrem, stando puro juri naturæ, posse filium vendere aut donare, non solum in extrema necessitate constitutum, sed etiam sine causâ. ET QUARTO filium sic venditum vel datum Petro, subesse Petro ut filium, non ut servum; non posse fugere, at si fugiat puniendum; ut alij filij propter similes petulantias puniuntur, ET TANDÈM hunc contractum esse potius adoptionis speciem, quam servi venditionem aut emptionem. ACCEDIT, quod qui habet usumfructum alicujus fundi ad vitâ, non possit æternam fundi utilitatem vendere: unde cum pater sit usufructuarius dominus, & habeat dominium utile in filium, & hoc ad vitam, posse illud ipsum vendere, non tamen in æternum: adeoq; cum primum pater physicus obierit, illud manurum liberum à Petri, cui venditus est, potestate.

His positis rationem, quæ Sanchezius 400 nos oppetit; examinemus. Certum est, inquit, eum qui à patre venditus fugere non posse.

non posse. Ratio: quia voluntas filij dum sub patriâ est potestate reputatur voluntas patris. Sicut ergo, qui propriâ voluntate se vendidit, fugere nequit; ita, nec potest, quando venditur voluntate paternâ; quia reputatur eadem voluntas. [Citat Navarram, Molinam, & aliquos doctos Recentiores.]

Respondeo distinguendo. Filium venditum in servum fugere non posse; nego, imò puto aliquando debere; non enim potest esse prodigus suæ libertatis; nam venditus à non habente auctoritatem dominicam invalidè venditus esset. Filium verò venditum in filium non posse fugere, subdistinguo: non posse ante mortem naturalis patris concedo, post eam non posse nego. Ad rationem respondeo, voluntatem filij non venire considerandâ (esto sit eadem cum paternâ, aut non sit) sed considerandâ solum esse patris dominicam; nam Paulus, qui usufructuarius fundi est per quatuor annos, nec posset usumfructum decem annorum vendere, & ne quidem unius diei proprietatem; non enim permittitur quis vendere, quod non habet: quâ veritate positâ, supponamus fundum habere voluntatem, an ideo Paulus vendere proprietatè posset? DICO igitur patrem posse filij illa vendere, quæ sibi subsunt, & qualiter sibi subsunt; sive hic voluntate sit privatus aut præditus; hæcque ad quæstionem non referre, potest enim vendi etiam invitus & involuntarius.

DUBIUM INCIDENS.

Circa intelligentiam Instit. De rerum divis. §. Item ea. quæ ab hostibus.

401 DAs ex citato loco hæc verba. *Liberi homines capti in bello justo in servitutem nostram reducuntur, qui tamen, si evaserint, ad suosque reversi fuerint, pristinum statum recipiant.* Et postulas, an intelligenda de servo potentiali, an de actuali? hoc est, an de captivo, antequam donetur vitâ, & servetur, an de illo qui jam servatus est, & actualè servitutem incurrit? Ratio dubitandi est, quia si de nondum servato intelligantur, vera sunt, ipse enim verè & actu liber est, & violentia reductus ad

proximam potentiam incurrendi actualè servitutem; unde cum ad suos redijt, hæc violentia tollitur, & ab illâ potentiali servitute liberatur: at de servo actuali verificari nequeunt; quia si fugeret ad suos, esset fidei publicæ temerator, violator contractus, & furti (se enim rem domini subtraxit) reus. At respondeo dicendo,

PRIMO, *Mancipium, seu servum potentialem licitè fugere posse.* Patet, quia solâ victoris detinetur potentia.

SECUNDO, *si probabiliter existimes se causam justam defendisse, non solum fugere, sed & quemcumque occidere, aut spoliare posse licitè.* Patet; quia ipse inimicus capientium est, & sicut spoliari potuit & occidi potest, ita etiam spoliare & occidere, imò si possit etiam totam civitatem licitè Regi suo traderet, ut Fernandus Niffus anno 1595. qui captus & Hanium (Civitas est quinto à Ferâ & quinto etiam à S. Quintini sita lapide) ductus referente Carneiro Historiæ suæ lib. 11. cap. 3. pag. 151. alios paucos captivos concitavit imò & armavit, palatium invasit, portam fortalitij, quam succursus vocant, intercepit, & Petro Gallico in suppetias venturo liberum introitum expedit.

TERTIO, *servum actualem, hoc est, jam servatum, amicum esse, & sicut nec ladi, ita neque laderè posse, debereque suo domino assistere nec habere aliam fugiendi potestatem, quam leges civiles concedant.* Patet; quia debet stari contractui, & hic omnem fugam illegitimam excludit, legitimam enim, hoc est, quæ sit secundum leges non potest. Leges civiles posse omnem fugæ potestatem præcludere certum est, sed an præcluserint, inquiris. Respondeo utrumque esse probabile. sed mihi magis literæ consonam videri partem affirmativam: quia citatus textus nemini fugiendi ad suos copiam videtur concedere, sed agere de servis potentialibus, quos definit in pristinam libertatem redire, si se ad suos recipiant. Unde Comes de Ferâ à Gallis captus & Trajectum missus licitè fugit, & redux ad nostros liber omnino fuit, & si postea de Statuum licentiâ (Pasaporte dicimus) rediret ad Hollandiam à Gallis recipi non posset. Hanc positionem

positionem ex medullis veritatis desumptam confirmat exponit & illustrat Lex lib. 2. tit. 2. part. 3. & lib. 2. 3. tit. 1. part. 7. ubi dicitur, quod ubi semel quis ad suos revertatur, sit liber, nec postea capere Dominio licet postea redeat. Ceterum intransigentiam prodesse servis actualibus nec aliter acceptatam fuisse servitutis conditionem quam cum fugiendi libertate, docent communiter Iuniores, nempe, Sotus, Menchaca, Iosephus Angles, Salonius, Covarrubias, Bañez, Ludovicus Lopez, Navarra, & alij quos citat & sequitur Thomas Sanchez *Consil. Mor. lib. 1. cap. 1. dub. 6. num. 5.* qui hanc benigniorem sententiam iudicat iocundam & probabilior. Vbi non est audiendus Navarra asserens sic fugiendum, si haves sit, debere lytrum solvere, quia leges quæ ei fugam concedunt, si concedunt, ad lytri solutionem non obligant. vidimus tamen aliquando à secundo captis duplex lytrum extorqueri, sed quo iure, ipsi viderint.

De hinc vivit

De hinc vivit D. V B I V M I I.

An qui promiserit se non esse fugi-
turum, possit fugere.

404 **S**ppbnis Sanchezij sententiam nitentiam quemcumque servum posse licite ad suos remeare. inquis tamen, an peccet si se non fugituro promiserit? Respondet hanc promissionem vel potest esse non acceptatam, vel acceptatam, vel firmam contractu, vel juramento. Quibus positis

405 **R**ubmo, Promissio non acceptata ne humilior quidem obligationem imponit: acceptata humanam imponit, non divinam. Ergo servus tibi servus stabilitatem promittit, & tamen tu non acceptasti (puta, qui eum contemnebas, & putabas satis esse tuis rigoribus obstrictum, nec novis, cædibus indigere) si fugiat, tibi injurius non est, utitur enim jure suo, sicut tu tuo. si autem illam promissionem acceptavisses, si tibi dominus servus fugeret, fidem humanam violaret, fortè mendax esset, non tamen injustus aut injurius, quia promissio etiam acceptata in foro interiori non obligat. At si illa promissio firmata fuisse

set juramento, peccaret quidem servus contra te humanitatis, contra Deum divinitatis, non tamen teneretur redire, aut lytrum mittere, neutrum enim, jurando se non esse fugituro, jurarat. ergo reversus ad suos liber esset. At si dicas illam legem esse præceptivam, non poterit autoritate privatâ cassari aut retrungi, adeoque omnis promissio contra illam, etiam firmata juramento erit invalida. De contractu major videtur latere difficultas. nimirum, An etiam tunc fugere possit. Puto tamen etiam fugere posse, primò si existimemus legem illam, quam hoc Dubio exponimus, præceptivam esse; non enim contra Reipublicæ præcepta possunt dari contractus, qui sint obligatorii: secundò, si contractus extortus & iniustus, essetque talis si violentus, involuntarius, coactus, aut si dominus daret quod aliàs teneretur. Ceterum contractu legitimo & libero, puto, servum obstringi ne fugiat, & hoc sensu intelligendos esse Salonem 2. 2. quæst. 5. & dominio art. 1. Sotum lib. 4. de just. quæst. 2. art. 2. Iosephum Angles in florib. quæst. Theolog. 2. punct. quæst. de domin. difficult. 4. art. 2. fol. 134. 135. Thomam Sanchez *Consil. Mor. lib. 1. cap. 1. dub. 6. num. 6.* qui docent captos bello posse fugere, si contrarium promiserint. Ut autem contractus sit legitimus requiro, ut dominus cedat jure aliquo, quando vult servum etiam suo cedere. Teneret, qui fieret per hæc verba. *Ego habeo jus impediendi ne horis vacantibus pro alijs labores, & si facias puniendi te & lucrum auferendi; tu redeundi ad patriam cum violentiam evadere possis; cedo jure illo meo, & tu cedo hoc tuo.* Et si esset partium concordia, utrumque obstringeret.

D V B I V M I I I.

Circa illud verbum S V O S textus
citati.

406 **I**N loco illo, quem expendimus, dicitur, *si evaserint ad suos, reversi fuerint pristinum statum recipiant.* Et postulo quid sit redire ad suos? An sit solum evadere, an etiam ad patriam reverti?

Respondet primò, servum potentialem seu man-

seu mancipium qualitercumque posse fugere; verè enim liber & captoris inimicus, & non tenetur aut libertatem perdere, aut inimico servire; adeoque posse ita fugere, ut intra hostium ditiones lateat, habitet, aut commoretur: nam contra illum sola violentia militat, quam si subterfugiat, liber est.

407 **S**ecundò me probabilius iudicare servum actuale bello captum non posse fugere. attamen alios etiam probabiliter, & ut ipsis videtur, probabiliter æstimare contrarium, quorum supposita sententia certum est non recuperare libertatem servum, qui intra regionis suæ captivatis limites vagatur; & si capiatur, justè reduci & castigari posse. certum eum esse liberum, cum primò ad suam patriam redierit: probabileq; eum esse liberum, si ad patriam amicorum divertat, quia nomen sui tametsi ad patriam videatur referri, probabiliter ad amicos referri poterit, ita ut non opponatur alienigenæ sed hosti, unde idem sit dicere *Si ad suos reversi fuerint, ac si ad non hostes reversi fuerint.* Vide Thomam Sanchez lib. 1. *Consil. Mor. cap. 1. dub. 7.*

408 **A**ddo tertio etiam servos vernaculos ex matre bello justo captâ natos aut oriundos posse fugere eodem prorsus modo, quo mater illa bello justo capta potuit. Ita Navarra lib. 3. de rest. cap. 1. num. 209. & alij viri docti à Thomâ Sanchez consulti, ut & ipse asserit lib. 1. *Consil. Mor. cap. 1. dub. 8.* Et ratio est, quia partus sequitur ventrem & conditionem matris; ergo si matris conditio erat servitus sub quâ adhuc fugere posset, eandem nativitatis titulo, & non majorem servitutum incurris.

409 **H**enriquez in quâdam epistolâ morali, Angles in florib. 2. p. mat. de dominio. fol. 135. & Ludovicus Lopez 2. part. instr. cap. 3. & alij contrariè subscribentes sententiæ, sic obijciunt. servi vernaculi non habent patriam, ad quam fugiant: atqui solum conceditur libertas servis fugientibus ad patriam: ergo non conceditur ipsis. Confirmant. solum libertas conceditur bello captis, si fugiant; atqui vernaculi bello capti non sunt: igitur nihil illis conceditur.

Et respondeo primi syllogismi utramque præmissam probabiliter negari posse; nam & filius habet etiam patriam matris, & libertas conceditur nò solum fugientibus ad patriam, sed etiam fugientibus ad suos, hoc est, ad non hostes, ut paulò antè vidimus. Ad confirmationis majorem respondeo negando illud solum, conceditur enim libertas & bello captis sceminis & earundem filijs si fugiant, ut ostendi cum meam partem probarem.

410 **A**ddo quarto servo, qui potest fugere, licite fugam persuadere, ni ex illâ fidei aut morum perversio timeatur. Sicque conciliandos puto authores qui asserunt & qui negant; illi enim fugæ honestatem præcisam à periculo videntur respicere, hi pericula annexa, quæ non semper amoveri & radicitus vitari possunt. Vnde ratione istius periculi

411 **A**ddo quinto non semper esse pium concedere servis libertatem, frequentes enim manumissiones urbes furibus & patibula cadaveribus opplent, sed debere considerari circumstantias & mores, & hac consideratione homines prudentes & pios in manumissione dirigi. Ita Th. Sanchez lib. 1. citati cap. 1. dub. 10. Simancas lib. instr. tit. 61. num. 7. & alij.

D V B I V M I V.

De DD. Benedictinis.

412 **E**ffectus & professionis similis, causa diversa. Servum frequentius injustitia & iniquitas (bellum injustum gerentes, aut scelerati homines sententiâ judicum in servitutem rediguntur) Religiosum devotio & virtus constituit; at uterque dominij incapax, obedientiæ obnoxius, & stabilitatem servare in conscientia tenetur; sed legalem. ille qualem Cæsareum Ius præscribit, iste qualem Regula Benedictina. Illud servis, ut vidimus, probabiliter permittit, ut ad suos redeant; hæc, ut ad ignotum monasterium confugiant, demonstrante D. Bernardo *Epist. 67. & 68.* & ego ex ipso in *Comment. in Reg. Benedict. num. 583.* positis legibus hujusmodi dico de Religiosi & servi obligationibus istis debere nos analogicè philosophari, advertendo certiora esse, si eadem de Benedictinis dicantur,

cantur, quia lex Benedictina est certa, & illa quæ servis actualibus, si ad suos reversi fuerint, libertatem indulget, solummodo mens probabilis. Sit igitur

411 **C O N C L U S I O** de Servis I. *Servus potest licite detineri, ne fugiat.* II. *Non potest ita fugere, ut in territorio hostium maneat.* III. *Potest tamen ad exteras regiones non-hostium confugere.* IV. *Si semel eo veniat, liber est.* V. *Licet illi consulere huiusmodi fugam, si non subsit alicujus peccati aut damni gravis, quod licite admittere non possit, periculum.* VI. *Potest dominus sine causa aliquando servum manumittere, non tamen semper.* Omnia sunt certa, ut patet ex dictis.

412 **C O N C L U S I O** PARALLELA de DD. Benedictinis. I. *Benedictinus Religiosus potest licite detineri etiam in vicis, si timeatur fuga, aut transitus ad aliud quodcumque, etiam ignotum, monasterium.* II. *Non potest ita fugere, ut in seculo aut noto monasterio maneat.* III. *Potest tamen ad ignotum monasterium confugere.* IV. *Si semel eo veniat, liber est à stabilitatis promissione facta primæ communitati, potestque stabilitatem secundæ communitati promittere, & frui omnibus juribus & privilegiis, quibus secundæ huiusmodi monasterij religiosi.* V. *Licet igitur ipsi consulere huiusmodi fugam, ni per accidens præpediatur aliquo peccandi novo periculo.* VI. *Potestque communitas etiam sine causa volentem religiosum dimittere, non tamen semper; nam contingit dimissionem sceleratis hominibus occasionem liberius delinquendi parere.*

D V B I V M V.

De omnibus juri alieno subditis.

413 **P**ETITUR I. An ancilla sollicitata à domino, ut periculum illud effugiat, possit fugere? II. An sollicitans dominum, si sentiat se moraliter contineri non posse? III. An quæcumque altera persona cohabitandi alteri necessitudine obstricta, si experiatur proximum peccandi periculum? IV. An Confessarius invitus audiendis foeminarum confessionibus, si experiatur sine peccatis officio non posse satisfacere, teneatque non posse ab officio liberari, possit extorquere dimissiones, aut fugere? V. An etiam Monialium Pater, qui scit non posse sine

conscientiæ facturâ tali officio satisfacere, teneatur acceptare & remanere in ministerio? an possit ad suum monasterium invito Pralato reverti? an si ad Moniales redire cogatur, possit ad aliud monasterium, aut si id non reperiat, ad amicos quoscumque confugere? Hæc omnia conjunxi, quæ videntur ejusdem doctrinæ consequentiâ firmari.

Ad primum Thomas Sanchez lib. 1. 414 cap. 1. dub. 9. respondet his formalibus verbis: [Dico primò, ait, quod talis ancilla potest tuta conscientiâ fugere, & stare ac si esset libera & implorare officium (admittentiam) Episcopi, ut manumittatur; & potest ipse ad hoc compellere, quia dominus abutitur suâ potestate. L. si lenones C. de Episc. audient. L. Finali C. de spectaculis. lib. 10. Sylvester verbo servitus quæst. 50. dict. 7. Angelus ibi. num. 2. Navarrus summ. cap. 16. Hisp. num. 22. Lat. nova 21. 22. dicit quod potest fugere, si putat quod propter suam fragilitatem non potest resistere..... Et quod possit fugere tenet P. Molina tom. 1. de just. tract. 2. disp. 38. fol. 302. & addit non teneri reverti nisi cesset periculum, & dominus paratus sit nullam poenam, nullumque gravamen ob id illi inferre; quia cum justè fugerit, non est digna poena.] Hucusque Thomas Sanchez, & Lessus lib. 2. de just. cap. 5. dub. 5. num. 19. idem sentit & probat ex illo; *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te.* Quibus ego subscribo.

Ad secundum dico benemoratam hominem teneri non solum cavere ne se 415 committat extremo periculo peccandi, sed etiam si involuntarius incideret, debere fugere; quia res lubrica luxuries est, & vincitur non resistendo, sed fugiendo. Jacobus enim Apostolus vitijs omnibus resistere nos jubet, non tamen vult ut fornicationi resistamus, sed ut fugiamus; non enim bene resistitur cum non fugitur. Quid igitur? lasciva ancilla poterit fugere à sancto & innocuo domino? nescio quid dicam; resolvo tamen non teneri manere in periculo proximo peccandi. Et addo ex hac doctrina inferri posse, quid ad reliqua debeat responderi.

ARTI-

ARTICVLVS IX.

Aliquot Dubia dissoluta.

Occurrunt Dubia, quæ ex dictis lucem habent, & receptos inclinantes radios multas alias controversias dilucidant.

Primum.

416 **I**N capite VIII. Evangelicæ Historiæ discipulæ à D. Ioanne legimus; *Qui facit peccatum, servus est peccati.* & inquis, An ea verba metaphoricè debeant intelligi? & si rigorosè, de quo genere servitutis?

Petrus Abailardus ingenii acris ac floridi Grammaticus, Theologica docuit, antequam didicisset, & multa ab omni probabilitate aliena immiscuit. De peccatoris servitute & dæmonis dominio multa effutijt, quæ impugnat acutè & mellissuè Bernardus, & alibi prolixius prosequor. sed contra ipsum orthodoxa veritas stabilienda.

Dico igitur hominem justum habere in hac vitâ libertatem arbitrii à natura, libertatem consilij à gratiâ, & libertatem beneplaciti in potentiâ. Peccatum, primam vulnerat, infirmat, debilitat; secundè possessionem, & tertiæ capacitatem proscrit. Peccato infectus consilij libertate caret, & capacitatem positivâ acquirendi beneplaciti futuram libertatem. Sed hæc omnia curiose expendi in Thesibus, quibus anno M. DC. XLII. Sermonè LXXXII. in Cantica & Millifui Doctoris Theologiam illustravi.

417 Verè Peccati servus dicitur; quia licet liberum sit homini peccatum mortale non incurrere; si incurrat, statum æternæ servitutis incurrit. nam, si sibi relinquatur, egredi non poterit, tamen veli: servus igitur peccati jure dicitur, qui volens nolens debet esse sub lege peccati, quousque Dei misericordiâ & gratiâ liberetur.

Sicut peccare est servitutem miseram incurrere; sic etiam Deo servire, regnare est. Sed cur regnare dicuntur, qui Deo serviunt? propter rationem similem. Qui gratiâ caret, peccati legi subditus gemit, & de culpa in culpam præcepit, nescit

dæmonis suggestioni resistere, & ideo dicitur servire cui obedit: sed qui servit Deo, & ejus legem implet, Rex est, omnibus suis potentijs imperat, & nulli sensui servit.

Vtrumque pulchrè conjunxit Philo Iudæus edito speciali volumine, inscripto, *quod liber sit quicumque virtuti studet, sæpe inculcans peccatores servos, probos liberos esse.*

Secundum.

Neminem naturâ esse servum docemur, & docemus. sed statim obijciuntur verba difficilia Aristotelis ex primi Politicorum tercio. *Statim ex generatione, ait, quadam distincta sunt, alia quidem ad imperandum, alia verò ad parendum. Quorumcumque est opus in corporis usu, & hoc est in eis potissimum, hi sunt naturâ servi, quibus melius est ut imperentur; est enim naturâ servus, qui potest (debet) alterius esse; quapropter alterius est (nimirum, quia sibi non sufficit.)* Infers. Ergo teste Aristotele dominos & servos natura ipsa distinxit.

Petrus Gregorius Tholosanus *Syntagmatis Juris universi lib. XIV. cap. 1. num. 8.* docet dari naturâ servos, hoc tamen nullius domini subijci potestati. Sed quis intelligat talia verborum monstra? An pater naturâ, qui nullius filij pater? An naturâ dominus, qui nullius? minimè. Cur ergo naturâ servus esse poterit, qui nullius servus? Alij cautiùs respondent, se non velle tempus terere in Aristotele exponendo; ipse enim aut nobis consonat, aut non. Si consonat, non est contra nos obijciendus: si non consonat, erravisse censendus est.

Ego autem, tamen veterum ingenium venerer, asserta, si vera, admitto; nego, si falsa. & à quo sint dicta vel indicta non curo. Assero tamen Aristotelem consonare Salomoni Proverb. 11. dicenti, *Qui stultus est, serviet sapienti.* quæ verba, non veniunt intelligenda de vera servitute, sed de subordinatione & obedientiâ debita prudentioribus. & eodem profus modo intelligendus venit Aristoteles, apud quem natura prudentes & imprudentes distinxit; illos condidit dignos imperio, hos tales

hos tales ut vel obedirent, vel perirent. periclitatur enim qui sibi non sufficit, & tamen excutit jugum alterius.

Tertium.

420 **O** Ritur novum dubium ex dictis. Videtur enim ne unum esse hominem qui liber sit, & suarum actionum dominus. Olim Euripides in *Hecuba act. 4.* *φῆσ' ἄρ' ἔστ'.* &c.

*Heu! non est quisquam liber mortalium;
Aut enim pecuniæ servus est, aut fortuna,
Aut multitudo civium & legum sanctio
Verant suo ne quis vivat arbitrio.*

Cui subscripsisse videntur Octavianus & Tiberius qui *Domini* vocare noluerunt [Suetonius in *Octaviano cap. 53.* & in *Tiberio cap. 28.*] & Iustinianus, qui non solum *Domini* arrogantem titulum evitat, sed & se *servum* nominat in *l. 1. de offic. præf. præf. Afric.* & Gregorius IX. in procem. decret. sese *servum servorum* dixit, quem alij omnes Pontifices sequuti sunt. quæ omnia confirmat Ecclesia, cum solum Deum Dominum rerum confitentur.

Respondeo nullam creaturam esse absolute dominam, nullam absolute servam. Omnes virtuti creatrici ancillantur, & Deus est unus universarum dominus. hæc autem servitus omnibus & singulis creaturis naturalis est. Præter hanc datur servitus moralis, quæ peccando incurritur, nam qui peccat, servus peccati efficitur; sed quia sunt diversa peccatorum genera, sic & diversæ servitutes. Alij enim pecunijs serviunt, alij comestationibus, alij ebrietati, alij omnem honestatem & cultum politioris vitæ proscibentes, sese fortunæ subdunt, alij coguntur & servili timore legibus obtemperant coacti. Sed de his omnibus non disputamus in præfenti. Agimus de servitute illâ, quæ humana persona fit hominis, & talis servitus non solum convenit omnibus, sed potius competit paucis.

Quartum.

A Vdis libertatem rem esse pretiosissimam & inestimabilem, *l. libertatis. de regul. jur. §. sed dum libertas, quibus ex caus. man. non lic. l. 1. §. sed cum homo. de ijs qui dejec. in P.* & nihil servitute infelicius, Cicero *Philipp. 2.* Seneca *Epist. 52.* & Poëta

Non bene pro toto libertas venditur auro.
Vnde collectis varijs diversorum judicijs subdubitare incipis, An vita sit ignobilior libertate? An possit quispiam malle mori, quàm in servitute redigi? An possit calamitatem instantem prævenire sese interimendo?

Multi sunt, qui sibi mortem conscivere, ne servitutem incurrerent. Uticenis Cato Dionæ *Cass. lib. 4. Hist. Romana* asserente, ne cogoretur subesse arbitrio Cæsaris, se ipsum interfecit. Aliquibus postulantes ne introducerentur in triumpho responsum, *Votum in dextera vestra est*; quasi imprudenter peterent, qui poterant non introduci, modo vitam contemnerent. Vnde Strabo *lib. 15. Geogr.* nullum in vitæ servitutem incurrere persuadet dicens, eum, qui voluptatem, dolorem, vitam, mortem contemnit, servitutem non pati. Et Iudæus Philo *Jam citatus, contemptorem mortis servum esse non posse.*

Statuenda tamen est primaria veritas, quæ asserit, nemini licere sibi mortem infligere, nec contrarium veterum exemplis probari. Erravit enim Cato se interimens, & ubi fortis videri voluit, convincitur fuisse pusillanimitis. Maluit propria crudelitati subiacere, quàm Cæsaris benignitati: ergo venari laudem voluit, quod sibi fuerit peior quàm inimicus ille fuisset, quem extinguere desiderabat. Triumphalibus captivis nonnunquam mors sua, imò & persuasa legitur; nunquam tamen hujusmodi actiones laudantur.

Sed hæc quæstione, utpote clara & manifesta, prætermittam, nova excitatur difficultas. Inquiris, An tanti faciendæ libertas, ut possis ad ultimum anhelitum tuam libertatem tueri, tametsi evidenter cognoscas

cognoscas te ab hostibus supprimendum & occidendum esse? Hujus novæ controversiæ solutio proderit paccandis generosissimorum conscientijs, qui scrupulis imprudentibus acti mori formidant, cum gloriosius & jucundius possent.

Respondeo primò inter puros hostes (sic illos nomino, qui nullo pacto aut concordia obstringuntur) neminem teneri concedere salutem petenti, neminem teneri postulare. Primum est certum apud omnes; & secundum deducitur à primo. Quia illa tua petitio pusillanimitis, vel impetrabit necessariò vitam, vel probabiliter, vel dubiè. Non quidem necessariò, quia alter concedi vitam petitam non tenetur: ergò probabiliter, ut plurimum. ergò illa petitio probabiliter erit inutilis: atqui nemo tenetur actionem probabiliter-inutilem elicere: ergò. Si ad dubium recurras, clarior erit libertas. quia dubia in ratione levi vel nullâ fundantur, adeoque non sunt regulæ morum. cumque miles non iverit ad conflictum ut salutem peteret, quamdiu non sit evidens se occidendum si non petat, & evidens se servandum si petat, viriliter pugnare potest.

Sed quid, si evidens sit occisum iri; puta, si unus in acie hostili manserit, & offerant inimici salutem? Adhuc, si potest pugnando suæ prodesse Reipublicæ non cedere inimico potest. Profunt graviter, qui occidunt plures aut meliores; non tamen qui pauciores aut ignobiliores; imò nec illi, qui numero & qualitate aequali, non enim prudentes sunt, qui impendunt media aequalia fini, hæc enim semper ignobiliora debent esse, ille multò nobilior. Consultò illud multò addidi, non enim leve lucrum impensis notabilibus quæritur.

Sed quid tandem, si ad tales miseras redactus sit, ut non possit servire & prodesse Reipublicæ, puta si ense instructus à centum septus mosquetarijs debeat necessariò occidi antequam vel unum impetere possit: Respondeo supponi casum vix possibilem; vidimus enim generosam unius hominis præcipationem victorias gloriosas peperisse. Quoties nostri milites contra omnem spem victores evaserint,

scimus qui vidimus, scient peregrini qui legent. Sæpe amici; ne amicus pereat, accurrunt & fugant hostes; sæpe pudore suffusi milites profugi redeunt & novis animis inimicos impugnant. In casu proposito, An miles à suis desertus, septus ab inimicis teneatur arma sua submittere, & se subdere hostili clementiæ promittenti salutem, non resolvo, timidus enim sum, ut de eorum audaciâ generosâ disputem. resolvam in Militari Theogiâ quam paro; sed interim has rationes tibi considerandas obijcio.

Quintum.

C Vm miserrimam servorum conditionem consideras, dubitas, An servitus sit contra naturam? Responder affirmativè Florentinus I. C. in *l. libertas. 4. §. servitus. de stat. hom. in P. l. 1. tit. 5.* & Iustinianus in *§. 1. de jure pers. libr. 1. inst. lib. 3.* apud quos servitus definitur, *Constitutio juris gentium, quæ quæ dominio alieno contra naturam subijcitur.* quam admittit Petrus Greg. Tholos. *cap. 2. lib. 14.* jam citati, advertentes illud verbum *constitutio* passivè esse sumendum, ita ut idem ac *constitutum* sit.

Sed nihil in-tota definitione, quod placeat. Primò quia servitus non est constitutum vel statutum juris, nec statuta jure; quia & servi essent, etiam si gentium jura non essent. imò & etiam nunc jus gentium distinctum à Decalogo nõ datur. Secundò (& hoc est, quod specialiter inquiris) displicet illud *contra naturam*; nam contra jus naturæ nulli juri humano potestas à prudentibus universis conceditur. Si servitus juri naturali contraria, illicita; si illicita, servi tutâ conscientiam retineri non possent; quod necessariò infertur, & tamen ab ipsis non admittitur.

Vt igitur quæstionem intelligas, adnotato, à natura aliqua concedi, alia præcipi, alia interdici. Operabitur contra naturæ jus, qui vel faciat quæ illa interdicit, vel omittat quæ præcipit: qui autem omittit, quæ nec præcipit nec interdicit, non est censendus contra naturam operari. Libertatem natura non inhibet, non præcipit, sed permittit. Ergò servitus non est contra, nec secundum, sed

præter naturam introducta.

429 Sunt qui doceant Carthusianos posse, sunt qui & debere abstinere à carnibus, etsi necessaria ad vitæ conservationem credantur; majoris enim, ut aiunt, haberi debet perfectio regularis, quam vitæ. Sunt qui doceant fœminam verendis laborantem, non teneri se committere oculis Medici, licet sit aliàs moritura; quia majoris debet honestatem facere, quam vitam. Et quod mirabile est, sunt qui docent neminem teneri quærere Medicum excellentissimum, nec pretiosissimis uti pharmacis, non enim tanti faciendæ salus est, ut per extraordinaria media adquiri & conservari debeat. Et quod adhuc mirabilius, nonnulli conservandæ vitæ legem adhuc benigniorem existimant, & dicunt neminem teneri audire Medicum, neminem uti pharmacis & exemplis Virorum sanctissimorum probant. Atqui miserabilius est matronam esse captivam quam deregere verenda Medico. durius militi strenuo arma submittere quam divitias universas, quas posset in Medicos & pharmaca profundere, perdere: ergò. Hanc ex una parte ratione, & ex alia Reipublicæ jacturam examina; & sciemus qualiter in individuo philosophari debeamus.

Sextum.

430 **I**nquiris, An possit se aliquis in mancipium aut in servum tradere? Respondeo stando vocum *Mancipium* & *servus* distinctioni, aliter de mancipatu, aliter de servitute philosophandum esse. Qui jus vitæ & mortis homini in semetipsum, & in filios concesserunt, tenerentur doctrinæ consequentiâ concedere eum posse non solum se in servum dederit, sed in mancipium. at Christiani doctores jus vitæ & mortis tam in semetipsum, quam in filios, homini cuicumque negamus, ideoque inter mancipium & servum distinguimus, & dicimus *Primo*, neminem posse se alteri in mancipium tradere: *Secundo*, posse in servum, si causæ rationabiles suppetant.

Primum probatur; Quia nemo potest concedere alteri, quod non habet; atqui nemo habet jus occidendi seipsum: ergò

nemo potest tale jus alteri concedere. ergò nec se in mancipium tradere. Patet, quia mancipium dicitur homo, qui occidi & non occidi potest.

Secundum ostenditur, quia libertas inter bona fortunæ solet numerari, & homo illa potest liberaliter impendere & dare: liberaliter quidem non prodigè, quia sicut donationes prodigæ invalidæ sunt, sic & invalidè sese in servum traderet, si prodigè.

Sed ais. Libertas non pertinet ad fortunæ bona, sed ad vitam politicam, servus enim *civiliter nullus* est; atqui non potest se occidere physicè, qui *physicè nullus* est; ergo nec poterit, qui est *nullus-moraliter*. *Respondeo* consequentiam esse legitimam, si agatur de occisione validâ; malam, si de licitâ. Adde hominem verè validè & realiter posse se occidere, tametsi licitè non possit. Subjungo autem majorem esse absolutè falsam; quia cum iura servum *nullum* esse dicunt, non loquuntur absolute, sed secundum quid, & in uno genere; at quia mors physica existentiam totius hominis tollit, sic & moralis mors non est, quæ non aufert totam moralem. Servus *nullus* est in genere dominandi, habendi, possidendi, non verò in genere serviendi, postulandi alimenta, imò & agendi contra suum dominum juridicè si vel illa neget, vel crudeliter tractet: mortuus igitur civiliter non est. qui adhuc actiones civiles operatur. Consultò tuæ instantiæ consequentiam distinxisti; hæc enim est bona consequentia, *Homo validè & verè potest se privare vitâ physicâ*; ergo *validè potest se privare morali*, nam cum de moralibus eodem prorsus modo philosophemur quo de physicis, ubi physica impossibilia sunt physicè, ibi moralia sunt impossibilia moraliter. Hæc autem consequentia est mala, *Homo non potest licitè se privare vitâ naturali*; ergo *nec licitè morali*. ratio est; quia actionem moralem esse licitam non dependet ab analogia Systematis physici & moralis, sed à lege interdicens, quæ potest interdicare homicidium physicum, & non interdicare morale. Quamobrem tametsi servi mortui civiliter dicerentur, non esset statim condemnanda servitus voluntaria.

Hinc

432 Hinc veniunt Bœoti judicandi. Nam *lib. 6. cap. 7. Athenæus* *De Bœotis*, qui *Arneam* coluerunt, qui non recesserunt in *Bœotiam*, propter amorem regionis se ipsos *Thessalis* in servitutem dederunt, ex stipulatione, ex qua neque se extra regionem recipient, neque occident: ipsique regionem illis (hoc est, *Thessalis*) colentes tributa persolvunt. Et verbis Historiographi consideratis, dico primò Bœotos se *Thessalis*, non quidem donasse, sed vendidisse, colligo ex illis verbis, propter amorem regionis. Secundò hanc servitutem esse benignam & simillimam vasallitio, vel fortè purum vasallitium: ex stipulatione enim tenebantur tria præstare, quæ etiam vasalli & famuli pro tempore præstare debent. conductor enim hereditatis, nec potest se occidere, nec fugere, nec tributum negare. & hoc etiam admittit mortis & vitæ libertate; quia licet aliqui Ethnici hominem se occidere posse deliraverint, nullus unquam asseruit hominem alteri obnoxium, esse suæ vitæ dominum.

433 Sed si admittamus Bœotos libertatem vendentes veram servitutem incurrisse, adhuc videtur contractus ille rationabilis & ab omni prodigalitate suspicione securus. viri enim pauperes, qui vivere aliàs non poterant, regionem pretio libertatis emerunt, & voluerunt *Thessalis* subdi, ut subderent sibi regionem. Sed & hoc patitur difficultatem, quam inferius expendam, nam & voluntaria servitus apud multas nationes reperitur. De *Ægyptijs* enim habemus apud Moysen *Genes. 47.* quod Ioseph Summo Regis Vicario omnem prius pecuniam, omnia deinceps pecora, & tandem semetipsum vendiderint. num. 14. *Omniem pecuniam (Ioseph) congregavit pro venditione frumenti & inculit eam in ararium Regis. Cumque defecisset emporibus pretium, venit cuncta Ægyptus ad Ioseph dicens: Da nobis panes: quare morimur coram te deficiente pecuniâ? Quibus ille respondit: Adducite pecora vestra, & dabo vobis pro eis cibos, si pretium non habetis. Quæ cum adduxissent dedit eis alimenta pro (hoc est, acceptis in pretium) equis, & ovibus & bobus & asinis: sustentavit eos illo anno pro commutatione pecorum. Venerunt quoque anno secundo, & dixerunt*

*ei: Non celabimus Dominum nostrum, quod deficiente pecuniâ pecora simul defecerunt; nec clam te est, quod absque corporibus & terrâ nihil habeamus. Cur ergò moriemur te vidente? & nos & terra nostra tui erimus, eme nos in servitutem regiam & præbe semina ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem. Emit igitur Ioseph omnem terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis, subiecitq; eam Pharaoni, & cunctos populos ejus à novissimis terminis Ægypti usque ad extremos fines ejus, præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis: quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas. Ecce vitam libertati præponunt, & ne illam perdant hanc expendunt. Sed & Galli ante mille annos pretio libertatis vitæ securitatem & tranquillitatem emebant. Libro enim sexto de bello Gallico Iulius Cæsar, *Plebs penè servorum habetur loco, quæ per se nihil audeat, & nulli adhibetur consilio. Plerique cum aut ære alieno aut magnitudine tributorum, aut injuriâ potentiorum premuntur, sese in servitutem dicant nobilibus: in hos eadem omnia sunt jura, quæ dominis in servos. Sed & nunc asserente Triglantio apud Sinenses maximus est servorum numerus, multi enim sese insufficientes victui quærendo existimantes, voluntariam servitutem ineunt, & ut securius victitent, suos omnes posteros miseros reddunt.**

Septimum.

434 **M**ancipij & servi distinctionem, quam nonnulli confundunt, examinasti, & Servi & Famuli distinctionem inquiris. superius servitii characteres expendi, & nunc cum characteribus famulitij componam, censeo enim famulandi obligationem esse inadæquatam servitutem. Primò igitur, si vitam respicias, neuter occidi potest. Secundò utriusque victus & amictus debetur. diversimodè tamen famulo enim debetur honestus, servo præcisè necessarius. sunt servi, quibus vix panni dantur, quibus auditatem protegant; vix panis & aqua, ut famem & sitim extinguant; & nihilominus eorum domini parci audiunt, non vero iniqui: at famulis

mulis salarium & ratio conceditur pacto & partium concordia præmissis. *Tertio* famulus servit ad tempus, servus verò in perpetuum. sed & in hoc reperio mores & leges famulos humiliantes. Apud Moscovitas enim Sigismundo Libero Barrone in *rerum Moscovit. comment.* asserente, nemo famulus potest à Domino invito recedere, & si recesserit à nullo admitti potest. sed & apud Belgas mos est regiâ constitutione firmatus & legi servus. 12. *de agric. & cens. lib. 11. C. tit. 47.* consonans, statuens ne famulum, qui ali hero servierit, recipias, sine prioris domini commendatione. *Quarto* filij famuli non sunt famuli, nec illis herus debet dare alimenta; & servæ filij servi sunt, & eis dominus debet omnia necessaria procurare. *Quinto* servus domini incapax est, & quidquid acquirit, acquirit proprio domino: at famulus domini est capax & sibi ipsi, quod lucratur, acquirit.

Octavum.

435 **V**erba ultima dubij præcedentis pendens subdubitas, An servus capax sit domini domino permittente? Et absolutè nego, quidquid alij clament, nec exemplis agendum, sed rationibus. illa enim esse capax usus probant, quod non negamus, non tamen dominium proprietatis ostendunt; nam sicut religiosi habent rerum usum, & tamen, nequidem Prælato permittente, queunt habere proprietatem; sic etiam dominus aliquarum rerum usum concedere potest servo totali, proprietatem non potest. Nota illud *totali*, quia servum totalem à partiali distinguimus. Arguo sic. servi persona est domini; ergo omnia quæ hæc persona adquisierit, erunt etiam domini: ergo nunquam servi.

Dices posse Petrum concedere Antonio suo servo talium pecuniarum directam proprietatem: & ego respondeo distinguendo; potest talem proprietatem permittere eum à servi totalis conditione liberando, concedo; eum in servi totalis statu retinendo, nego.

436 Meam sententiam persuadeo. Nequit Petrus Antonio suo totali-servo concedere proprietatis dominium, quin con-

cedat omnia prærequisita sine quibus hujusmodi dominium stare non potest. at qui unum ex prærequisitis est quod Antonius sit civiliter, dominium enim aliquid civile est, & Non-enti civili competere non potest. ergo Antonio, quod sit persona & membrum morale hujus Reipublicæ conceditur cum dominium. Ergo & conceditur quod non sit servus. patet, quia hæc omnia componi cum servi conditione non possunt.

Nonum.

437 **M**ajor est difficultas de servo inadæquato. An talis detur? An saltem iste possit habere dominium ex licentia domini? Respondeo servum totalem, nihil habere, quod non sit domini, servum autem partialem & inadæquatum (eum inquam, qui partim liber, & partim servus est) habere nonnihil libertatis, & posse ex domini liberalitate non solum habere majorem, sed & totam Mancipij vita, persona, & actiones externæ domini sunt, ad eum enim spectant tamen indirectè. Cum privilegium servitutis concessit, vitam emancipavit. Sicut igitur Dominus cessit jure in vitam, retento jure in personam & in operationes; cur non poterit etiam cedere jure in personam, jure in operationes retento? cur non poterit servo concedi, quod habeat propriam personam, cujus nomine talem aut talem rem possideat, talem non: hoc est, ut habeat propriam personam ad talem effectum, & ad alios qualescumque non habeat? nec inde sequitur illum esse totaliter liberum; quia totalis servus dicitur homo, qui totus est alterius, hoc est, cujus persona est alterius non quidem in ordine ad existentiam, sed in ordine ad operationem; ille inquam, qui operatur alteri, sive nomine alterius: Ingenuus verò, qui totus est suus, qui nomine proprio vivit & operatur. Et in hoc servi à famulis distant, quod isti liberè serviant, illi verò necessariò famulentur. Cum autem actiones humane multæ sint, multæ erunt subditæ domino servi, qui poterit cedere suo jure in aliquibus libertatem concedere, in alijs auctoritatem servare.

Decimum.

Decimum.

438 **L**egis in libris Cornelij Taciti de Germanorum moribus hanc periodum; *Aleam etenim sobrii inter seria exercent tantà lucrandi perdendive temeritate, ut eum omnia defecerunt, extremo ac novissimo jactu de libertate ac de corpore contendant, victusque voluntariam servitutem adiit, quamvis junior, quamvis robustior, adligari se ac venire patitur. Ea est in re pravâ pernicacia (fidem ipsi vocant) &c.* Et inquiris, An possit libertas aleam perdit?

Respondeo stando juri naturæ posse; quia omnis prodiga donatio jure naturæ est valida, invalida jure positivo. Qui enim sine justâ causâ occidit physicè validè occidit; non verò qui sine causâ justâ occidit moraliter, validè occidit moraliter, quia cum moralia dependeant à pacto & legibus, condemnari solent nullitate plurimæ actiones imprudentes. Sanè ludendo levem aliquam partem pecuniarum amittere laudabile est; gravem aliquam quantitatem perdere, imprudens & vituperabile, à jure tamen toleratum: at verò aleam contendere de libertate prohibitum apud nationes universas.

Vndecimum.

439 **C**um videas tot servorum millia ex Indijs in Hispanias adduci, subdubitas, An omnes illi in jura, an jure legitimo servi dicantur; & quia multis modis capiuntur multa etiam dubia occurrerent, si & tempus proponendis, & otium solvendi suppeteret. Inquiris nihilominus, An liceat Europæis Indos, alias ab antropophagis comedendos, aut etiam sacrificandos emere & in servitutem redigere? Capti enim ab ipsis in macello pecorum instar dilaniantur, exponuntur, venduntur, & nonnunquam idolis suis sacrificantur.

Respondeo posse inter Indos dari bella justa, & ideo tali bello captos posse occidi, ac à fortiori vendi: unde si Europæus victos milites enteret, posset eos pocul dubio in servos conservare.

Adido & posse emi etiam injustè captos, & alias occidendos. imò & aliquando debere, quia innocentes sunt & in extremâ

necessitate constituti, & ratio ipsamet dicitur favendum esse innocenti in extremam necessitatem redacto.

Sed dices, Posse illos quidem, imò & 440 fortè debere emi, non tamen in servitutem redigi; quia in extremâ necessitate omnia sunt communia, & si tua pecunia illi communis est, quo jure illum tibi subijcere poteris?

Respondeo neminem laborare extremâ necessitate; qui habet pretium, quo illa emat, quæ creduntur præcisè necessaria. Unde diviti carenti panibus, non teneris illos dare, sed vel dare vel vendere: ergo illi Indo ad ultimum vitæ discrimen redacto, non teneris gratis salutem & tranquillitatem procurare sed debet ille saltem te reddere indemnem, & potest, servitutis pretio tibi satisfaciendo; non enim dicendus est nihil habere, qui libertatem adhuc habet. Vide Sanchez *Consistorum Moral. lib. 1. cap. 1. dubio 1.* ubi examinat, An sit licita negotiatio, qua Lusitani emunt & vendunt nigros tanquam servos? & an etiam quicumque privatus peccet, si aliquem ex ipsis emat?

ARTICULVS X.

De recuperandâ libertate.

441 **S**tando juri naturæ solâ Domini liberalitate libertas pristina recuperatur: sed dantur jura humana, quæ etiam invito & contradicente Domino servus libertatem concedunt.

Omitto manumissionis solennitates, quas multi Iurisperiti expendunt, quia apud diversas gentes variæ, & hic rerum naturas exquirimus, sed obiter notamus servandas esse prout provinciales mores & leges decernunt. Et dico

442 **P**rimò morte Domini hæredes relinquentis non recuperari libertatem; ratio est quia servus est bonorum pars & cum alijs bonis transire debet ad hæredes. Sed quid si Dominus obierit ab intestato, & careat hærede? standum est legitimo patriæ, & illius erit servus, cujus reliqua bona. Quod si purum naturæ jus respiciamus, bona taliter derelicta essent primò occupantis, & servus merâ Domini morte desineret alterius esse, non secus ac reliqua bona. Et cum illa maxime occupari

cupari possint, ille non posset: homo enim qui nullius est, liber est; & qui liber, extra bellum capi non potest.

443 Secundo, si Respublica libertatem promittat servis, qui talem egregiam actionem fecerint; qui illam feceris, liber eris vel invito tuo Domino. Verbi causâ, statutum est l. 1. quibus ex caus. ser. pro lib. pram. acc. C. ut servus, qui domini mortem vindicaverit, liber sit. & l. 2. eod. tit. ut & liber sit, qui adulterinam monetam detulerit, & l. 3. eod. tit. qui & raptorem virginis detegerit, & leg. 4. qui militem transfugam aut militiâ desertorem. in regionibus igitur, quæ hujusmodi legibus obnoxia sunt, cum servus emitur aut venditur, subintelligitur contractus civilis juxta leges publicas, emique & vendi servum recuperaturum libertatem, si generoso spiritu præditus actionem libertate dignam præstiterit.

444 Tertio, si condemnet dominorum crimina Respublica servorum amissione. Hanc legem esse justam, ostenditur; quia non solum præmia strenuè gerendis, sed & supplicia criminibus publicâ auctoritate imponenda. Potest igitur tantâ aut tantâ pecuniâ summâ vel amissione talis rei scelestos homines Respublica damnare; qui si servis abutendo deliquerint, justissimè servis privabuntur. Servum prostituens ex vi Pandectarum l. 2. de his, qui sunt sui vel alien. jur. tenebatur eum vendere, quod jure civili novo. l. si leones. C. de Episc. aud. manumittere. Ancilla empta sub onere, quod non possit profiteri, libera fit, si prostituatur leg. 1. si mancip. ita veni. &c.

DUBIUM INCIDENS.

445 Inquiritur, An postliminiū donet servos profugos pristinâ libertate? Respondeo jurisconsultos hæcere, & jura esse valde dubia & perplexa; alia asserere, alia negare; adeoque ingeniosè tametsi specie repugnantia, à viris doctissimis componi. Concedit libertatem lus servis, qui evadunt manus hostium, l. 2. & fin. de capt. P. l. cum non redempt. & l. cum & postlimini. Cod. eod. leg. adeo quidem de acquir. rer. domin. l. postlimini. l. postliminiū est jus, de capt. & postlim. rever. in P.

negat transfugis, l. postlimini. §. transfuga. §. statu liber de captivis Quis porro transfuga & emansor in l. 3. de re milit. in P. dicitur. Nos verò claritati studentes rei naturam examinabimus, & quid leges hac in parte possint, aut non possint aperiemus.

Cum hostis infidelis vincitur & manucapitur, mancipium est; occidi & non occidi potest; victoris arbitrio subest, penes quem est obsoleta vitæ & mortis potestas. potest tamen tutâ conscientiâ fugere, non enim incurrit obligationem remanendi. Quid si manu-captor cum manu-capto paciscatur his verbis, Ego quidem habeo jus te occidendi, tu evadendi si possis. ergo cedas jure evadendi, & vicissim cedam jure vitæ & necis quod in te habeo. Volo scire, An ex vi hujus contractus servatus & vitæ securitate donatus possit fugere? Anno 1635 prope Namurcum adverso Marte pugnantes multi nobilissimi Galli ceciderunt, multi sunt capti. Inter alios intercipiebatur Comes de Fera, Comitissæ de Venavente filius, & Antverpiensium Gubernator, & majoris securitatis gratiâ mittebatur Trajectum. Rogatus ibi qualiter vellet custodiri, verbo vel milite, hoc est, an vellet habere militarem custodiam, an promittere se evasurum non esse; respondit prudentissimè, Viros ingenuos strictius verbis obligari quam vinculis; & injustum videri, quod sese ipse tenaciùs captivaret, quàm hostis posset. Et meritò; judicabat enim vir prudens carcerum vincula dissolvi posse, pacti obligationem non posse; post paucos dies evasit, qui non potuisset fugere, si jus fugiendi à naturâ concessum, cum commoditate carenti custodibus inconsideratè commutasset. stat igitur, quòd legitime captus, non possit fugere, si cesserit jure evadendi; & à fortiori, si illud vendiderit, ut emeret vitæ securitatem.

Hæc dicta sumto stando juri purè naturali; quod si talis contractus humanâ lege limitetur; standum est publicæ limitationi, contractus enim politici non sunt præsumendi exleges, nec schismatici, ac propterea nec invalidi (essent enim tales, si contra jura positiva) quamdiu possint exponi, & ad legum tenorem & speciem

ciem reduci. leges autem concedere etiam servatis, ut si evadant liberi sint, probabile est, juxta ea que num. 503. notavimus.

Dubium alterum.

448 Sed quia recuperatio libertatis præcipuè à manu-missione dependet, inquiris, An semper sit liberum Domino servum quemcumque manu-mittere? Respondeo distinde, quia sunt nonnulli casus, qui postulant magnam attentionem. Dico igitur

PRIMO. Qui emerit mancipium sub onere quòd non possit illud manu-mittere, ex vi huius emptionis non potest illud manu-mittere: Non aliter, si emerit sub onere, quòd decem annorum spacio non possit manumittere, hoc decurrente tempore manumittere non poterit, decurso poterit. Sed hic observandum est, non posse intelligi dominium plenum & integrum transire ad emptorem & in venditore remanere; quamobrem illud quod in venditore remanet, venditum non est; ergo ex vi huius contractus non acquirit emptor plenum jus in servum, nec plenum dominium, sed inadæquatum; adeoq; dicendus est prior dominus retinere sibi dominium proprietatis & vendere solummodò dominium utile. Positâ hac doctrinâ, occurrit contractus is examinandus.

Egò Titius mancipium meum Anselmum Friderico vendidi & vendo pretio centum aureorum, omnè jus & potestatem ipsi cedo, & eum plenum dominum constituo, volo tamen quòd manu-missile non sit.

449 Et existimo his verbis contradictionem involvi. Anselmus enim potentiam passivam habet ut manu-mittatur, capax enim est manu-missionis privilegii, si aliunde non obsit: ergo Titius non potuit Anselmum hac passivâ capacitate privare. Ergo debuit voluisse priuare Fridericum activâ manu-mittendi auctoritate. Si igitur eum Fridericus manumittere nequit, non habet omnè jus & omnem auctoritatem in Anselmum, caret enim manumittendi jure, quod habebat Titius. Præterea. Si Fridericus non potest Anselmum manu mittere, quis poterit?

Titius solus, an Titius cum Friderico alterutrum dicatur, eliditur illis verbis, omne jus cedo. non enim cedit omne jus qui retinet aliquod jus. ADDO tamen, hunc posse contractû sustineri, si illa vox omne, non intelligatur universaliter, sed cum limitatione ex ultimis verbis subortâ: sed si hoc modo exponatur, venditio plena non est, venditor enim jus, quod in mancipium habebat, dividit, & partem vendit sibi reservatâ comparte.

SECUNDO. Olim moribundis licuit omnes servos, si vellent, manumittere. Sed quia Respublica fordidis hominibus scaturiebat, hæc potestas lege Furiâ vel Furiâ Caniniâ limitata; sed & limitatio abrogata successu temporis legibus novis.

TERCIO. Dominus tenetur alere servum vel manu-mittere. unde servus æger à domino desertus, ille inquam cui dominus non procurat necessaria ad vitam sustentandam, jure Codicis libertatè cõsequitur, ne patronatûs quidè jure domino reservato. l. uni §. sed scimus. de Lari. lib. toll. C. §. si verò ab initio. & §. ne multò potius. de nuptijs collat. 4. l. fin. §. his videlicet. de bon. lib. C. l. fin. pro derelict. in P.

Sed si libertatem consequi nolit, quid juris? Respondeo, hoc libertatis privilegiū quo ægrotus ille donatur pro Republicæ bono & contra militare. Propugnat bonum publicum, cum punit inclementem dominū servo, qui utilis futurus est; impugnat verò Rempublicam, quia illam gravat hujus pauperis ægroti curâ; quæ bono publico ita nociva est, ut Publio Furio Camillo, & C. Caninio Consulibus lege publicâ, à Legislatorum nominibus Furiâ-Caniniâ dictâ, caveretur, ne multi servi manu-mitterentur, nam qui à dominis non alebantur, non nisi expensis publicis ali debebant. Quod si servus morbo laboret incurabili; nimirum, senectute, podagrâ, morbo fontico, longo, delirio, &c. non punitur domini inclementis austeritas, sed sola Respublica gravatur. Sentio igitur in tali casu non posse dimitti servum invitum, tunc enim hæc munu-missio esset contra Rempublicam, ut supponimus; militaret etiam contra manu-missum, quia nolenti & repugnanti non fit favor: & uni & soli domino

domino, qui puniendus propter duritiam & inclementiam a jure decernitur, prodesset.

463 Sed quid, si servus ægrotus velit manumitti, & habeat solamen in hoc quod liber moriatur? videntur leges ejus voluntati adnuere, etiam cum incommodo publico. tanta enim Reipublicæ benignitas, ut malit hujusmodi ægrotos habere solamen, licet ære publico (puta elemosynarum aut contributionum) nutriri & curari debeant, quam eos illo solamine careere, licet ipsa libera ab expensis permaneat.

Dubium tertium.

464 **I**nquiris, An Christianus possit esse servus Iudæi? Ratio dubitandi est: quia Petrus Gregorius Tholosanus *Synagmatis Iuris universi lib. 14. cap. 6. n. 10.* negat, & probat *ex c. 2. de Iudeis. c. mancipia. 54. dist. 1. unic. ne Christi manc. Iudæ. hab.* negat, & videtur satis plausibilia testimonia adlegare; & tamen Dicastillus & alii Iuniores affirmant.

Respondeo non esse contra jus naturæ quod infideles servos veros & legitimos habeant. Adde posse Principem vel Republicam cavere ne Iudæi sibi subditi servos habeant, puta, si Pontifex, vel etiam Imperator, imò & Magnus-Turca qui Iudæos in Urbibus permittunt, servos Christianos Iudæis servire prohiberent. subjungo non posse Principes Christianos interdiceret Iudæis habitantibus Constantinopoli, ne servos baptizatos habeant, sicut nec summus Persarum Sophius, nec Tartarorum Chamus, nec Sultanus Turcarum, ne Romæ, aut Amstelodami. Sed adnoto hæc omnia cessare frequentissime ratione periculi spiritualis; lege enim naturali non solum conceditur, sed & fuga præcipitur, cum instat proximum periculum peccandi; unde sit universalis Thesis, Quicumque tenetur fugere locum aut personam, in quo, apud quam est in periculo proximo peccandi, sive filius familias sit, sive famulus, sive religiosus, sive servus, sive mancipium. Ita Antoninus 3. part. tit. 3. cap. 6. §. 7. Gabriel in 4. dist. 15. quæst. 3. art. 2. dub. 3. Molina disp. 38. quos citat & sequitur Dicastillus lib. 2. tract. 1. disp. 1. dub. 11. num. 148.

ARTICVLVS XI.

De perditione Dominij in mancipia & servos.

Primò. dominus perdit dominium 465 indirectum mancipij, cum primum istud ad suos remeat. *Indirectum* consultò dixi; quia, ut ostendi superius, nemo dominium in mancipia directum habet, nemo proprietarium quale in servos. est enim dominium in mancipia ex innato, quod singulis in se ipsos concedimus, indirectè resultans.

Probatnr nostra Resolutio. Cum primum ad suos mancipium redierit, non est verum dicere, *Iste vir est mancipium*: ergo nec erit verum dicere, *In hunc virum habet dominium, qui illum interceptit.* Exempli gratiâ. Hispanus à Mauris interceptus & Argelliam deductus, si Maurorum bellum justum sit, mancipium est. si fugiat & iterum adveniat Hispaniam, liber est. Et sic intelligenda sunt omnia jura, quæ agunt de postliminio.

Sed quid, si post fugam ipsius Hispania & Mauritania stabiliant inducias? poteritne Argelliam reverti? & si hostilitas mutua perduret, poteritne literis fiducialibus (Hispani *Pasaporte* dicimus) redire. Argelliam, quin iterum mancipij conditionem incurrat? Sanè si apud Argellos esset lex, quæ captivos ad patriam reversos declararet liberos, cessaret quæstio; sed in hoc regno paucissimæ leges sunt, & sententiæ à tumultuario populo feruntur, & idè is excursus præcluditur, & ad rerum naturas & essentias recurrendum est. Resolvo ergo mancipium (idem de absolutè-captivo dixerò) non perdidisse libertatem, sed cogi fortioris & potentioris impetu, ne illa utatur. Adde hanc violentiam cessare, cum-primum fugerit: agentia enim finita sunt, & manu-captos habent sphaeram activitatis definitam suæ regionis terminis. subjungo eundem, ut justè reddatur captivus, debere secundò justè capi. Quod si dentur leges humanæ contrarium disponentes, dicendè sunt jus naturale limitare, & si acceptentur aut saltem nullum præjudicium inferant communitati esse, omnino servandas.

ARTI-

ARTICVLVS I.

De Curatione & Corruptione reali.

Res cum-primum ita corrumpitur, 470 ut totaliter inutilis usui humano reddatur, esse sub hominum dominio definit, quia moraliter destructa supponitur. Consultò *totaliter* dixi, ut excluderem partiales corruptiones, quæ in partem non corruptam dominium & auctoritatem reservant. Totaliter res corrupta non dicitur, cum tota corrupta non est; nec cum ita corrupta, ut recuperare pristinam perfectionem possit. Si domus corruat, non corrumpitur totaliter; lapides enim & ligna remanent, & iterum readificari potest: si ardeat, non corrumpitur totaliter; quia fundus remanet, & in eo saltem aliqua parietinæ: si equus moriatur, non corrumpitur totaliter; quia adhuc pellis hominibus servire potest: diceretur tamè corruptus totaliter, si morbo cõtagiofo obiisset; tunc enim, nec caro, nec pellis, nec dentes, nec ossa, nec ungues hominibus possent servire; suppono ita morbũ illũ has omnes partes infecisse, ut maneant medicinæ incapaces. Sit ergò

Conclusio. *Corruptio dominium amittitur, nimirum totaliter totali; & partiali partialiter.* Ostenditur; quia non-entis non datur dominus. & res corrupta totaliter, totaliter non est, & corrupta partialiter, non est partialiter. Hinc solutio aliquibus difficultatibus.

Casus primus.

Petrus pretiosissimos pisces emit in 471 portu & summâ diligentia & expensis Madritum vexit, sed caloris & agitationis rigore multis concussis & corruptis, paucissimos illaesos reperit. Petitur, An illos paucos tanto pretio possit vendere, quo omnes vendidisset, si nullus corruptus esset? hoc est, si centum pisces venditurus erat centum aureis, an corruptis sexaginta, possit virginti quinque aureis vendere, ut habeat etiam centum aureos?

Respondeo in rebus omnibus tria pretia reperiri; Summum, Mediũ, Infimum; 472 extra quæ quidquid additur aut subtrahitur contra justitiam commutativã est. Si mille aureos dederis pro re quæ centũ valet, non est dicendus mille illam emisse, sed aureis centum, nongentisq; aliis aut

ARTICVLVS XII.

De Servitute reali.

Hucusque de servitute personali 466 egimus, & ostendimus qualiter & quale dominium in homines acquiri possit: nunc ad reale devenio, cujus & notitia faciliior & magis necessaria est, præcipuè Belgis & Germanis, qui servos non habent.

467 Servitus ergò realis duplex, nimirum realis-personalis, quæ & mixta dicitur; & realis-realis, quæ & purè realis appellatur. Illa definitur servitus, quæ à re personæ debetur, & in tres subdividitur; videlicet, in Usumfructum, Usum, Habitationem. Hortus servitute ususfructus habere dicitur, cum alicui personæ fructus universos pendit: servitute viæ diceretur habere, si deberet transitum præbere alicui; vestis ad usum serviret, si aliquis haberet jus utendi: domus habet servitute habitationis, cum venditur, locatur, aut fidei-committitur sub onere, quod debeat cedere tali personæ talia aut talia ad habitationem cubicula. Servitus purè-realis, est quæ rei à re debetur; puta, si dentur duo prædia, & alterum debeat alteri præbere semitam, vel duæ dentur domus, quarum altera debeat excipere aquas alterius.

468 Notandum est hujusmodi servitutes esse in rerum ipsarum possessione acceptatas expressè aut implicite, natalque ex venditione, donatione aut permissione dominicâ, rem conferentem sub talibus aut talibus articulis, qui debent omninò observari.

DISPVT. III.

An Curatio & Corruptio sit legitimus titulus acquirendi & perdendi dominij?

469 **C**ORRUPTIO curatione prior potest definiri, rei usibus humanis servientis pejoratio; & curationi opponitur, quæ perfectionis pristinæ restitutio est. Vtraque in realem & personalem subdividitur; personalis salutem hominis respicit, realis aliarum rerum,

donasse liberaliter, aut fraudulenter amississe: donavisse quidem, si sciens & volens; & amississe, si deceptus.

474 Hinc infero Petrum debere illos pisces vendere pretio currente (nempe, infimo, medio, vel summo) unde si aureus pretium illorum summum sit, non poterit illos majoris Petrus vendere, tametsi pro vecturâ singulorum quaternos aureos insumperit.

475 Quid si non habeant determinatum valorem? poteritne vendere exorbitanti pretio propter ipsamet raritatem? Puto, tunc posse, se reddere indemnè, omnes itineris expensas, & omnia quæ piscatoribus dederat, & hujus pecuniæ summum (legitimum tamen) interesse, & pro suo labore summum (rationabile tantum) stipendium, & quia ipsamet raritas pretio æstimabilis (vel arguendi sunt de iniquitate qui metalla & lapides propter raritatem magni vendunt) aliquid secundum prudentis judicium propter ipsamet raritatem recipiendo.

476 Sed quid, si omnibus piscibus corruptis nullus incorruptus remanserit? Quid, inquam, Petrus facturus est, si adhuc gulosi homines occurrerent, qui propriæ salutis incurij illos licet corruptos vellēt pecunijs summis emere? Respondeo casum esse frequentissimum in eadem civitate; pisces enim illi, quos *Vesugos* linguâ maternâ nominant, delicatissimi cum sint, facili negotio corrumpuntur, & nisi summa diligentia vehantur, putrescunt. Examinantur autoritate publicâ, & si corrupti judicentur expensis miseri mercatoris extra civitatem sepeliuntur, ne à canibus ipsis devorentur, creduntur enim nocivi & perniciosi, & Respublica debet salutem etiam corpoream providere. Si pisces, quos corruptos dicimus, iudices illi publici examinaverint, & sincerum suum dictamen sequentes sanos censuerint & vendi permiserint, poterunt vendi pretio currente, sunt enim probabiliter sani & incorrupti, quia iudicibus illis, utpote expertis, tanquam probabilibus decernentibus credendum est. Quod si vel Petrus eos munere subornaverit, vel deceperit, pisces corruptos vendere non poterit; & si vendat, contractus ut-

pote initus contra legem publicam, & de re quæ valorem civilem non habet, nullus erit, tametsi gulosi reperiantur, qui majoris faciant saporis lenocinium quam salutem. Peccabit igitur Petrus primo vendendo contra legem publicam, secundo vendendo, quæ valorem non habent, tertio cooperando ementium morbis. primum peccatum rarè morale est, frequentius enim pœnaliter Respublica precipit, quam moraliter. secundum & tertium possunt esse mortalia, si materia sit gravis; secundum in genere furti, si pretium tantum sit, ut ad gravem quantitatem ascendat: tertium in genere homicidij, si nocumentum notabile inferat, quale nemo ultrò sine peccato mortali possit par-

Casus alter.

H Abebat generosissimum vinum Antonius, & acetosum redditum debebat vili pretio vendere. At Franciscus secretâ doctus experientiâ scivit illud ad pristinam perfectionem reddere, & emptum vilissimo pretio curavit, & postea magno vendidit, currente tamen. Inquiritur, Primo Antonius posset illud pretio antiquo, hoc est, eodem omnino, quo ante corruptionem vendebatur, vendere. Secundo, An Franciscus vili pretio poterit emere, quod sciebat se maximo venditurum. Tertio, An tandem Franciscus vili emptum pretio poterit magno vendere.

Ad primum respondeo negativè. Ratio est, quia illud vinum propter generositatem magno pretio vendi supponitur; cumque hæc asseratur corrupta, cessavit ratio propter quam magno pretio vendatur. Debuit ergo Antonius illud eo pretio vendere, quo acetum; acetum enim erat, non vinum.

Ad secundum respondeo affirmativè; quia Franciscus emit justo pretio: acetosum enim illud vinum, quod emit, non valebat plus pretio currente, quam ipse dedit: quod autem illud ipse curaturus sit, & magno pretio venditurus, non militat contra æquitatem, quia vendet generositatem quam ipse arte curiosâ in materia illa acetosa producet, ac propterea generositatem cuius ipse est dominus directus & proprietarius. Pictor vili pretio

pretio pigmenta emit, quæ scit suâ arte ita attemperanda, ut oculis gratissimis magno pretio vendantur, & hoc tutâ conscientia in omnium opinione: ergò similiter Franciscus poterit vili pretio emere acetum & alia, quæ scit suâ arte ita attemperanda, ut gustui gratissima magno pretio vendantur.

478 Sed postulas, An Franciscus ab Antonio consultus teneretur secretâ illius curationis legem revelare? an saltem ipsum adjuvare vinum illud Antonij potius curando quam emendo? & sanè videretur quod sic; quia est opus misericordiæ ignorantem docere, & unusquisque jure naturæ obstringitur suppetias ferre proximo in extrema necessitate constituto, Antonius autem in extremâ est, non enim habet scientiam quâ jacturam illam, quæ summa esse supponitur, caveat, & nemo est præter Franciscum, qui illi possit succurrere.

Et respondeo ad primum Franciscum revelare illud secretum non teneri; ratio est, quoniam si teneretur, lege humanâ, aut divinâ teneretur. Illa in secreti revelationem jus non habet; neutra datur: ergo vel qui contrarium opineris, legem exis-

479 Ad secundum respondeo distinguendo artifices publicos à privatis; fortè illi tenentur solventi justum pretium, servitæ, hi tamen nullo jure tenentur. Quia hæc legis scis linguam latendam, non tamen teneris eam docere, teneris tamen, si esses magister publico stipendio ad istum effectum donatus. Cum igitur Franciscus non habeat stipendium publicum ad curando vinâ, sequitur non teneri artem, quam calleat exercere, tametsi summa argenti copia offeratur.

Nec rationes dubitandi urgent; quia opera misericordiæ consuluntur, & solum habent vim præcepti in extremâ necessitate. Antonius autem in extremâ necessitate constitutus dicendus non est, habet enim saltem acetum & dolia, quæ possit vendere, nec extremâ laborat inopiâ, qui aliquid habet.

Dicta poterunt animantibus etiam ægrotis appropriari. si enim optimus equus morbuendus jaccat & nemo sit qui

eum curare possit, poteris vir privatus, qui curandi equos publicum officium non habes, illum vili pretio emere, & curatum vendere maximo.

Poterunt etiam appropriari domibus, quæ dicuntur obsetæ. quæ ruinam minantur; nimirum, quando tu scis remedium ponere, & non habes officium ex vi cuius servire tenearis. In mari sunt innumere Insule à bestiolis diversis infectatæ & inhabitabiles redditæ (unam aut alteram ex Valentia conspicimus, quam à colubris eam infectantibus *Colubrariam* vocamus) sed si curarentur & purgarentur, dicerentur virtualiter produci, ideoque ad curatorem pertinere. modò enim virtualiter non sunt, quia cum usibus humanis non serviant, ita se habent ac si verè non essent, & si fugarentur illæ bestiæ, inciperent servire hominibus, hoc est, civiliter & humanitè esse.

ARTICULUS II.

De curatione personali.

D Octrinæ cõsequentiâ dubia nonnulla excitat, circa personarum dominium, An & hoc ex curatione oriatur. Si

Primum.

A mbrosius servus Anselmi corruptus gravi morbo periclitatur, deservitur a Medicis, & tamen Petrus, qui non proficitur artem medicam scit pharmacum quo sanari possit. Petitur, An teneatur illud ipsi præbere? An possit ipsa vili emere pretio, & postea curare?

Ad primum dico variare Authores cum agitur de medicis; hominem strictius teneri conservare suam vitâ, quam alienam, vel saltem non teneri strictius alienam servare quam propriam certum est, quia proximus unusquisque sibi. & tamen multi docent neminem teneri uti Medicis aut pharmacis, sed posse se committere Deo, ut multi sanctissimi Viri fecerunt. Si ergo Petrus extremo laborans morbo non teneatur pharmacis uti, nec tenebitur ea præbere alieno servo periculose laboranti.

Ad secundum dico, posse servum illum vili pretio emere (non enim magni debet fieri ille de cuius vitâ desperatur, nec

tanti æger quàm sanus) & postea curatum suâ industriâ magno vendere, ut constat ex his, quæ articulo præcedenti probavimus.

Addo ex hypothese quòd teneatur quis uti pharmacis cum necessaria sunt, Petrum debere dare etiam illa, vel vendere proximo extremè laboranti; & nihilominus Petrum posse illum servum emere pretio vili, curaturum, & postea venditurum magno. Ratio est; quia, si tenetur; ex charitate, non tamen ex justitiâ tenetur. ergo debet facere ut Ambrosius pharmacum illud habeat, atqui poterit illud Ambrosius recipere et si servus Anselmi non sit: ergo poterit illum Petrus emere, & emptum curare.

Secundum.

Sed de homine libero occurrit difficultas, An per curationem redigi in servitutem possit? Verbi gratiâ. Sit Paulus lethali morbo correptus, & desertus à Medicis ab uno & solo Antonio possit curari. Inquiris, An possit eum Antonius arte suâ sublevare, & ad pristinam salutem restitutum sibi in servum servare? Ratio asserendi posset ab ipsâmet naturâ curationis desumi. Ille enim qui rem moraliter producit, acquirit productæ dominium: at taliter laboranti Antonius dat moraliter vitam, cum suâ arte & diligentia à morte instanti liberat: ergo. Consequentia legitima est; major toti huic Operi fundamentalis, & minor extra omnem aleam controversiâ videtur posita.

Respondeo tamen primò, Christianum & liberum ægrum non posse taliter servitutem incurrere, communi enim & constanti consuetudine stabilitum est ut liberi Christiani ante judicis condemnationem, quæ propter crimina fit, sed raro aut nunquam, nunquam servitutem incurrant.

Secundò servum non mutare dominum propter curationem, sed ad primum pertinere, tametsi ab altero curetur. Ad primum inquam, si ab illo desertus non est; lege enim publicâ stabilitur, ut servus æger liber fiat, cum primum à domino suo deseratur, & necessaria ad vitæ con-

servationem non recipiat. Moraliter perdidisse vitam censendum judico, cum moraliter impossibilis credita fuit ejusdem sanitas. ac propterea vitam moraliter debere suo curatori non diffiteor; nego tamen fieri illius servum, quia Respublica talem modum acquirendi dominium in personas non patitur.

Tertium.

Sed, ut melius rei naturas cognoscas, & legis physice seu naturalis vires, inquiris, An barbarum nulli Principi aut legi humanæ subditum lethali & aliâs immedicabili morbo laborantem curans adquiras in servum? tunc enim cessant civiles omnes limitationes, & standum est puro juri naturæ.

Puto tam liberari à morte hujuscemodi hominem, quàm illum qui vel à manibus antropophagorum, vel immolatorum: atqui ferè omnes admittunt, quod homines ab arâ aut macello empti sint servi: ergo & empti à lectulo mortis, vel detur disparitatis ratio.

ARTICVLVS II.

De Curatione.

ET nominis & rei analogia curatione, ni videtur ad jungere curatione, & puto capere sylvestria & nulli domino subdita animalia eaque aut violenter vinculis detinere, aut suavius benignitate cicurare esse acquirere virtuale dominium.

Probatur, quia quicumque videt bestiam, quæ alterius non sit, potest illam occidere; ergo & potest illam sibi retinere & conservare. Ergo quas feras capis & detines, possides. Detines verò tuæ dispositioni subdita, quas vinculis coëres, carceribus vel renitentes comprimis, aut cicuratas evagari permittis.

Pro majori hujus quæstionis claritate, adnotato neminem debere dici dominum animalis, quòd non potest occidere cum voluerit. Ergo qui fugitivo cervo pepercit cum occidere potuit, fuit illius dominus quâdiu potuit illum licitè occidere; dominium perdidit cum ille fugiens spè illisit venatoris. Si caperet, haberet in eum dominium, quoniam posset occidere

ARTICVLVS I.

Filiationem idemtitatem includere.

physicam ne an moralem?

Filij, uxor, parens dicuntur hæredes necessarii, ita omnes Doctores ad legem *Cum hæres. ff. de acquirendâ possessione*. Et necessarii quoniam directe hæreditate privari non possunt; privantur aliquando indirectè; nempe, cum gravissimæ rationes cogunt consulere bono publico postulanti in casu aliquo exhæreditatem. Verbi causâ; Pater percussus, potest filium percutientem exhæredem facere, non quidem directe, sed indirectè; nempe directe consulendo bono publico & statui communi postulantibus ne filij inobedientes & contemptores tolerantur. Hæres ex naturâ rei representat illum cujus est hæres, imo moraliter est unus cum illo: ita unus, ut in sensu morali neque ratione distinguatur, quoniam totâ distinctio physica est, at moraliter loquendo est omnimoda identificatio, quoad dominium. Idcirco hæres, moraliter est ille ipse Dominus, cui succedit in hæreditate. Cumque dominus necessariò includat rationem productionis liberæ & activæ, hinc est, quòd hæres moraliter fiat ejusdem rei productor, hoc est, dominus. Vnde omnium gentium consensu cum aliquis physice moritur relicto hærede, moraliter non moritur, quia hæres remanet, qui physice quidem à defuncto distinguitur, moraliter verò est unus illi qui physice moritur, idè que succedit in universum jus quod defunctus habebat. Constat ex leg. 1. *Nihil de verborum signific.*

Hæredes necessarii ab intestato sunt Posterij, Antecessores, Fratres. Mortuo Petro succedere debent filij, & his deficientibus nepotes, pronepotes, abnepotes &c. si Petrus non habuerit successorem, erit hæres suus Pater, & hoc deficiente Avus, aut proximior antecessor. si successore & antecessore vivo careat, succedent fratres, & his deficientibus propinquior consanguineus usque ad decimum gradum inclusivè. Molina *de contract. disp. 164.* Bonacina *de contract. disp. 3. q. ult. part 3. num 14.* Bassus *verb. Hæres. num. 2.*

Sed mihi

dere cum vellet, esset enim vita illius cervi captivi sub dominio venatoris.

Feræ detinentur vi, cicures arte: si ad sylvarum recessus fugiant, dicendæ sunt fuisse venatoris quamdiu detinebantur, jam nullius esse: ac propterea pertinere ad primum occisorem aut conservatorè, juxta ea quæ hucusque disputavimus.

Hinc lux difficultati, quam movent Chronologi ad annum 458. Nam Rogationes (quas vocant Minores, & triduo ante Ascensionis solennitatem fiunt) dicuntur institutæ sub Mamercio Episcopo Viennensi tum propter prodigia meteorica quæ universos terruerant, tum propter animantium confusionem; feræ enim in medias urbes se ingesserunt, cicures in montes & sylvas. Si respiciamus rationem naturalem, feræ cum primùm muratam civitatem ingrederentur, captivæ erant, & pertinebant ad eum qui illas primus occideret aut caperet. Cicures excuso servitutis jugo liberæ reddebantur, nec dicendæ pertinere ad illos in quorum non erant potestate: igitur in sylvis & montibus ferocientes poterant illaqueari, capi, & occidi pro venatorum voluntate.

Huic portento simillimum accidit ann. 1086. sub Henrico VI. Imperatore; anseres, gallinæ, pavones & reliquæ aves domesticæ ad sylvas confugerunt: ergo & veteres domini perdidere earumdem dominium, & ipsæ curatione excusâ inceperunt ad nullum spectare, spectaturæ ad venatorem primum qui illas caperet.

DISPUT. IV.

An per Filiationem & Cognationem adquiratur rerum dominium.

FILIOS esse parentum hæredes apud omnes gentes, quæ culturæ audiunt, certum est; sed non videtur sine gravis rationis pondere morem tam communem & universalem obtinuisse. igitur qui radicaliter omnia desideramus investigare, præcisus hominum legibus, rerum ipsam naturam contemplemur, cum quâ medullitus cognitâ humanas consuetudines & leges componemus.

Sed mihi non leges sed rerum essentias discussuro, occurrit statim hæc questio; An filij sint hæredes ex naturâ rei, an verò ex humano instituto? hoc est, An sublato jure humano positivo, tam seculari quàm ecclesiastico, adhuc remaneant hæredes necessarij? & cur potius hæreditatem adeant filij, quàm patres? Majoris claritatis causâ satisfacient sequentia.

487 *Filius est physicè similis patri.* Patet, quia aliàs non esset filius; generatio enim ex communi omnium Philosophorum & Theologorum consensu, *Est origo viventis à vivente in similitudinem naturæ.* Vbi notanda est distinctio essentia & naturæ: quia Spiritus sancti processio est origo viventis à vivente in similitudinem essentia, non autem in similitudinem naturæ, & ideo non est filius. Manuducor à D. Thomâ qui cum alijs plurimis docet in eo distingui essentiam à naturâ, quòd illa ab essendo, & hæc ab operando dicatur. Filius igitur in ordine physico similis est patri in operationibus, quarum satis notabilis est libera productiva, in qua docuimus consistere dominium formaliter. Ergo filius non solum in essendo est Patri similis, sed etiam in dominando. unde Eccl. 3. v. 4. dicitur, *Mortuus est Pater ejus, & quasi non est mortuus; similem enim reliquit sibi post se,* quæ verba complectuntur expressè meam conclusionem. Resumamus iterum, & expendamus. *Mortuus est Pater ejus,* nempe physicè. *& quasi non est mortuus,* hoc est ita se habet ac si mortuus non esset, & subinde dicendus est vivus virtualiter & moraliter: & ratio est, quia post se reliquit sibi similem in natura, hoc est in operatione liberâ productivâ, sive quod idem est, in rerum dominio: producere enim liberè nihil aliud est, quàm dominari.

488 Hoc testimonium esse germanè expofitum, & non posse intelligi de similitudine specificâ tantum, demonstro satis clarè: quia non dicitur *quasi non mortuus sive vivus virtualiter,* qui sine filio moritur, & nihilominus reliquit multos homines sibi specie similes & operativos: ergò major debet esse similitudo filij & patris, quàm duorum, qui non suat con-

sanguinei. Dico igitur ideò esse hominem homini similem; quia producit moraliter effectus similes, hoc est, ejusdem speciei, sed distinctos numero: filius autem, cum similior sit patri, quàm peregrino, debet producere moraliter effectus similiores distinctis numero; ergò producere moraliter effectus, qui nequidem numero moraliter loquendo distinguantur. Ergò si eadem numero res dependent efficienter moraliter à filio & patre; eadem numero subsunt morali dominio filij & patris; nempe primariò dominio patris, & dominio filij secundariò, videlicet cum pater fuerit mortuus.

489 Filius similior est in naturâ patri quàm extero, sed non solum moraliter, licet hoc intento sufficeret; sed etiam physicè, & hac assertionem intentum nostrum roborabitur. Omnia Entia corporea divisione merâ numericè multiplicantur, ideò ex duabus aquæ partibus, quas continuando identifico, formo unam aquam; & dividendo habeo plures aquas realiter distinctas. Nullum est inconveniens; si dicatur Leonis catulum esse Leonis partem physicam decisam in generatione, sed de hoc uberius alio loco: unde Ethnici, qui putarunt omnes animas corporeas esse, tenerentur asserere filios esse Patrum particulas actu generativo abstractas: imò & Poëta, quia Deum corporeū deliraverat, ut hominum Patrem assereret ab ea animas dicitur credidit cum illas *Divina particulas aure* nominavit. Nos autem, qui sinceriores philosophiam sectantes, fidei lumine adjuti, scimus rationales animas esse materiales, negare non poterimus materiam ex quâ homo gignitur, decidi à parentibus; nempe aut à patre solum, aut solummodò à matre, aut verosimilius ab utroque simul: quia cum materia non possit per generationem fieri, opus est fuisse sub aliâ formâ. Ergo filij materia quæ hodie distinguitur à materiâ Patris, ante genesis non distinguebatur. Ergo Patris & Filij materiae habent hodie unitatem specificam & distinguuntur puro numero, ante genethiam verò ne quidem numero distinguebantur: materiae duorum non consanguineorum vix unquam fuerunt una numero: vel si fuerunt inde incipiunt numerari

numerari gradus consanguinitatis.

490 Filios esse hæredes ex natura rei, probatur aliunde satis clarè. Quia aliàs non argumentaretur Paulus efficaciter octavo Epistolæ ad Romanos. *Ipsè enim Spiritus testimonium reddit Spiritus nostro quòd sumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Infert Apostolus nos esse Dei hæredes, ex eo quòd sumus ipsius filij. Ergò consequentiæ materia necessaria est, quia si esset contingens, non esset consequentia infallibilis.

491 Confirmatur. Filij succedunt Patribus in hæreditate: aut ergò succedunt ex vi legis humanæ, vel ex vi juris positivi divini, aut ex natura rei, hoc est ex connexionne terminorum. Si primum asseratur, debet etiam dici discursus Apostoli ineptus & indèrinalis: quia quis non videat esse consequentiam ridiculam; *Legè Salicâ excluduntur femina à corona corporea, ergò & à cælesti:* item hanc; *Omnes leges excludunt à corona adoptivum, si detur filius naturalis; atqui Christus filius Dei naturalis est, nos adoptivi; ipse igitur nobis exclusis regni cælestis hæres?* ratio clara est, cucniam humanis legibus non venit cælestis æternitas determinanda. Si asseras hæreditatem cõpetere filijs virtute juris divini positivi; hoc sanctum divinitus fuisse, debuit et persuadere Paulus, antequam absolutissimam illam consequentiã eliceret; *Sunt filij, ergò hæredes;* quia quicumquid divinum jus non cognosceret, negaret Paulo consequentiam. *Argumentationis* igitur Apostolicæ robor consistit in necessaria connexionne extremorum; quia sicut rationalis animus postulat risibilitatem quâ sine violentia privari non poterit, sic etiam filius legi innati appetitûs hæreditatem postulat, quâ exspoliari violentia est. Postulat quidem etiam vivente patre (*Sui autem Instit. de hæredit. qual. & differ.*) adeundam tamen non nisi patre devivente.

ARTICVLVS II.

Quomodo filij debeant adire hæreditatem deficientibus fratribus? diversi mores.

492 Si gentium mores examinemus, nullus consensu est, unde asserendum

venit hæreditatis adeundæ modum, vel à natura ipsa non esse determinatum, vel saltem non ita clarè, ut ab omnibus cognosci potuerit. Fuerunt gentes quæ putaverunt hæreditatem esse indivisibilem & unius defuncti non nisi unum & simplicè hæredem esse; aliæ divisibilitatem tuentes dividerunt bona parentis inter proles.

493 Regna omnia, Ducatus, Marchas, Comitatus, & reliquos jurisdictionis titulos, quia hæreditariò deferuntur, esse indivisibiles, communior hominum sententia statuit: possessiones verò, hæredia, & divitias quæ jurisdictionem non important, sed proprietatem, similiter indivisibiles statuerant olim Scoti, Angli, Britanni, Galli, imò aliquando Hispani; sed etiam in modo discrimen.

494 Debent Scoti Maccabæo Regi leges publicas, quas multis annis observarunt. Inter alias notabilis illa, quæ de hæreditate. *Proles primogenita, cujuscumque sexus ea sit, in hæredio succedito. Primogenita, quæ alterius agrum Domino nupsit, cedat hæreditate.* Ecce; Maccabæus ille Legislator tanti primogenituram fecit, ut & sexui anteponeret. Vide Boëtium lib. 1. 2. sed aliæ nationes majoris quàm primogenituram sexum faciunt, hoc tamen tam superstitiosè apud aliquas observari contingit, ut primogenituræ nulla ratio.

Regnum Gallicum, & multi majoratus in Francia, Hispania, & Germania, dicuntur subesse legi Salicæ, quæ feminas universas excludit, etiam si primogenitæ, & hoc tam rigidè, ut sæpe nothi admisi, nunquam non excludat mulieres.

495 E contrario Amazonum regio (à Tanai ad Thermodoonta fluvium se extendit) viros non tolerabat. Et si vera sunt, quæ de illa veteres scripserunt, culta & habitata fuit à solis feminis. Hæ posteritatis studio finitimis congregiebantur; & nascentes mares occidebant, ut illustriores essent, censentes generosius sine virorum copijs fortissimos exercitus triumphare. Dicebantur Amazones ab *ama* & *sa*, quod cœnobiticæ & in communi agerent. Habuisse leguntur Reginas invictissimas, quarum præcipuæ Marthia & Lamæ

& Lampedo; quæ majorem Europæ partem subjugarunt. Marthæia successit filia Orithya, cujus soror fuit Antiope. Post Orithyam Penthesilea regni habenas obtinuit, & ad bellum Troianum profecta auxiliatura Phrygibus, facinora præclara gessit, sed tandem ab Achille victa & occisa. Vide Servium in *Virgilium*, Iustinum *lib. 2.* Silium Italicum *lib. 2.* Sed & reperies apud Dionysium *lib. 4.* Amazonas Lybias, Scythicis similes. Neutras tamen exitare manifestum est. Vtrum olim talis populus fuerit multi dubitant. Agunt pro parte affirmativâ frequentia monumenta Historiographorum veterum, quibus non facilis assentiar, nisi prius expunxerint ab hac historia aliquas indignas circumstantias.

Si conjecturis locus sit in re dubiâ, asseram fuisse Amazonas Vestalium amulas, à vita communi nominatas. Addam habuisse solummodò tria Cœnobia, aut saltem tria illustriora, aliud ad Tanaim Scythiæ, aliud ad Thermedoonta Thraciæ, aliud autem in Africa. Si Amazonas Vestales, aut similes Vestalium asserantur, omnia quæ de illis recensentur, ita possunt exponi, ut credibilia evadant.

496 Cæterum, ne in rebus ambiguis immoremur, ad certas historias transeamus. Pandæ (Indiarum est populus) filias ad regnum promovent, omisis filijs. Reginæ ducunt originem ab Herculis filia, & imperant oppidis trecentis. Plinius *lib. 8. cap. 20.* Cantabri omisis filijs filias ex asse instituunt. Beyerlinckius *verb. Cura pag. 636. f. Lyci*, (Alexandro *lib. 6. cap. 10.* Stob. *Serm. 42. ex Nicol. de Morib. gent. hist.* & Herodoto *lib. 4. testibus*) non filios, sed filias hæredes nuncupant, & à matribus cognomina familia trahunt. Vnde Lyciorum opinione femineus sexus virili ita prævalet, ut debeat præponi filia minor natu ipsimet primogenito. Econtra apud Brasilienfes sorores non solum postponuntur fratribus, sed ancillantur. Nascuntur immunes à parentum dominio, subsunt fratribus ita dispositæ, ut vendi sine causa queant. Oserius *lib. 2. rerum Emm.*

499 Communior tamen bonorum indivisibilibus successio anteponit gradum sexui, sexum virilem ætati: atque propterea filia debet anteponi cognato, filius minor ipsimet primogenita. Nec omnis hæreditas censetur esse indivisibilis, sed quæ autoritate publicâ vinculatâ. Duodecim tabularum legibus non cognoscebantur hæredia vinculatâ, quia asserente Alexandro *lib. 16. cap. 10.* pariter masculi & fœminæ ad bona parentum vocabantur. Id ipsum observaverunt Israëlita, qui primogenito duplicem partem adtribuerunt, cum simplicem reliquis filijs; constat ex *Deut. 21.* nec primogenitura erat prærogativa politica pendens à parentis arbitrio, sed erat circumstantia naturalis, unde *ibidem* interdicitur, ne invisa filius primogenitus amata uxoris filio postponatur.

ARTICVLVS III.

An fratres debeant filijs anteponi? diverse leges, & exempla.

499 **L**Ege Arabica fratrem filio præponi sine ulla limitatione Laurentius Beyerlinckius *litteræ P. pag. 156.* affirmat, sed pæce diligentissimi collectoris in materia rerum Lusitanarum mihi fidendum, qui ex professo jam à multis annis eas examino. Hæc Arabum lex illud peperit bellum, in quo generosus Sebastianus occubuit: & viget apud Marocenses & Fezienses, accuratè notavi in *mei Philippi Prudentis lib. 1. pag. 75.* de Rege Sebastiano tractans, & iterum tango *lib. 5. disp. 3. quæst. 1. art. 1.* anno enim à nato Domino MDXLVIII. Muleyus-Mahamedus Fezij & Maroci Rex habuerat quatuor filios, Abdalam, Abdelem-Munen, & Abdelem-Melecem legitimos, nec non Hamedum nothum. Comitæ celebrat, & consentienti populo lata lex, ut omnes Regis filij in regno iucederent, nempe fratres fratri, exclusis filijs. Hanc legem multi de barbarie incusant, imò nunquam fuisse observatâ constat, quia Abdala Muleyi-Mahamedi primogenitus, contempto fratre suo secundo Abdelem-Munen declaravit coronæ hæredem

Resolutio desumpta ex aequitate.

500 **V**T facilius rem examinemus defuncto Cornelio, sint superstitis Claudius pater; frater Theostomus; Aurelia uxor; Sabia primogenita; filij Drusus & Caurus. Petitur, quis stando naturæ legibus debet succedere in hæreditate? Supponitur Cornelius fuisse verus & legitimus dominus; quoniâ ni talis asseratur, non est locus quæstioni.

Dico igitur Cornelij hæredes vocandos esse ordine. Primò Filios, secundò Patrem, tertio Fratrem, quarto Vxorrem. Vt hoc altè apprehendas indiges attentione:

501 Physica patris & filij consanguinitas intima est, & omnium maxima, sed non æqualis. Se debet patri filius, nihil verò filio pater. Cum igitur pater sit filij dominus, opus est, ut omnium rerum quæ ad filium pertinent, sit etiam immediatus dominus; ac propterea filius non est capax domini antequam moraliter aut physicè devivat pater, & ipse emancipatus maneat. Quod si Imperatoriæ leges illi peculij aliquam proprietatem concedunt, etiam aliquando emancipant & a patria subtrahunt potestate. Quamobrem, si Cornelius non esset, nulli disputationi locus remaneret, quia cum non haberet rerum dominium, non posset habere hæredes. Ergò dicendum est Claudium qui supponitur vivus, esse mortuum moraliter, hoc est ex lege aliqua legitimâ ita se habere ac si revera mortuus esset. Cornelij igitur filij debent præponi Claudio Cornelij patri. Postea est consideranda Claudij amortizatio, quia qualis ipsa fuerit, talis debet servari: est enim liberum Legislatore emancipanti occidere moraliter Claudiū respectu unius, & respectu aliorum incolumem & indemnem servare.

Pater quidem obtinebit locum, quem lex determinaverit, & credendus est vivus moraliter quamdiu respectu alicujus personæ contrarium non sit lege clarâ decretum. Vnde ex vi emancipationis postponendus necessariò est emancipati filijs, non uxori, non fratribus, quoniam

Q

in filios

hæredem filium suum. Post Abdalæ mortem è vivis etiam sublato Abdalæ-Munen regni competitore, successit Muleyus Abdalæ filius, & alterius Muleyi nepos. Abdel-Melecus suppetias à Rege Argeliæ obtinens Muleyum superat & imperio potitur. Victor Rex Sebastianum Monarcham Lusitaniæ implorat, & Istrium Regum morte contingente mansit irresoluta. Non igitur de universa Arabia dici à Beyerlinckio potest, quod nequidem semel vel in uno regno observatum.

499 Sed extra Arabiam Partorum Regem Pharnacem apud Fulg. *lib. 5. cap. 5.* contemptis filijs legitimis, fratri suo Mithridati coronam reliquisse reperias.

Item Iazatem Adiabenorum Regem viginti quatuor filiorum patrem fuisse morientem tamen universis exhæredibus factis Monchazo fratri suo regnum reliquisse. Fulg. *ibidem.*

Apud Ethiopas fuit notabilis lex asserente Alexandro *lib. 6. cap. 10.* Exclusis Regis defuncti filijs & fratribus, fratrum filij ad hæreditatem vocabantur.

Hæc exempla nascuntur ex rationali illo amore, quo fratres diligimus: testatum eum reliquit Intaphernæ uxor, quæ eò miseræ venit, ut videret maritum, fratrem, & filium ultimâ sententiâ condemnari. Solicitaverunt afflicta juvenis lachrymæ pectus Darij Persarum Regis, quæ ne Orba maneret, concessit unius vitam, quam optaret. Exspes salutaris frater mansit; subdubians, filiusne marito, an maritus alteri præponeretur. Interim illa incolumem voluit esse fratrem. Eum marito anteposuit, sed nondum miror, quia multæ non modò maritis, sed & maritos sunt exorsæ. Majoris quàm filium fratrem fecit, & si hoc mirum videatur, consule sic optantem. Juvenis adhuc sum, inquit, maritum alium reperire, & alios filios gignere possum; fratrem alium habere non potero, quoniam parentes mei mortui jam sunt. Sab. *lib. 3. cap. 7.* Herodotus *lib. 3.*

in filios suos Cornelius jam emancipatus verum dominium habet, & independenter à Claudio est cum illis una & eadem persona moraliter. Frater fratri identificabantur physice in patre, quia uterque habet materiam, quæ identificata fuit materiæ patris: maritus & uxor identificabantur physice in filio, nempe habent materias realiter distinctas, quæ identificantur in filio. His igitur consideratis esto

503 CONCL. I. Cornelij filij jam emancipati necessario proponendi sunt Claudio Cornelij patri. Constat ex his quæ dicebamus.

504 CONCL. II. Claudius Cornelij pater anteponendus est Theostomo Cornelij fratri. Ideo Theostomus & Cornelius sunt fratres, quia habent materias, quæ aliquando fuerunt identificatae in Claudio suo patri: atqui ista identificatio fuit intrinseca Claudio qui in seipso fuit identificatus utriusque materiæ, & est extrinseca confratribus quorum neuter in seipso fuit alteri identificatus: ergo magis intrinsecâ unitate identificatur pater filio, quam frater fratri.

505 CONCL. III. Frater anteponendus est uxori. Constat, quia moralis utriusque identificatio sumitur à fundamento physico quod est in rebus. Fratres ideò sunt unus moraliter, quia materiæ ipsorum fuerunt in patre una physice; habent enim materias, quæ antequam deciderentur, erant una physice & realiter. Coniuges ideò sunt unus moraliter, quia habent materias in se realiter distinctas, quæ in generatione sunt identificandæ physice. Atqui magis necessaria est identificatio præterita, quam futura [futura enim sapissime impediuntur, & ad præteritum non datur humana potentia] ergo major est unitas realis fratrum, quam conjugum.

Dices. Hanc rationem aut nihil convincere, aut probare: æquè coniuges esse unam personam moraliter, ac amafios: quia etiam amafiosum materia, quæ ante generationem realiter distinguuntur, in prole identificantur realiter.

Respondet non dari moraliter amafiosum proles, quia necesse sunt nulli moraliter; & ideò cum illa unitas physica,

quæ asseritur, virtualiter non sit, hinc est, quòd non possit esse fundamentum alicujus denominationis moralis. Igitur eadem ratio quæ persuadet coniuges unam & simplicem moraliter personam esse; eadem probat amafios solutos duas esse personas moraliter.

ARTICVLVS IV.

De Hereditatis divisione.

506 Nulla hereditas, sive in proprietate sive in iurisdictione consistat, habet indivisibilitatem naturalem, sed omnis indivisibilitas oritur à lege positivâ bona & titulos conatentante. Ipsamet regna possunt dividi & fuerunt de facto divisa.

Divisiones Imperij.

507 Si ad veteres Romanorum historias veniam, spongiâ utar ut eas purgem fabularum pulvere, quo Chronologorum incuriâ & studio Poëtarum sunt infecta. Saturno igitur non jam Divo sed Rege victo, proscripito, expulso filij tres de imperio cogitarunt. Concordiâ sic divisum est. Oriens (hoc est Asia) Iovi, Phitoni Occidens (hoc est Europa) Transmarina regionis (ipsa sunt Lybica) Neptuno contigerunt. Hinc fabulæ celeberrimæ occasio. Poëta nescio quis,

Obtigit imperij Lethe opulentiâ Divi,

Neptuno pelagus, Sydera sorte Iovis.

Apud Iuppiter œclorum Rex dicitur, cui sorte obtigit Asia, ex qua nascuntur Sydera: regionem Astripara analogiâ pulcherrimâ œclum cognominata. Pluto Divi dicitur quasi divi, quia sorte obtinuit Hispaniam, ubi Theologia veterum Elysi campi locabantur. Petrus Bertius in tabulis contractis pag. 136. describens hanc regionem sic ait.

Posidonis Hispania subterranea non inferno sed Plavo ipso opulentiâ Deo dicitur inhabitari; tantam ratus est in eo tractu metallorum facunditatem. Imò verò & Homerus opum ejus Proventia haud ignarus in eâ Elysiûm effinxit campum & pijs dicatam sedem, ad quam vaticinans Proteus Menelaum cecinit emigraturum. De Lymia (fluvius

vius est Lusitania) in mei Philippi Prudentis procemio n. 2. Lymia apud Metrographos antiquos celebris, Διὸς æolicè cognominatur, & creditur nocivus reminiscentiæ organo propter excessum humoris: acque hinc fabulæ occasio, & radius Poëtarum sacramentis. Audit Plutus, quia πλοῦτος opulentiam sonat, & antequam Hispaniæ præflet, nec dives erat, nec Plutus, sed Ageilaus dicebatur. Observavit inter alios Conradus Gesnerus in Onomastico. Infernus appellatur non nunquam, quoniam & œceanus mare inferum dicitur in quem per Herculis columnas exonerat Mediterraneum. Ignes, & flammæ, illi adtribuunt propter pyriæos montes; qui tales audiunt asserentè Diodoro lib. 6 quod semel pastorum negligentia aut malitia succenti conflagravit. Nec dissonat Neptuno imperium maris, cui fors contulit insulas & terras transmarinas.

508 Hanc divisionem totius mundi in Claro civitate esse factam eruditissimi Scriptores asserunt, inter quos Nearchus citatur à Gesnero verbo (claros; Lactantius & Natalis à Beyerlinckio verb. Divisio. cuius rei index est ipsius civitatis vocabulum κλαρος enim dicitur ἀπὸ τοῦ κληρονομοῦ hæc est, à sorte divione.

Eurystines & Procles Heraclides Læconitas oras subegerunt manu ducti industriâ Anonymi cuiuspiam proditoris. Regione potitū diviserunt in sex Provincias, quarum Principem (Sparta fuit) sibi retinentes, secundam proditori, & quatuor alias amicis concesserunt. Strabo lib. 8. ex Ephoro.

509 Post subjugatum mundum, miserimè devixit Alexander, quem nec generis claritas, nec cordis magnitudo, nec victoriarum terror à proditore liberavit. Tollitur ante diem, qui si minus felix fuisset in vita, in obitu felicior esset. Obijt, & reliquit successores discordias, elades, dissentiones, & bella. Tandem rebus compositis aut pacatis imperio potitur Arridæus Philippi, qui postea etiam Philippus audiit. Is igitur ex Primatum consilio Ptolemæo Lagi filio Egyptū dedit; Laomedonti Mithylenæo Syriam; Philotæ Ciliam; Pythoni Mediam; Eumeni Paphlagoniam & Cappadociam; Antigono

Pamphyliam, magnam Phrygiam, & Lyciam; Cassandro Cariam; Meleagro Lydiam; Phrygiam, quæ Ponto adjacet, Leonato. In Eurcpiâ Thraciam Lyfimacho, Macedoniâ Antipatro; Paropamisadum apud Caucasum litam Oxyartæ Bractiano Regi, cujus filia Roxana ipsi Alexandro nupserat; Sibyrto Arachosiam & Gedrosiam, Stafavori Solionem, Ariam, & Dranginam; Philippo Bactrianam & Sardoniam, Phratis hernæ Parthiam & Hyrcaniam; Peucestæ Persidem; Tlepolemo Carmaniam; Atrapæ Mediam; Archoni Babyloniam; & Arcefilao Mesopotamiam.

Vide unius infelicitate innumeros reddi felices. Qui poterat securus inter illos Alexander vivere, qui felices esse non poterant eo superstitè, & sublato non poterant esse infelices? O misera cordis humani ambitio! se miserum censens Alexander novos mundos ambiebat, ne miser esset; sed tunc incepit esse miser, cum felix videri. nam tunc primùm expositus ultimo discrimini cū adsequutus coronas sufficientes, ut universos suos Primores ditaret.

10 Augustus Cæsar Imperium Romanum divisit in duas partes; alteram largitus populo, alterâ sibi retinens. Concessit eam quæ quietè & fideliter imperio suberat; adscivit sibi Provincias difficiles, indomitas, & jugum Romanum recusantes. Strabo lib. 17.

Matris elementia & amor vitæ privarunt Getam Severi Imperatoris filium, & Imperium Romanum stabilitâ divisione. Severo posthumo remanserunt duo filij, Geta & Bassianus, qui alias vocatur Caracalla. Ut reducerentur ad concordiam conventum est, ut Asia Getæ cederet, & Europa Bassiano. Julia eorum mater ne filiorum præsentia privaretur, constanter restitit, & in causa fuit, ut divisio esset cassa. Vtrumque æquè amabat, utrique volebat totum mundum; ipsi autem subacti imperandi ambitione insidias sibi tēdebant. Bassianus insidiarum impatiens Julię penetrare ubi & Geta erat, repente ingreditur, & fratrem apud matrem interimit, & curis expeditus potitur toto imperio. Sabell. lib. 5. Ennead. 7.

511 Deocletianus & Maximianus communi consilio & auctoritate orbem terrarum gubernabant, & nullius exemplo resignarunt. Successerunt Constantius & Galerius, qui rerum communionem pertasi imperium inter se dividerunt. Elegit sibi Hispaniam, Galliam, Britanniam, Germaniam, Italiam & Africam Constantius; Galerius Asiam, Indiam, Ægyptum, Syriam, Armeniam, Arabiam, Mesopotamiam, Thraciam, Mœciam, Daciam, Pannoniam, Macedoniam, Græciam, & Delmiciam: imò & Italiam cum Africa obtinuit ex liberalitate Constantij.

512 Hæc imperij pars, quæ Galerio obtigit, iterum subdivisa: nam veniens in Italiam ex Illyrico duos filios Cæsares cooptavit, Severum & Maximinum. Illi Italiam & Africam; huic Asiam Ægyptum & regiones orientales (sunt Syria, Armenia, Arabia, & Mesopotamia) concessit; retinuit Illyricum, quod Thraciam, Mœciam, Græciam, Dalmatiam, Daciam, Pannoniam, & Macedoniam comprehendit. Sigonius *Imp. occid. lib. 2.*

513 Magni etiam Constantini imperium, quod latissimum fuit divisum, fuisse legimus. Decimo imperij anno Constantinum Cæsarem creavit & ei concessit Hispaniam, Galliam, Britanniam & omnes provincias Transalpinas: Constantio autem, quem anno xx. Cæsarem nominavit, Orientales à Propontidis freto: & Constanti, quem xxx. anno donavit imperio, partes medias, nempe Illyricos, Noricos, Pannonios, Moesos, Liburnos, Dalmatas, Thracas, Græcos, Macedones, Achajos, Africos, Italos. Eusebius *lib. 4. de vitâ Constant. Socrates lib. 1. cap. 39. Theodoretus lib. 1. cap. 31.* à quibus parum abest Sozomenus *libri 2. cap. 34.* Cuspianus addit Constantinum jam moribundum constituisse Cæsarem Dalmatium Anniballiani fratris extincti filium, qui post tres annos à Constantii militibus similiter extinctus est.

514 Valentinianus militum acclamatione Imperator creatus consortem imperij Valentem fratrem designavit; quibus postmodum disconvenientibus divisum imperium. Oriens cessit Valenti, & Occidens Valentiniano. Sigonius *Imp. occid. lib. 7.*

Theodosius cognomèto Magnus imperium divisit testamento: legavit Arcadio Orientem, Occidentem Honorio. Sed quia ætate adhuc tenera non erant sufficientes tanto oneri, illi Ruffinum, huic Stiliconem adjunxit in imperio Assessores. Cuspianus A. D.

Reges Gallia ex aliquorum sententia ideo dicuntur Christianissimi, quòd Verbo æterno similes quæ semel adsumpserint, nunquam dimiserint; sed si historias legamus, videbimus latissimum Magni Caroli imperium divisum fuisse in tres coronas: Carolo cessit Alemanica, Pipino Italica, Ludovico autem bono Cæsarea & Francica. Platina & Emil. *lib. 3.*

Imperator Ludovicus Pius de Primatibus suorum consensu imperij sui coronas, distribuit inter suos hæredes. Lotharium imperij consortem declaravit, donavit Pipinum Aquitaniã, Bavariã Ludovicum. Obijt ante patrem Pipinus, quamobrem Lotharium tutorem uxoris Iudithæ & Caroli constituit, & hunc declaravit Regem Aquitaniæ. Platina in *Sergio II.*

Lotharius Imperator providens suorum 516 quieti, ne filij dissiderent imperium subdividens, hac lege Italiam dedit Ludovico, & titulum Imperatoris; Lotharingiam Lothario; Carolo autem Burgundiam & Proventiã partem: & valedicens sæculo in Prumiensi cœnobio Monachum induit, ubi laudabiliter vixit ad annum 855. Sigonius *lib. 5. regni Italici.* Caroli mortui Ludovicus & Lotharius hæreditatem dividerunt: Ludovicus sibi optavit Proventiam, Burgundiam Lotharius. *Emilius lib. 3.*

Tandem Caroli V. quem si Magnum non nomines, saltem non poteris non dicere fuisse majorem illis omnibus, qui consensu gentium catholico Magni cognominati. Magnus quidem cum barbaras nationes & indomitas regiones subjugavit; major tamen, cum se vincens universa contempsit. Conspexit claris oculis omnia esse vanitatẽ, & Deo uni servire desideras terrena despexit, ut expeditior caelestium contemplatione fruereetur. Cessit Regnum Hispaniæ filio, imperium fratris; & qui Mundorum fuerat dominus remansit pauper voluntarius.

Divisio

Divisiones Hispaniæ.

517 Mitto aliorum regnorum divisiones, quia volumine egerent, si deberent expendi. Non recordabor Atilæ, post cujus obitum regnum sorte divisissent filij superstites, ni Ardarici Gepidarum Regis fortissimus miles universa turbasset. Sigonius *lib. 13. Imper. occid.* Nihil de filiis Clodovei, qui asserente Emilio *lib. 1.* regnum Gallicum in tetrarchias subdiviserunt circa annum 515. nihil de filiis Clotharij Regis, qui iterum Galliam dividerunt. Omittam Coroli Martelli Historiam, qui moriturus Austriam & Sueviam dedit Carolo natu maiori, Burgundiam & Franciã partem Pipino. Ad Hispanias venio, & reperio innumeras Monarchiæ divisiones, ex quibus pauciores quidem, sed celebriores dabo.

Alfonus Magnus Hispaniarum Rex adhuc superstes investivit Ordonium filium suum coronis Galleciæ & Portugaliæ. Probo in *mei Philippi Prudentis proemio. 9.* Ecce duo regna ab alijs separata, & hoc ex Regis Optimi liberalitate. Regnabat Ordonius anno 909.

Anno 1064. Magnus Fernandus moritur, & relictis tribus filiis regna distribuit. Dat Castellam Sancio, Alfonso Legionem, Galleciam & Lusitaniam Garziæ. Brandao *lib. 10. Monarch. Lusit. cap. 6.* Garibayus *lib. 34. cap. 4. pag. 773.* Ioannes de Rojas in *Epit. success. c. 5. n. 30.*

Alfonus VI. Hispaniarum Rex dedit Tarejam filiam suam Henrico Comiti & in dotem regnum Lusitanicum, anno 1094.

Afonus III. Lusitanorum Rex duxit Mathildem Bononiæ Comitissam, & eã superstite Beatricem Alfoni X. Castellæ Regis filiam adlectus coronã Algarbicã, quam Castellanus capite suo deponens & ab alijs separans Beatrici contulerat in dotem.

Divisio primata hæreditatis.

518 Varij apud varias nationes dividende hæreditatis modi. Apud Hebræos Primogenito cedebat duplex pars, unde si remanebant quatuor filij, hæreditas in quinque portiones dividebatur,

quarum duas haberet major natu, & tres alij reliquas. Constat ex lege expressa Deut. 21.

Romanorum decreto, si deviventis bona non fuerant supremã voluntate divisã, hæreditatem quam *Assẽm* vocabant in duodecim partes æquales dividebant, *Unicius dictas.* Hinc lux veterum libris *Hæres ex asse* dicitur, qui unus & solus totam hæreditatem accipit: *Hæres ex uncia* ille, cui cedit solummodo duodecima pars. *Hæredi ex sextanti* debebantur duæ uncia, & sic analogicè hæredes ex quadrante, ex triente, & ex quincunce instituebantur. *Vide Alex. lib. 1. cap. 1.*

Videntur Romani non habuisse plures quam duodecim filios politicos: quod si contingeret alicui esse viginti, octo ultimi censendi fuerant exhæredes. Ratio est, quia sicut ad hæreditatem indivisibilem tantummodò vocatur unus filius, sic etiam ad divisibilem solum erant vocandi duodecim maiores natu, & reliqui hæredes non erant; uncias enim voluerunt esse indivisibiles, ne nimia divisione omnes manerent pauperes. sic aliqui, licet alii aliter *Assẽm* exponant.

Communes hujus sæculi mores & leges nullum filium excludunt ab hæreditate divisibili, sed hanc iubent distribui æqualiter omnes inter nullo respectu habito aut ætatis aut sexus.

Resolutio à ratione.

519 Si hæreditatis naturam & ingenium consideremus, dicendum est non esse ex se indivisibilem moraliter, nec esse necessario dividendam; sed esse præsertim indifferentem. Ratio est, quia si ex naturã suã esset indivisibilis, nunquam illa æquitate divideretur; atqui in omnium opinione dividitur frequentissimè illa & inviolatã justitiã: ergo non est essentialiter indivisibilis. Hac eãdem ratione parum alteratã demonstrabitur, hæreditates non esse necessario dividendas; quia aliã iniquum esset jus Majoratum, & iniustæ leges de vinculandis bonis & titulis non dividendis; atqui nulla est provincia, quæ non habeat & conservet summã cum laude tales leges: ergo dicendum eas non observari juri naturæ morali; ac propterea

propterea addendum divisibilitatem non esse de essentiali conceptu hereditatis.

Igitur hanc hereditatem esse indivisibilem & illam divisibilem pendet a concordia legitima hominum, & publica institutione: quia Respublica prospiciens bono publico tenebitur determinare quomodo filij debeant majoribus defunctis succedere; & si semel legem instituerit, quam populus acceptet, standum erit illi legi.

320 Petis, Utra lex sit utilior, illane quae hereditates divisibiles esse decernit, an quae indivisibiles?

Prudenter dubitas, utra utilior bono publico sit, non utra sit aequior, quia utraque est aequè iusta, cum sit de re prorsus indifferenti, quae legi naturae morali nec consonat, nec dissentit. Nec valet dicere illa esse aequiora, quae sunt utiliora bono publico; quia negare Machiavelo non possumus multa esse aliquando utilia conservationi status publici, quae militant contra conscientiam. Pono exemplum. Invadunt Mauri Septem titulo religionis, incolumem servaturi, si defectionem faciat a fide & a fidelitate, delenturi si maneat fidelis Deo & Regi. Sanè in tali casu conservationi status publici utilior esset infidelitas, non tamen iustior; quia debebant Septem prius mori quam fidem Christianam abnegare.

Dico igitur utramque legem nocivam esse, si fuerit universaliter lata; utramque esse utilem, si invicem commisceantur.

321 *Primò*, si omnes hereditates essent indivisibiles, Respublica scateret pauperibus imò & mendicis, quia communiter loquendo raro hereditas civium est tanta, ut primogenitus possit congruam sustentationem fratribus designare: frequentius verò hereditatis portio sufficit ut filium adjuvet, ingenio, officio aut arte instructum.

Secundò, si omnes divisibiles essent Monarchia debilis & caret nervis Communitas. Nam si Regia hereditas divideretur inter filios, & istae portiones iterum distribuerentur inter nepotes, Potentissimo Regi succederent filij, Reguli, nepotes Principes, pronepotes aut abnepotes pauperes. Et tandem facta divisio-

ne Communitas contra Regis inimicos defendi non possit.

522 Ergo in Republica summa hereditas sit indivisibilis, ne ipsa Communitas in partes divisa labascet. Corona cedat Primogenito; fratribus alimenta assignantur; ipsi bona mobilia defuncti Regis, & si qua habebat, quae non pertinebant ad coronam, cedunt. imò & ipse ad publica officia digna suis personis, promoveatur: sic bono publico providebitur, quin ipsi miseri & pauperes maneat. Eget Respublica Primoribus opulentis ut possint servire Patriae cum splendore & autoritate in varijs occasionibus, aut in bello, aut in pace: ergò & in hereditas sit indivisibilis, quia alias splendor, autoritas, & opulentia conservari non poterunt. Primatum, ne per Ducum, Marchionum, Comitum, &c.) fratibus congrua alimenta assignantur ex Majoratus honore, ne ipsi pauperes maneat. Reliquo vulgo bonorum vinculatio interdicitur, & hereditates privatae inter propinquiores haeredes dividantur. His positis controversiam hanc Assertis sequentibus claram reddamus.

523 *PRIMUM. Nulla hereditas ab intrinseco & essentialiter petit dividi, aut petit non dividi. Patet ex supradictis.*

SECUNDUM. Respublica petit suam conservationem directè & per se appetitu innato morali: indirectè autem omnia, quae sunt necessariò requisita ad hanc conservationem. Tanti clara est, ut à nemine negari possit.

TERTIUM. Respublica innato morali appetitu postulat non dividi; Patet quia fortior est virtus unita, quam dispersa. Postulat habere Primores opulentos, qui tales conservari non poterunt, si illorum hereditates dividantur.

Majoratum numerum ratio praecise non determinat, demonstrat tamen dari vitiosa extrema. Laborat corpus physicum defectu & abundantia humorum; laborabit morale, si non habeat Primores sufficientes ad omnia munia publica, & legationes militares; laborabit identidem, si multos habeat; quia sicut non expedit quod in corpore humano omnis materia ad pedes confluat, sic nec expedit

quod gravet manus; tunc enim corpus robustum, cum humorum & materiae quantitas proportionantur. Non aliter de Republica philosophemur: corpus mysticum est, & laborabit capite, si omnis regni substantia ad id pertineat, ut apud aliquas nationes factum. Si Rex exorbitet, omnes ministros, omnes subditos laborare opus est; bene Poëta

Cum caput aegrotat, caetera membra dolent. Rex caput regni, Primates sunt publici Status manus, vulgus pedes; si regnum labore capite, ne unum quidem habeat membrum morbo liberum. Si manus regni esset plures pedibus, impediret se mutuo; si pedes, gravarent. Si manibus regnum careret, esset expositum summis periculis & non posset se ab adversarijs defendere.

Quid dicendum sit sublatis omnibus humanis legibus?

524 **I**nquiris; Qui deberent hereditatem adire filij hominis ex legis, qui ad nullam pertineret Republicam; vel saltem essent in Republica quae non haberet aut legem aut obligatorios mores in huiusmodi materia?

Respondeo in tali casu standum esse ultimo morientis decreto, qui ex causa rationabili posset aliquem exhaereditare, aut suo arbitrio dividere, ut pote verus dominus: quo nihil decernente, aut decernente sine causa, controvertunt curiosi qui debeant defuncti bona inter filios distribui.

525 **P**rima SENTENTIA asserit singulos in tali casu esse ex natura rei totum patrem moraliter, & singulos esse dominos in solidum totius hereditatis: habere tamen inter se aetatis (& fortè sexus) subordinationem, quam persuadent sic. Ideò filius est haeres patris, quia moraliter est unus cum patre; atqui prius fuit unus cum patre primogenitus, quam reliqui: ergò prius est haeres, ergò ipse habebit hereditatis dominium sine subordinatione, quod etiam fratres ipsius habebunt senioribus subordinatum. Non poterit senior interdiceret juniori hereditatis usum, poterit tamen ea uti etiam juniore invito, quia cum sit prior dominus, habet jus utendi prius quam alter,

& si rem corrumpat legitime corrumpit, quia si illa res esset pluries corruptibilis, senior haberet jus corrumpendi illam prius quam alius.

526 **S**ENTENTIA ALTERA subtilior est, & asserit, ex jure naturae morali non dari multos, sed unum haeredem moralem; quia unius patris non datur nisi una imago physica: additque omnes filios esse unum & eundem haeredem moraliter. Si haec opinio esset vera omnes hereditates essent indivisibiles, & filij singuli non essent haeredes in particulari, sed omnes simul in communi. Nullus haberet jus speciale corrumpendi, dandi, aut alienandi illam rem invitis reliquis, sed deberet ex omnium consilio.

527 Probatur haec sententia, & *primò*. Pater, qui habet sex filios, non afficitur sex paternitatibus, sed una, quae universos respicit, ergò ipsi sunt sex termini physici, & simplex terminus moraliter: Patet consequentia, quia omnes identificantur physice extrinsece in connotato, hoc est in patre.

528 *Secundò*. Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; atqui filius major & reliqui moraliter sunt una persona cum patre: ergò sunt una persona inter se. Major mihi est contingens, quia in Metaphysicis ostendo hanc non esse consequentiam infallibilem, *Identificantur uni tertio, ergò sunt identificata inter se*. Caeterum eadè major à pluribus admittitur, apud quos haec ratio fortissima esse debet.

529 *Tertiò*. Morièti fratri sine patre & liberis frater succedit: ergò quia erat una & eadè persona moraliter cum ipso, haeres enim & ipse qui physice moritur, sunt eadem persona moraliter. Fratres igitur, siquidè sunt una & eadè persona moraliter inter se, non sunt plures haeredes, sed unus haeres. Omnes igitur per modum unius communitatis debet succedere in bonis parentis.

530 *Quartò*. Familia est corpus politicum compositum membris moralibus; atqui sublato capite corporis physici, non dissolvuntur alia membra: ergò sublato è vivis patre, qui familiae est caput, ipsa conservabit eandem membrorum moralium connexionem, quam ante. Atqui ante patris obitum nullus filius habebat

dominium rerum in particulari : ergò nec postea *Confirmatur*, quoniam nec pater ipse est in speciali rerum dominus, quia proprietates pertinet ad totam familiam substantialem, quæ ex patre, matre & liberis componitur : in hoc enim distinguitur familia à famuliâ, quod familia sit Respublica connectens homines nexu intrinseco physico & substantiali, qualis est inter filios, patrem & uxorem : famuliâ autem, quæ aliàs familia accidentaliter dicitur, sit congregatio hominum facta quasi per accidens, famulorum enim & domini nulla est connectio naturalis.

HÆC SENTENTIA subtilis, non tamen solidissima est: subnititur rationibus, quibus possumus facili negotio satisfacere.

531 *Ad primam* concedo antecedens, & consequentiam nego. Ratio est, quia relatio non relativum, sed absolutum formaliter respicit; sex autem illi filij secundum suas entitates absolutas nullam habent identificationem moralem; quia hæc, ut supponitur in argumento, desumitur à connotato, filiorum autem absoluta entitas non afficitur aliquâ connotatione, quia aliàs non esset absoluta, sed relativa.

532 *Ad secundam* nego illud assumptum, quod quasi juratum ab omnibusque admittendum principium præmittitur; quia multa sunt, quæ identificantur tertio & realiter distinguuntur inter se; & ne exemplis gravemini, proponatur solum Trinitatis mysterium, in quo Paternitas & Filiatio identificantur uni & eidem Divinitati, & tamen realiter distinguuntur inter se.

Sed esto admittatur hoc assumptum, ut verum, inferant, Ergò, quia illi sex filij moraliter identificantur patri, identificantur moraliter inter sese: ergò prius sunt hæredes, quam identificentur, ergò pro illo priori non sunt unius hæres, sed plures. Probo consequentiam, esse hæredem formaliter consistit in identificatione morali defuncti & superstitis: atqui prius filij superstitis sunt una persona cum patre, quam identificentur inter se, ergò prius sunt hæredes patris quam dicantur

mutuò identificari. In illo igitur priori ostenduntur esse multi hæredes. Hæc solutio est fortissima, & altè memoriæ commendanda, quia in eo consistit præcipuum fundamentum hujus resolutionis.

Ad tertiam satisfacio ex dictis, non nego fratres esse unam personam moraliter, sed assero prius identificari patri quam sibi, ac propterea prius esse hæredes quam identificatos.

Ad quartam admitto omnia quæ in ratione præmittuntur, nego autem illam consequentiam, *Ergo nec postea*. Sanè mortuo patre fratrum identitas non dissolvitur, sed quid fieret argumentanti, si diceremus patrem non mori, quia licet physice moriatur, moraliter æternus est, vivit enim æternum in hæredibus, qui ab illo moraliter non distinguuntur, nõ quod ipsi identificentur illi tanquam alicui tertio; sed quod ille moraliter transubstantiet hæredes, & sub eorum accidentibus moraliter substantialiter maneat. *Præterea* si hoc argumentum aliquam vim haberet; probaret utique filios non esse hæredes, quia si est necessaria & legitima hæc consequentia, *Ante patris obitum nullus filius habebat dominium in particulari, aut in communi: ergò nec postea*. Si igitur filij post patris obitum carent rerum dominio tam privato & speciali, quam communi, qui dici potuerunt hæredes, maxime cum hæres ille sit, qui succedit alteri in jure & dominio?

Confirmatio supponit falsum, pater enim bonorum est absolutus dominus, quia si alicubi alienare non possit, hoc provenit non à rei natura, sed à jure speciali legitime lato & admissio.

535 *SED ET PRIMÆ* satisfaciam. Supponebat prius tempore identificari patri primogenitum quam filios reliquos, sed hoc falsum est, quia non identificatur cum nascitur, sed cum pater devivit, quia si pater æternus esset, non indigeret hujusmodi transubstantiatione à qua identitas illa suboritur. Potest dici primogenitus identificari prius, hoc est præstantius, dignius, quia tempore nobilior est: non autem potest dici tempore prius identificari.

Resolutio

Resolutio

536 **C**enseo secundam sententiam veram esse, & omnes filios esse eundem patrem, sed divisibiliter, unde ille qui ante mortem erat physice indivisibilis, fit moraliter vivens & divisibilis. Unde cum omnes filij sint eadem persona patris sequitur omnes habere idem dominium quod pater; cum autem filij sint una persona moralis divisibilis, hinc est quod habeant dominium divisibile.

Cum hæreditas divisibilis est, ratione ipsa distante, inter ipsos dividitur; nec contra æquitatem naturalem esset dare primogenito majorem partem, ut faciebant Hebræi ex dicto legis *Deut. 21*. quia in proportionem servatur æqualitas Geometrica: nec eidem naturali justitiæ obversaretur Arithmetica æqualitas, cum etiam probabiliter defendi posset in ratione imaginis & mortalis identitatis respectu patris omnes æquales esse.

Si lege aliter divisio hæreditatis instituitur, standum ipsi est; quia qui lege gravantur, cesserunt jure suo cum illam admiserunt, ac propterea non possunt de gravamine inflicto causari.

Si hæreditas sit indivisibilis, puta majoritas, aut vinculum, à lege humana hanc indivisibilitatem sortita, ab eadem cui debeatur. Iuxta Europæorum mores debetur primogenito, & si qua concomitentur divisibilia, distribui solent.

ARTICVLVS V.

An consanguinitas habeat magnitudinis terminos?

537 **S**I rem altè indagemus gradus consanguinitatis physice omni termino carent, unde Petrum & Ioannem triginta gradibus distare asserimus, aut aliàs quadraginta: moralem autem consanguinitatem terminos habere opus est; quia alias omnes essemus consanguinei, quod bono publico non expediret.

Termini consanguinitatis moralis necessario ponendi sunt, sed in quo gradu debet id prudentia decernere, sed non esset talis, si careret fundamentis quibus iuniretur.

Consanguinitas quid?

538 **F**avet ipsorum nominum consideratio, synonyma sunt hæc. *Consanguinitas*, *Cognatio*, *συγγενεια*, *συνγενεια*, *δραμονια*. Dicitur *consanguinitas*, quasi communis sanguinis unitas: imò qui ab eodem progenitore nati sunt *Cognati* nominantur. *Συγγενεια* autem sive *συγγενεια* (juxta varias scribendi opiniones eadem vox est) est idem ac communis genesis.

Distrahendo igitur à consanguinitate physica, moralis debet dividi in Carnalem, Spiritualem, & Legalem. *Cognatio* legalis lege civili est instituta, *Spiritualis* Ecclesiastica, *Carnalis* pendet ab ipsa rei natura, ut prudenter cognita, in hoc enim à physica distinguitur, quod physica sit consanguinitas secundum se, prout præcedit humanam opinionem, moralis est ipsa realis consanguinitas prout subest dictamini prudenti prescribenti gradus aliquos remotos boni publici causâ.

Cognitionis termini ad effectum matrimonij.

539 **C**ognitionis termini introducti sunt propter urgentes causas, quæ cum sint variæ, etiam varios effectus fortiantur necessarium est. Celeberrima est materia matrimonij, idè exponenda prius, quia est fundamentum juris hæreditarij.

Si agamus de cognitione carnis primò inquirendum est, an ex natura rei sint matrimonia irrita inter cognatos, an verò jure positivo.

Ratio, quæ communiter talia matrimonia condemnantur, hæc est. Natura postulat filios subijci patri, marito uxorem; atqui si non vitaretur consanguinitas, leges hujusmodi temerarentur, ergò consanguinitas debet in matrimonijs evitari. Minorem probant; quia si filius matrem duceret, temeraretur patria auctoritas; mater enim filio subesset, & si hæc maneret inviolata non posset non temerari connubiale jus naturale aut divinum, subijciens sceminam viri auctoritati. Consultò *naturale aut divinum* disjunctivè ponitur, quia ex rei naturâ uxor non sub-

R 2

est domi-

est dominio viri, sed est condolina, ipse si servire non debet sed condominari familiae, subordinatè tamen, nempe secundum prudentiam non propriam, sed mariti: in paradiso miserabiliter deliquit, & condemnata fuit divinitus subjectionis penà ab univerforuna Domino eam arbitrio & dominio mariti subijcienti. Fortia sunt illa verba, Gen. 3. 16. *Multiplicabo arumnas tuas & conceptus tuos; in dolore paries filios & sub potestate viri eris, & ipse dominabitur tui.* Ex hac enim condemnatione clarè colligitur in innocètià statu maritum non fuisse foeminae dominaturum.

Sanè, si hæc ratio admittatur prout exponitur ab adversarijs, probabit non observari naturali rerum ordini matrimonia contracta inter fratres, imò nec contractum inter patrem & filiam, quia tunc hæc esset subjecta duplici titulo (filiationis videlicet & matrimonij) quia per tale matrimonium non tolleretur debita subordinatio.

540 Præterea, qui historiam Adami & Evæ ignorant, aut non admittunt, si prudenter philosophentur uxorem mariti dominio non subijcient, & si uxor non sit marito subdita, cur non poterit eadem esse & conjux & mater?

Sed esto; sit uxor suo marito subdita jure naturæ, & statùs ipsius ingenio postulante, an repugnat eandem personam respectu ejusdem præponi & postponi, iubere & obedire, dominari & servire in diversis generibus. Si filius ad Reipublicæ factigium evedtus & Princeps factus patrem habeat: illi suberit in ordine cognationis, prærit in ordine civili: ergò similiter, si filius matrè duceret, ipsi præesset in ordine connubialis, subesset in ordine patriæ auctoritatis.

Nec proderit dicere utramque auctoritatem (patriam & connubialem) consanguinitatis esse; quia etiam utraque illa auctoritas (nempe patria & politica) moralis est & nihilominus compatiuntur in eodem subiecto. Ergo sicut sub eodem genere physico non opponuntur album & non dulce, neque dulce & non album; sic etiam nec opponi poterunt præminentia patriæ & non præminentia connubi-

alis, aut connubialis præminentia & carentia præminentia patriæ.

Patris & filij non fuisse contra legem 541 naturalem expressè docuerunt multi Ethnici, quorum historias quotidie legimus in varijs libris. Hiberni ingenio sunt felices & præcoces, habuerunt viros præclaros & doctos antequam Evangelium admitterent in sua idololatria fuerunt exacti, timorati, & solliciti, nihilominus aliquando publicà resolutione decretum licere filiam duci à patre. Historiam expendit Surius die Maià xv. ex Petro Cameracensi & alijs, asserens B. Dymnam pulcherrimam adolescentem Regis Hiberniæ filiam, & caelesti lumine illustratam nomen dedisse Christianæ Religioni. Mortuà matre in comitijs de Dymnæ sponso, Regis genero, imò futuro Rege tractabatur. Dilectæ filia Rex Monarcham tantà dignum Principe exoptabat. examinatur, controvertitur, disputatur, & tandem ex plurium suffragijs Conscripti Patres resolverunt, cuinam deberet nubere; & Legati belli & pacis doctissimi Regi anxio Concilij resolutionem infinuavir. Nos quidem, inquit, Invidiosissime Rex, Majestatis tuæ justis obtemperantes, nullum præter Te tantà Principe dignum reperire potuimus; & præter Dymnam, nullam est inter Principes dignam te conjugem. Si placet, jube illam tibi potius felici matrimonio conjugi. Placuit parenti resolutio, displicuit virgini, quæ sub initium dissimulans in Belgium profugit, ubi capitur, & in patriam redux cum constans remaneret ultimà sententià condemnatur.

Omitto hujus historiae circumstantias aliquas, licet dignissimas ponderatione. 542 Video tamen inter Hibernos supponi talia matrimonia esse licita, quia si ipsi sensissent illa jure naturæ, cui etiam in Gentilismo tenebantur, esse irrita, nullo modo decrevissent connubiam, nec insolenti decreto adquevissent Rex; aut saltem, ut vulgo satisfacerent, colore & prætextu juris excusassent. Præsumendum est igitur non fuisse insolens, quod decretum nullo contradicente.

Nec sufficit restitisse constanter Beatâ Principi-

Principem, quia ipsa Christiana erat, & in nostra Religione interduntur talia matrimonia. Imò hinc videtur deduci conjecturam aliquam in contrarium. Ideò Dymna corde virili restitit quia Christianis in primo gradu contrahere matrimonia non licet; ergò ideò Regis Confiliarij, imò & ipsemet Rex connubium hujusmodi instituerunt, quia in Religione idololatriâ permissibatur; forte eò collineantes ut illam longius à Christianismo averterent.

Sed omisis aliorum sententijs, quid tenendum sit aperiamus.

543 CONCLUSIO I. *Matrimonia inter avum & neptem, nepotem & aviam sunt valida jure naturæ; ita Sanchez lib. 7. d. 51. num. 19. Filiucius tract. 10. 2. parte c. 5. Bonacina quæst. 3. punct. 5. §. 1. num. 8. Sa verb. Matrimonij impedim. num. 4.*

544 CONCLUSIO II. *Connubia inter fratres sunt valida jure naturæ.* Hanc probabilem censet Basseus in *Floribus verb. Matrimonium. num. 24.* & alij. ego puto evidentem. Primi enim fratres non contraxerunt contra jus naturæ, & tamen matrimonium contraxisse de fide est. Nec juvat ad necessitatem extremam recurrere, quia rerum naturæ necessitatis violentiâ non mutantur.

545 CONCLUSIO III. *Matrimonium in primo gradu rectæ lineæ (puta patris & filia, filij & matris) irritum jure naturæ docent omnes.* subscribo, ne singularis videar, licet non reperiam rationem quæ persuadeat esse hoc impedimentum naturale. Si contingat Authores reperiri, qui negent, illis me adnumera, alias in sententia communi remaneamus dicentes esse contra naturæ jus, licet lumine naturæ consule non videatur aliquam habere repugnantiam. melius est enim intellectum in doctrinæ communis obsequium captivare, quam aperire novam viam in materia gravissima.

Sed statim Caramuelis scrupulum demiraris, quem scis non turbari cum solus vias novas frequentissimè ingreditur, & maxime in hoc Opere, quod totum novæ viæ aperiendæ & firmandæ conscribitur. Et respondeo pusillanimum esse, qui in scientijs naturalibus claras noti-

tias proprias alienis conjecturis postponit. Et quia multæ quæstiones in Theologia sunt, quæ mores non tangunt, etiam pusillanimum illum, quem aliena auctoritas moretur contra rationes solidas. At ubi de Sacramentorum valore, & conscientia securitate agitur, non tam liberè procedendum est. Esto nesciam, cur matrimonia patris & filia, filij & Matris debeant credi irrita jure naturæ, esto rationes fortes videantur mihi contrarium persuadere; facilius est unum quàm omnes Doctores errare; ideoque prudenter, ut opinor, doctrinæ communi subscribam, quamdiu non nisi solus ab illa discedere possim; quod si reperiam comites sufficientes, ut contraria sententia evadat authenticè probabilis, si illis adnumerer, dolerem esset in causa truci meus, quod illa probabilitate careret, ac ideò illicò eisdem subscriberem.

Consanguinitatis gradus in lege veteri.

546 **R**eperio varias sanctiones in festamento veteri graduum impedimenta designantes; impedimenta inquam, quæ dirimunt contractum & consummatum matrimonium.

Primò igitur decernitur matrimonium cum patre aut matre esse invalidum Levitici 18. 7. *Turpitudinem patris tui & turpitudinem matris tuæ non discooperies: mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus.*

Secundò annullatur contractum cum sorore. Ibidem vers. 9. *Turpitudinem sororis tuæ ex patre sive ex matre, quæ domi vel foris genita est, non revelabis.* Et cap. 20. 17. *Qui acceperit sororem suam filiam patris sui, vel filiam matris suæ & viderit turpitudinem ejus, illaque conspexerit fratris ignominiam; nefariam rem operati sunt, occidentur in conspectu populi sui.*

Tertiò cassatur matrimonium in initum cum nepte. Ibidem vers. 10. *Turpitudinem filia filij tui, vel neptis ex filia non revelabis, quia turpitudinis tua est.*

Quartò, consummatum cum materterâ & amitâ nullum esse exponitur vers. 12. *Turpitudinem sororis patris tui non discooperies, quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis, eò quod caro sit matris tuæ.* Assonat capituli 20. vers.

19. Turpitudinem matertera & amita tua non discooperies: qui hoc fecerint, ignominiam carnis suae nudabunt. portabunt ambo iniquitatem suam.

Multi putant fuisse etiam interdicta matrimonia cum patruo quia vers. 14. dicitur, Turpitudinem patris tui non revelabis, Sed haec verba conjungenda esse cum consequentibus, nec accedes ad uxorem ejus quae tibi affinitate conjungitur, colligitur ex Iudic. 1. 13. ubi Axa nupsit Otomieli patruo suo.

Gradus affinitatis in lege veteri.

547 **P**rimò non licuit contrahere cum novercâ, dirimente tales contractus sacrâ paginâ Levitici 18. vers. 8. Turpitudinem uxoris patris tui (hoc est novercæ) non discooperies, turpitudinem enim patris tui est. Hanc legem temeravit Absalon; ut constat ex 2. Reg. 20.

Secundò dirimitur cum uxore patris: constat ex vers. 14. cap. 18. iam citati: & confirmatur ex cap. 20. vers. 20. ubi dicitur, Qui coërit cum uxore patris vel avunculi sui, & revelaverit ignominiam cognationis suae, portabunt ambo peccatum suum.

Tertiò, cum sorore uxoris vers. 18. sororem uxoris tuae in pellicatum illius non admittes, nec revelabis turpitudinem ejus adhuc illâ vivente. Vbi notandum ex vi hujus sanctionis non interdici viro ducere sororem uxoris jam mortuae.

Quartò, interdicitur matrimonium cum nuru vers. 15. Turpitudinem nurus tuae non revelabis, quia uxor filij tui est, nec discooperies ignominiam ejus. VIOLAVERAT Absalon decem Patris concubinas; quas David amplius non cognovit, quia censabat eas esse quasi nurus. 2. Reg. 20.

Quintò, nemini licebat uxorem fratris adhuc superstitis, aut post suscitatum semen ducere. vers. 16. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudinem fratris tui est. & cap. 20. vers. 21. Qui duxerit uxorem fratris, rem facit illicitam. Hanc legem temeravit Herodes, & arguitur à Ioanne Baptistâ. Mortui fratris sine liberis uxorem tenebatur frater superstes ducere, ut constat ex Deuter. 23.

Sextò, interdicebatur conjugium cum filiâ uxoris, & cum uxoris nepte ex filio,

aut ex filiâ. Clarissima sunt illa verba vers. 17. Turpitudinem uxoris tuae & filiam ejus non revelabis; filiam filij ejus & filiam filiae illius non sumes, ut reveles ignominiam ejus, quia caro illius sunt, & talis coëtus incestus est & capitis 20. versu 14. Qui supra uxorem filiam duxerit matrem ejus scelus operatus est: vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri.

Præter istos gradus, reliqui omnes cognati ad matrimonij effectum censebantur consanguinei non esse. Ecce veros consanguinitatis termini à Lege antiquâ constituti; breviter etiam de terminis Lege Ecclesiasticâ constitutis apud orthodoxos Christianos differamus.

Cognitionis gradus in lege Catholica Romanâ.

548 **C**ognatio carnalis ultra gradum quartum non cognoscitur, sive linea sit recta, sive transversalis; Cap. non debet. de consang. Concilium Trident. sess. 24. de matr. can. 3. si duo inæqualiter distent, denominatio sumitur à gradu remotiore. C. finalis de consanguinit. Hinc est quod cognati, qui quinque gradibus distant, quoad matrimonij considerationem non sunt consanguinei moraliter, sed solum physice, quoniam moralis consanguinitas in ordine ad matrimonium non extenditur nisi per quatuor gradus. Hæc dixerim consulendo jus novum, scio enim antiquitus latius patuisse gradus consanguinitatis, unde Cap. nullum, & cap. aequaliter 33. quest. 3. ut notat Basseus in florib. verb. Matrim. num. 71. usque ad gradum septimum moralis consanguinitas extendebatur.

Gradus affinitatis.

549 **A**ffinitas definitur esse propinquitas personarum proveniens ex carnali copulâ, perfectâ licitâ aut illicitâ. Ita Doctor Angelicus in 4. dist. 41. quest. 1. art. 3. Filliucius tract. 10. 2. part. cap. 6. Reginaldus l. 31. num. 145. Sanchez lib. 7. disp. 64. Gutierrez de matrim. cap. 99. num. 6. Basseus in flor. verb. Matrim. num. 68. & alij

Carnalis copula perfecta est illa in quâ intra vas naturale vir & foemina seminatur.

Hinc

Hinc constat copulam ad contrahendam affinitatem debere talem esse, qualem requirit matrimoniû ut asseratur consummatum: ac propterea, non contrahi pollutione tactibus foemineis procuratâ; neque Spadonum concubitu; neque ex copulâ, in quâ vir non seminat licet seminet foemina, aut contra; neque ex sodomiticâ; neque ex habita cum muliere defunctâ. Ratio est, quia nullo ex his modis sequitur, aut sequi potest generatio. Ita Bonacina q. 3. part. 12. num. 12. Sanchez disp. 64. num. 10. Gutierrez cap. 54.

550 **E**xaminant authores an copulâ carnali in quâ deciditur semen tantum virile aut consummetur matrimonium, aut contrahatur affinitas? Questio potius medica quâ Theologica est, quia certum illud consummari & hanc contrahi illâ copulâ que sit sufficiens ad generationem. Vtrum semen foeminae sit requisitum necessariò, peti debet à Physicis. Horum teste Basseo ubi supra num. 70. communior sententia illud requiri affirmat, quibus in Metaphysicis subscribo.

Affinitas contracta licet nempe ex connubiali dirimit matrimonium eisdem gradibus, quibus carnalis consanguinitas, nempe olim usque ad septimum & nunc solummodo usque ad quartum. Concilium Tridentinum sess. 24. de matrim. cap. 4. Roderiq. 1. part. cap. 228. num. 4. Reginaldus lib. 31. num. 147. Filliucius tract. 10. 2. part. cap. 6.

Quæ autem contrahitur illicitè & extra matrimonium non se extendit ultra secundum gradum. Hinc est, quod maritus non possit ducere uxoris consanguineam in quarto gradu: possit autem ducere consanguineam in gradu tertio illius cum quâ est fornicatus.

551 **S**ed petis, Vtrum affinitas dirimat matrimonium ipso jure naturæ? Qui asserunt, levi fulciuntur fundamento, ac propterea negativam sententiam eligo, quam aptè Basseus vocat probabiliolem; & probosc. Sæpe Ecclesia dispensavit in primo gradu affinitatis, ergo potuit. Patet consequentia; quia aliàs diceretur excedere limites propriae autoritatis, quod esset manifesta iniuria. Tunc sic; Atqui, si affinitas ex naturâ sua matrimonium di-

rimeret, non posset Ecclesia dispensare; ergo. Minorem probo. Ecclesia non habet auctoritatem mutandi essentias rerum; ergo sicut non potest concedere quòd homo non sit rationalis, nõ poterit concedere, quòd summus affinitatis gradus matrimoniû nõ dirimat, si affinitas & matrimonium ex se & necessariò opponantur.

Ecclesiam dispensasse in primo affinitatis gradu dixi, dixerunt ante me Basseus verb. Matrim. num. 72. & alij, in quorum gratiam & confirmationem aliquas dispensationes recensere, quæ ab Ecclesia concessæ hodie inveniuntur authentice adnotatæ.

Duas sorores successivè duxit Emanoel Lusitanorum invictissimus Rex, Alexandro III. Pontifice Romano dispensante. Catharina Vxor fratris sine prole defuncti nupsit Henrico VIII. Angliæ Regi ex Iulij II. dispensatione.

De novercâ, cum sit in primo etiam gradu, est eadem omninò difficultas. Bellarminus contr. de Matrim. lib. 2. de imped. & ex eo Beyerlinckius in theatro, verbo Matrim. pag. 328. c. nunquam dispensatum fuisse ab Orthodoxâ Ecclesiâ credit: Basseus autem in florib. verb. Matrim. num. 72. [cito edit. prim.] non matrimonium solum, sed & matrimonia fuisse celebrata cum novercis ex dispensatione Ecclesiæ affirmat, sed non probat.

De spiritali cognitione.

552 **S**icut generatione corporea contrahitur consanguinitas, sic generatione spiritali, ex instituto mero Ecclesiæ, & solum in Baptismi & Confirmationis Sacramentis. Cognitionem spiritalis esse dicimus propinquitatem quandam personarum ex baptismo aut confirmatione consurgentem, & hoc ante ipsum matrimonium. ratio est, quia si illa sequatur non dirimit matrimonium præcedens. Gutierrez cap. 100. Filliucius tract. 10. 2. p. cap. 5. Reginaldus lib. 31. num. 148. Sanchez lib. 7. disp. 54. Bonacina quest. 3. p. 5. §. 2. Basseus verb. Matrim. num. 26.

Cognatio hæc spiritalis primò connectit baptizantem & paternos, non quidem inter se, sed cum baptizato, & hæc cognatio vocatur Paternitas spiritalis. Secundò

Secundò connectit baptizantem & paternos cum parentibus baptizati: & hæc vocatur *spiritualis compaternitas*. [Et eodem prorsus modo de confirmatione philosophaberis.]

Hæc cognatio spiritualis violatur, non verò transfunditur per copulam: quomobrem patrini possunt coniungi matrimonio, & conjuges possunt patrini esse. Constat ex declaratione Pij V. in bulla, *Cum illius vicem*. Rodericus tom. 1. cap. 229. Henriquez lib. 12. cap. 11.

De cognatione legali.

553 **L**egalitas cognatio est *propinquitus quarumdam personarum ex adoptione proveniens*. Adoptio autem est duplex, perfecta videlicet, & imperfecta. Per perfectam adoptatus transit in potestatem adoptantis, & redditur hæres necessarius & acquirit jus in legitimam ac si esset proprius filius. Per imperfectam adoptatus non transit in adoptantis potestatem, sed fit illius hæres, non quidem necessarius, sed si ab intestato devixerit.

Adoptionis solemnitates legales observare necesse est, quia aliàs non teneret hic favor, ubi tamen nullæ sint leges de adoptione, hujuscemodi favor pendebit ab acceptatione & concordia, firmata juramento aut contractu. sublatis enim legibus nulla solennitas requiritur ex naturâ rei. Coninck d. 32. dub. 3. num. 42. Reginaldus l. 31. num. 158. Bonacina *quæst.* 3. part. 5. §. 3. Sanchez lib. 7. *disp.* 63. n. 2. Bassus in *florib. verb. Matrim.* num. 33.

554 Hæc legalis cognatio contrahendum matrimonium impedit, & dirimit contractum, & extenditur hoc modo. Primò adoptans non potest contrahere cum adoptatâ, nec cum successoribus ejus usque ad quartam generationem. Secundò adoptans non potest ducere uxorem adoptati, nec adoptatus uxorem adoptantis. Tertio filij adoptantis non possunt ducere adoptatam, nec filia nubere adoptato, nisi aut moriatur adoptans, aut ipsi emancipentur. Bassus ubi supra. num. 35. ubi citat Cap. *Per. adoptionem.* 3. q. 3. cap. *diligere.* 30. *quæst.* 3. & Navarrum cap. 12. numero 45. & cap. *final. de adoptione.*

HINC CONSTAT consanguinitatem moralem in ordine ad matrimonium habere suos magnitudinis gradus, & ultra quartum non extendi; imò non semper quartum ipsum pertingere, ut vidimus. Sed de cognationis, adoptionis, & naturalizationis essentiâ etiam in alijs locis tracto.

De consanguinitatis terminis in ordine ad hereditatem.

555 **N**illus hæres necessarius matrimonio & adoptione ablati, idè postquam egimus de consanguinitate in ordine ad matrimonium & adoptionem, opus est ut agamus de eadem prout cum hereditate comparatur.

Filius imago naturalis suorum parentum moraliter ab ipsis non distinguitur; etiam avus identificatur moraliter nepoti, sed per filium, hoc est prius filio quam nepoti vel nepti. & sic in posterum per lineam rectam. Etiam omnes, qui in linea collateralis, sunt idem moraliter inter se; quia illorum materia aliquando fuit una realiter, ut ostendi superius. Ex rei naturâ ille est defuncti hæres, qui fuerit una persona cum illo in propinquiori gradu: sed petitur, An qui remotè à devivente distat (puta in vigesimo gradu) dicendus sit esse cum illo una & eadem persona moraliter? an verò hæc identificatio habeat suos virtualitatis & extensionis gradus, quos transire non liceat? Ago de hærede necessario; quia instituta hereditas potius videtur habere rationem donationis aut legationis, quam hereditatis.

556 Athenienses ante Solonis leges semper moriebantur ab intestato, & bona ad propinquiores deveniebant. Notavit Plutarchus in Solone. Et propterea in eorum sententiâ non habebat ullos terminos moralis consanguinitas, sed in infinitum protendebatur. Etiam apud Germanos asserente Alexandro lib. 6. cap. 10. testamenta condere non licebat; liberi enim ab intestato hereditatem adibant, & his deficientibus cognati propinquiores in quocumque gradu consanguinitatis. Testandi jus à Carolo Magno Saxonibus olim ereptum, à Ludovico Pio Imperatore restitutum est. Ælmilius libro tertio.

Solon

Solon sanctis prudentissimis legibus hæres necessarios absolute distinguit à necessarijs secundum quid. Hæres simpliciter & absolute necessarius ille est, qui sine causâ legitimâ ex hæres evadere non potest: hæres autem secundum quid, qui potest privari hereditate etiam sine causâ, sed ex hypothesi quòd directè aut indirectè non privetur, remanet hæres necessarius. Non privatur hereditate quoties ille cujus est hæres moritur ab intestato; privatur autem directè, cum expressis verbis ex hæres declaratur in testamento aut codicillo; indirectè verò, cum omnia bona alijs legantur. Voluit igitur Solon, solum filios esse simpliciter & absolute necessarios, qui sine gravi causâ ex hæres declarari non possent: reliquos consanguineos nullo termino graduum constituto, esse hæres imperfectos atque secundum quid. Ecce ad mentem Solonis necessaria consanguinitas non habet nisi unum simplicem gradum; imperfecta atque non-necessaria extenditur sine ullo termino.

Potest Respublica determinare cognationis gradus in ordine ad hereditatem privatam, tam in lineâ rectâ quam in collateralis, & ponere graduum determinatum limitem, ultra quem nemo consanguineus sive hæres dicatur. Potest, inquam, imò & debet tollendæ confusionis gratiâ: sed & fecisse asserit Bassus in *Florib. verb. Hereditas.* num. 2. Molinâ & Bonacinâ doctissimis viris citatis. *Deficientibus ascendentibus*, ait, *descendentibus, fratribus, & eorum filijs succedunt propinquiores per capita usque ad decimum gradum inclusive.* Cognati igitur qui undecim aut pluribus gradibus distiterint *κληρονομίως*, seu in ordine ad hereditatem, consanguinei non sunt; ergò eorum bona dicenda sunt carere hæredibus & cedere primò occupanti, ni lege publica aut fisco aut alij personæ applicentur.

557 Sed inquiris; Vtrum in Majoratibus & Coronis dicendi sint esse morales-consanguinei illi qui undecim gradibus distant à possessore? Qui responderet negativè, deberet addere Henricum IV. cognomento Magnum fuisse regni invasorem, & adhuc suppositâ lege Salicâ no-

stram Isabellam Claram Eugeniam aliàs legitimam Franciæ Reginam excludente ipsum illegitimè coronam usurpasse; ratio est, quia Henricus III. Franciæ & Polonia Rex, & Henricus IV. qui illi successit, habent communem progenitorem S. Ludovicum Galliæ Regem, à quo ille distabat undecim gradibus præcisè. Igitur si consanguinitas ultra decimum gradum nõ ascenderet, debuisset Gallia censi libera, posseq; Monarchâ eligere, si vellet; aut si maluisset, regimen universum mutare & induere Aristocraticum, aut quemcumq; alium modum gubernationis.

Cæterum cum successerit de facto Henricus, licet undecim gradibus ab altero Henrico sejunctus, quem ægrè admissum legimus ratione religionis, (imò nec admittendum fuisse ni abjuratâ hæresi ad fidem Catholicam reverteretur) non verò ob carentiam politicæ consanguinitatis, dicendum est in Galliæ coronâ vocari consanguineum propinquorem, licet ab ultimo possessore plusquam decem gradibus distet. Vix habemus notitiam alterius Monarchiæ quæ aliquando hereditario jure ad consanguineum gradus undecimi delata sit. cæterum cum etiam futuris temporibus debitores simus, non solum quæ de facto acciderunt, sed etiam quæ poterunt, examinabimus. Proderunt sequentes conclusiones.

PRIMA. *In institutione legitimâ Monarchiæ possunt leges qualescumque ferri de hereditate; nempe excludentes aut admittentes nothos & fæminas; vocantes proximiorum institutori aut ultimo possessori, & hoc sine ullo limite, aut gradibus determinatis.*

Monarchia instituitur non in quacumq; translatione, sed in ea quæ coronam adæquatè amortizat nemine justè reclamante.

559 Cum bello justo Regio aliqua acquiratur, pertinet ad victorem; exclusivè Rege & omnibus hæredibus antiquis deferretur ad posteros jure ferendo, ni subacta sit sub conditionibus, tunc enim ipsæ debent servari. PRIMO in tali casu poterit Victor Princeps, si nemini subditus, sancire ut succedatur in illo regno jure sanguinis; quam sanctionem esse prudentem ipsa rerum natura videtur acclamare, quia cum ipse sit penes quem est victæ regionis

regionis dispositio, videtur rationi consentaneum, ut præponat sibi propinquiores; ergo prudenter poterit præponere, si velit, nepotibus primogeniti filijs, filium suum secundum, quoniam secundus filius nepotibus proximior est. Hæc ratio propugnat æquitatem legis latæ à Muleyo-Mahomedo sub ann. Christi 1548. de qua egi in *Philippi Prudentis lib. 1. in Sebastiano, pag. 75.* quia si belli titulo aut alio Muleyus erat absolutus & exlex Marroci & Fezj Rex, potuit minores natu filios suos præponere primogeniti filij nepotibus. **SECUNDO**, si hæreditario juri successionem regionis subjugatæ supponeret, etiam prudenter ageret; quia hoc jus subest paucioribus inconvenientibus. **TERCIO**, si excluderet filias, justè excluderet; quia per filiarum successionem transeunt coronæ ad peregrinos; quorum imperium sicut minus gratum, sic minus aptum est; inconvenientia quæ Reipublicæ imminet, cui dominatur peregrinus expressit Ecclesiasticus cap. 11. *Admitte ad te alienigenam, ait, & subvertet te in turbine, & alienabit te à tuis proprijs, & expendi in Philippi lib. 5. disp. 8. num. 47.* Victor igitur Rex excludere peregrinos à regimine potest, & efficaciter faciet, qui foeminas à successione excludat, aut indicat, ut nubant indigenæ. Accinit Lusitanica lex, quam dedi in *mei Philippi lib. 2. quest. 1. art. 4. num. 7.* fertur à Rege Lamegi in Comitijs per hæc formalia verba. *Si Rex Portugallia non habuerit masculum & habuerit filiam, ista erit Regina postquam Rex fuerit mortuus de isto modo: non accipiet virum nisi de Portugal.* Isabella Magni Emmanolis filia excluderetur hæc lege, ni nupsisset viro de Portugal; sed debuit necessariò admitti, quia nupserrat Carolo V. viro Portugalensi, filio Philippi I. nepoti Maximilian I. Imperatoris, pronepoti Leonoræ Lusitanicæ Infantis, & abnepoti Eduardi I. Lusitanorum Regis. Vide *Philippi mei lib. 5. disp. 8. quest. 4. art. 1. num. 46.* Sanè prudentius foeminas à regni successione excluderem, quam permitterem nubere vasallo; nascuntur inconvenientia plurima in statu politico, si subsit al-

teri, quæ habenas regni moderatur; scætet miserrimis inconvenientibus status connubialis, cum conjux uxori debet obedire. Testimonio sit Scoticum illud regnum, quod matrimonio Regina Maria Stuard, & Henrici Stuard infelix fuit, controversijs afflictum, & tandem utroque privatum. Cum indigena Regnam ducit, vel coronatur Rex vel vasallus remanet. Si coronetur, jugum intolerabile imponitur ministris & populo, imperabit illis, qui eis obtemperabat; præerit qui heri comitabatur. similes autem Metamorphoses sine inconvenientibus non fiunt. Si non coronetur, sed maneat subditus ut antea, & solum sit Reginae maritus, qualia non accident? non deerunt, qui suadeant ipsi defectionem à debitâ fidelitate asserentes eum quæ Reginae maritum etiam Regem esse: quod esse falsum ostendi in *Philippi lib. 5. disp. 4. num. 41.* quid si ipse adquiescat? erunt bella intestina, & prodiones multæ sub colore æquitatis. Ioanna II. Siciliae Regina ducitur à Iacobo Borbonio Comite de la Marche, Ioannis Comitiss de la Marche & Catharinæ de vendosimâ filio; contractus verò connubialis inter alias conditiones, quæ mea non referunt, statuit, ne Rex Siciliae appellaretur. Consummatur matrimonium, & ambit Regis titulos; incipit esse exosus conjugi, ministris inimicus, vulgo molestus, & tandem propria vitæ consulens in Galliam transfugit, & Minorita factus dedit ansam Zoilo ut assereret, desperatione fieri nonnumquam Religiosos. Igitur, qui noluit peregrino obedire, excludant potiùs foeminas à successione, & vocent consanguineos. **QUARTO**, Princeps Victor potest sancire ne consanguinei vocentur ultra talem gradum lineæ rectæ aut transversæ. In regno Hispaniæ, ni aliæ leges & consuetudines faverent, consanguineis ultimi possessoris, lex. 2. tit. 6. part. 4. collaterales omnes gradus excluderet, dicit enim, *que el Señorio del Reyno heredasen siempre aquellos que viniesen por linea derecha.* Nempe, Regni domini illos hæredes esse, qui rectâ lineâ provenirent: non igitur qui transversali. Imò & lex secunda tit. 15. part. 2. in lineâ rectâ videtur

videtur cognoscere solum primû gradû, & nepotes excludere; id sonant ista verba, *Tubieron por derecho que el Señorio de Reyno no lo ubiese sino el Fijo despues de la muerte de su Padre.* hoc est; *Fuit jure sanctum ut præter filium ad nullum Regni corona deveniret, & hoc non nisi post mortem sui patris.* Consonat etiam litera Comitiorum Conimbricensium, quorum Protocolon extat Conimbricæ, ex quo noto hæc verba. *Segundo costume & leis de Hespanha dos filhos afora não pode soceder tal dignidade.* id est, *Ex consuetudine & legibus Hispaniæ, qui non sunt filij, non possunt succedere in tali dignitate.* Hæc leges aliter interpretandas esse ex contextu & moribus Hispaniæ docui in *Philippi lib. 5. disp. 4. num. 40. 41. & 86.* quæ si crudè intelligerentur, non omnino essent iniquæ, si futuros excluderet sibi subiectos; potest enim Monarchiæ institutor universos posteros suos excludere committendo populo electionem; & prudenter faceret, quia probabilis sententia fert utilius esse regno electionis jus quàm hæreditarium, & qui huic sententiæ subscriberet prudenter Monarchiam, quam instituebat, afficeret jure electionis.

Cum Respublica libera instituit Monarchiam, potest similiter creare sibi Principem, nempe eligendo aut unam solummodo personam, aut unam integram genealogiam, aut solum lineam rectam, aut qualitercumque censuerit expedire: est enim sui juris, & quæ potest nemini subesse, potest si malit eligere cui subsit, statutis conditionibus, quas consentaneas judicaverit.

SECUNDA. Post Monarchiæ institutionem, si jura de successione alterentur, solum obligabunt subditos, & hos sine præjudicio juris jam acquisiti; non verò illos qui corona non subsunt.

Verbi gratiâ, Esto lex lata in Comitiss Lusitanicis sub Henrico Cardinali Rege per hæc verba; *Esto expers corona Lusitanica, extra Vlyssiponem nati.* Hæc lex non excluderet Philippum II. Castellæ Regem; quia is non tenebatur Lusitanicis Comitiss nec Henrico obedire; ac ideo non obstante hæc lege deberet succedere in corona. Excluderentur autem hac

lege omnes nondum nati Regum filij, subditi eidem coronæ. Ratio est, quia in hoc distinguuntur leges à privilegijs & condemnationibus, quia leges non habent potentiam ad præteritum, quàm privilegijs & condemnationibus concedo. Iniqua esset hæc lex; *Plectantur capite qui intrarunt heri in forum;* quia intrare in forum, bonum aut indifferens fuit, nec potest lege sequenti malum reddi. Esset iusta si dirigeret actus futuros & diceret, *Plectantur capite qui cras adierint forum.* Privilegijs & condemnationibus posse adtingi & mutari præterita, constat ex legitimatione & exhæredatione. Illa quidem privilegium est, & concedit quod à parentibus conjunctis matrimonio sis moraliter natus, licet physicè natus sis à solutis: hæc condemnatio est, & qui exhæres exponeris, declararis non esse moraliter illius hominis filius, qui te physicè genuit: ubi bene Iurisperiti retrahunt jura dicunt & ipsa præterita mutare.

Præterea, non posse invitos & sine causa à corona excludi novâ lege, qui habebant jam adquisitum jus in regnum ex vi legum priorum, constat clarissimè, quia nulla lex nova potest spoliare aliquem bonis proprijs sine causa legitima; ergo nec jure jam adquisito: atqui oriundi ex Portugaliæ Regibus legibus Lusitanis subditi licet non essent nati Vlyssipone, habebant de facto jus in regnum; ergo non deberent ante sententiam sine causa damnari.

Maneat igitur ratum utramque conclusionem esse veram, legesque solum esse regulam operationum futurarum; cumque Monarchiæ institutionem nullum jus præcedat, hinc est quod omnia successionum jura institutio determinet; hinc etiam est jure novo non posse sine causa illos declarari exhæredes, qui ex vi juris antiqui habebant jus in regnum de facto ante juris novi lationem. Consulto sine causa dixi; quia si detur sufficiens, non minus Princeps primogenitus, quàm privatus homuncio potest exhæredari, nempe ob crimè commissum post legem, quæ decernebat talem pœnam.

DISPUT. V.

An Naturalizatione adquiratur dominium?

562 **S**UNT in provincijs, urbibus, pagis, multa bona communia (puta, Sylva, fontes, pascua.) Illarum arbores indigenæ cadere possunt, peregrini non possunt: illos exteri adire non possunt: ista oves & pecudes peregrinorum non tenentur admittere. Dico igitur Antonium hominem peregrinum solâ naturalizatione fieri sylvarum, fontium, pascuorum & reliquarum rerum omnium communium dominum. Est igitur indigena, natus in tali territorio; & quod natus inibi sit, illius territorij naturalis vocatur. Naturalizatus; qui natus alibi obtinuit privilegium, ut ita se habeat, ac si ibi natus esset. Ponamus exemplum, ut clarior hæc doctrina evadat. Lege Hispanicâ peregrini v. g. à talibus & talibus officijs & ministerijs arceantur; talibus privilegijs fruuntur indigenæ: Anselmus natione Romanus, nec ad illa munia admittitur, nec hisce fruitur privilegijs. Caterùm si concedatur ipsi ut Hispanus sit, ita se habebit ac si Hispanus esset, ita ac si indigena; ad illa officia poterit promoveri, ad quæ Hispani; & illis uti poterit privilegijs, quibus Hispani utuntur, nullâ habitâ nationis differentiâ.

De Polygenijs.

563 **S**ic Græcè vocantur, qui linguâ vulgari Genisari. qui ex alienigenis in aliqua regione nati. Puta, qui ex Hispanis in Belgio, aut qui ex Belgis nascuntur in Hispania. Si leges respiciamus, omnes illis favent, & melioris conditionis dicuntur illis qui ad unam solam patriam pertinent; sed si hominum mores, omninò miserabiles sunt. Si ex Belgis in Hispania sis natus, aut in Belgio ex Hispanis, censeberis Belga inter Hispanos, Hispanus inter Belgas; & eris apud titulosque exteri & peregrinus. Si parentum alius sit Belga, Hispanus alius, gravius adhuc discrimen incurrès; & ubicumque sis, minoris fies quàm indigenæ, difficilius promoveberis, & tamen habere

majora privilegia dicèris, & cum omnia obtinere posse censearis, ab omni officio proscribèris. Ergò si prudens sis, ne duas patrias, ne duas regiones adfectes. congruentem elige, & alteram ut potueris oblitera, ne duos insequens lepores neutrum capias.

De Exnaturalizatione.

564 **C**um aliquis exnaturalizatur, ita se habet ac si tali regione aut oppido natus non esset. & aliquando est favor, aliquando supplicium. Supplicium, cum à fidei patriâ indignus propter delicta expungitur: favor, cum à rebelli & indignâ ad nobilem & illustrem propter egregiâ acta transfertur. Videtur exnaturalizatio ipsâ proscritione severior; proscriptus enim in exilium missus, indignus patriâ declaratur; & tamen tametsi malus, manet filius. at expunctus à filiatione ipsâ civili excidit, & in posterum filius non est.

565 Sed inquiris, Debeatne exnaturalizatio naturali zationi ipsi præmitti? hoc est, An nemo possit in novâ naturalizari regione, quin in alterâ sit exnaturalizatus? clariùs, An donari aliquis possit civitate Romanâ, quin expunctus sit à civitate in quâ fuit natus?

Respondeo primò, non videri impossibile aliquam habere duas vel multas patrias; alteram nativitatis titulo, alteram titulo privilegij. Et si objicias, Oportere eo de moralibus philosophari moraliter modo, quo de physicis physicè: cumque nemo possit habere plures patrias physicè, nec habiturum esse multas moraliter. Ego objectioni admittendo res omnes morales esse physicis omnino parallelas; addendo esse impossibile hominem habere plures patrias morales si verum sit quod multas físicas habere non possit. caterùm cur non possit multas patrias físicas habere, non scio. Omitto hominem posse esse Parisijs genitum, Madriti natum; quia leges plus concedunt nativitati quàm genesi; & agendo de ipsâmet nativitate reali & physicâ, hominem posse nasci in diversis locis ostendo. Mater grâvida Divinâ virtute in multis locis (puta, Parisijs, Romæ, Pragæ, Ormusij) replicetur: an non in omnibus his pariet locis non

non enim est major ratio, cur potius in uno quàm in alio. proles ergo in multis simul & distantissimis locis nascetur. Nec juvabit casus possibilitatem negare, mihi enim corporum replicatio Deo possibile est, & debeo ex proprijs fundamentis procedere; nec proderit talem corporis replicationem sine miraculo fieri non posse, bene enim ad miracula recurritur, ut rerum naturæ nascantur, has enim Deus mutare non potest.

Secundò ex hypothesi, quod non possit quis duas patrias simul (physicas vel morales) habere, adhuc dicendum est ex-corporationem non requiri, nisi personaliter obnoxius sit patriæ, quia alibi incorporatur. Ut hoc altius intelligas, adnotato, alios vasallos teneri suis Principibus ratione bonorum, alios ratione personarum. Prior obligatio, solâ bonorum derelictione aut donatione dissolvitur, at posterior licentiam superioris requirit.

DISPUT. VI.

An Repræsentatione, rerum dominium adquiratur?

566 **D**E hæc materiâ in mei Philippi lib. 5. disp. 4. num. 89. & disp. 5. num. 18. & disp. 6. num. 10. & disp. 8. quest. 2. per totam. Et quia ibi multa ad Iuristarum mentem, hic ne videar rescribere illa expendam, quæ videntur jus naturale ipsum concernere.

Est ergò Repræsentio, identitas moralis personarum repræsentantis & repræsentatæ. vel ut citatæ disputationis octavæ num. 14. definivi, Repræsentationis beneficium (sic dicitur) est fictio quæpiam Metaphysica, & veritas rata moralis. Id enim patrem & filium, aliàs realiter distinctos, moraliter identificat; ideoque, qui aliàs essent duæ hypostases, ununtur hypostaticè, & fiunt una persona, & hoc, in sensu morali & politico, non verò in sensu naturali.

567 Sed quia hæc identificatio potest fieri trifariam, nempe vel per unionem hypostaticam duarum naturarum in unâ & eadem personalitate: vel per identificationem duarum personarum: vel per transubstantiationem moralem. Subtili rerum

examine studens inquiris, quonam ex his modis filius idem sit cum patre, cum asseritur illum repræsentare.

Respondeo omnes tres probabiliter defendi posse, & asseri ex repræsentationis beneficio resultare, quod ita filius identificetur patri mortuo, ut sit verum dicere hic vir, designato Philippo Prudenti, est virtualiter seu moraliter Carolus V. hoc est, non est quidè realiter Carolus V. sed ita se habet quoad jus in regna Hispaniæ ac si realiter Carolus V. esset.

568 Repræsentationem esse identificationem virtualement duarum personarum realiter distinctarum, eo modo quo identificatur in multorum sententia animal & rationale, & identificarentur Petrus & Paulus, si inter illos unio intercederet illi similis, quæ est inter ipsum animal & rationale; aut tandem, ut identificantur individua angelica in opinione illorum, qui dicunt idè non posse dari duo distincta numero, quia sub unaquaque specie sunt omnia individua identificata; aut tandè clariùs, ut partes distinctæ continui in opinione illorum, qui existimant eas realiter identificari; ac propterea esse quandam realem identificationem, sic ostende. Ex repræsentationis beneficio non habet Philippus Prudens, quod non sit Philippus, sed acquirit quod moraliter virtualiter sit Carolus V. ergò quod simul sit duæ personæ: atqui hoc non potest habere per transubstantiationem moralem, quia in hac non dantur simul duæ substantiæ; neque per unionem hypostaticam, quia in illa non dantur duæ personæ: ergò debet hoc habere per moralem continuationem. [Hanc moralis continuationis ideam videbantur habere Nestoriani, quorum multi, ut hæreticorum mos est, loquentes cum Catholicis hæresin Magistri retinuerunt. Verbum & Iesum duas esse personas realiter distinctas asserbant, & moraliter identificatas; Iesus enim tot favoribus & prærogativis fuit divinitus præditus, ut Verbum intimè repræsentaret, & ita se haberet, cum purus esset homo, ac si esset purus Deus: at hic error jam est obsoletus & cum suis sepultus authoribus.]

Eandem Repræsentationem moralem 569 transub-

transubstantiationem esse, illi omnino similem, quâ in physicis tota panis & vini substantia transit in corpus & sanguinem Domini manentibus solis accidentibus. vel in moralibus signum transit in rem significatam manentibus solis accidentibus oculo vel aure (prout signum visibile vel audibile sit) perceptibilibus, videretur sic suaderi posse. Quia cum filius adit hæreditatem avi quod patrem repræsentet, filius repræsentans & pater repræsentatus non sunt duæ personæ morales, nequidem moraliter identificatæ, sed filius expens filij personam & paternam induens in patrem virtualiter transubstantiatur; ex cujus virtualis transubstantiationis vi, ita se habet, ac si realiter transubstantiaretur: quia tamen personam filij realiter retineat, videtur eam moraliter & virtualiter amittere, ita enim se habet ad effectum hæreditatis ac si filius non esset, eam adit ratione patris. verbi gratiâ Petrus habeat filios Antonium & Anselmum, & hic ante patrem devivens habeat Franciscum & Hipolytum mortuo postea Petro adeunt hæreditatem Antonius, Franciscus & Hipolytus, non quidem ut tres hæredes, sed ut duo; quia Antonius est alter hæres, Franciscus & Hipolytus Anselmum repræsentantes in eum transubstantiantur moraliter, & omnem pluralitatem exuunt: ergo virtualiter non retinent proprias personas; patet, quia ipsæ plures, & ad finem hæreditatis solùm una.

Repræsentationem tandem posse per modum unionis hypostaticæ exponi suadetur si rationes superius adductas consideres. Pater repræsentatus & filius repræsentans sunt duo extrema moralia; quia aliâ non intercederet relatio, hæc enim nõ nisi inter duo extrema reperitur. atqui non sunt duæ personæ morales, ut suadebatur, cum & transubstantiatio ipsa virtualis, ergo sunt una & simplex persona virtualiter. Atqui duæ substantiæ in unâ & simplici personâ, nequeunt aliter reperiri, quam per unionem hypostaticam: ergo in repræsentatione datur unio hypostatica moralis.

570 Tametsi omnes tres isti modi sint plausibiles, vero similes, à me diversis occasio-

nibus pro incidentiâ temporis voce propugnatis, semper mente concepimus secundum probabiliorē esse; idēque existimo nullâ viâ repræsentationem posse melius quàm per virtuales transubstantiationem exponi. Sed & argumenta omnia solvi possunt, satisfaciemus tamē pro primo & tertio modo militantibus, ut nostra sententia ipsorum solutione firmetur.

Ad argumentum pro primo modo militans respondeo illa verba *exrepræsentationis beneficio non habet Philippus Prudens quod nõ sit Philippus, esse falsa*; quia ut constat ex superius dictis, persona repræsentans exuit se moraliter, & in repræsentatam convertitur; unde vel non datur repræsentatio, vel virtualis desinitio personæ repræsentantis admittenda est.

Ad argumentum verò, quod militat pro ultimo modo respondeo bene dari relationem inter duo extrema non coexistentia, qualis prioris & posterioris est, conversi & convertentis, nam sicut est verum dicere, quod panis in corpus Christi realiter transeat, non tamen quod realiter illi coexistat; sic etiam erit verum dicere quod persona filij virtualiter transiverit in personam patris, non verò quod realiter coexistat.

DISPVT. VII.

An etiam Legitimatione dominium acquiratur?

571 **V**IRVM datur potentia physica ad præteritum examinant Philosophi & Theologi; illi dum humanas, hi dum examinant vires divinas. Sanè Legitimationis conceptus sine potentia ad præteritum intelligi non potest, & videtur potentiam physicam ad præteritum clarissimè convincere, nam si oportet de moralibus ut de physicis philosophari, qui potentiam moralem ad præteritum necessariò admittes, cur physicam negabis? Legitimatio igitur, si quiditativè definiatur, erit privilegium exercens potentiam moralem in præteritum, & nothi parentes fortè iam mortuos, virtuali matrimonio conjungens. Singula verba dicetaremus. Privilegium dicitur, est enim gratia à Republicâ vel Rege concessa, quæ

quæ nullo titulo debetur. potentiam moralem in præteritum exercere dicitur, quia cum hoc privilegium moralis sit entitas, non nisi moralem activitatem habere poterit. hanc autem exercet in præteritum, quia sæpe in defunctos; & si in vivos, illis concedens quod habuerint olim quod de factis non habuerunt, videlicet vinculum legitimi matrimonij, Nothi parentes virtuali matrimonio conjungit; virtuali quidem, quia ex vi hujus privilegij, non erit verum eos reverà fuisse conjugatos, sed fuisse conjugatos virtualiter; hoc est, non fuisse quidem reverà, sed ita ex particulari privilegio se habere, ac si fuissent.

572 Nec hæc moralis aut virtualis potentia ad præteritum peculiaris est in legitimatione, in multis enim rebus reperitur. In adoptione, illi, qui verè à Paulo non fuit genitus, conceditur ut virtualiter ab illo sit genitus; hoc est, ita se habeat ac si reverà fuisset ab illo genitus. Eadem vires in veniâ cognoscimus; illi enim, qui verè peccavit cum humanitatis concedi non possit, quod non peccaverit, quod ita se habeat ac si reverà non peccaverit indulgetur; ergo cum venia, tunc etiam peccatori quod virtualiter non peccaverit, videtur concedi.

Legitimationis virtute nothus ita se habebit ac si esset filius, cumque filius sit hæres, ille etiam erit hæres. concedit igitur legitimatio omnium illarum rerum dominium quæ vera filiatio concederet, est enim filiatio virtualis, sed quia legum favore subsistit, oportet legitibus humanis regulari. Sunt enim provintia quæ legitimatis majora, sunt etiam quæ minora privilegia concedunt.

DISPVT. VIII.

An verum dominium transferri possit Adoptione?

573 **L**EGITIMATIO in filium legitimum convertit nothum, peregrinum. Adoptio, quæ ut Canonistæ omnes definiunt, est extranea personæ in filium adsumptio. Ita D. Thomas in 4. sent. dist. 42. quæst. 2. art. 1. & ferè omnes. Si debeamus quiditatem & formalem effe-

ctum adoptionis exprimere, dicemus adoptionem esse moralem generationem, quâ posita resultat in adoptante moralis paternitas, & in adoptato filio etiam moralis. Generatio autem moralis est origo moralis personæ intellectualis à personâ intellectuali in similitudinem moralis naturæ. Nomen personæ intellectualis potius quam hominis assumpti, quoniam Deo quâ Deo competit adoptare, & sub hac consideratione homo nõ est, nec esse potest. Cum autem Deus nos adoptat, non est dicendus esse pater adoptivus metaphoricè; ut putavit Beyerhincius in theatri literâ A. 98. b. sed esse rigorosè adoptivus pater, imò ratio adoptionis activè perfectiùs reperitur in Deo quàm in creaturis, ut suo loco ostendemus. Identificationem moralem in adoptione non negabit qui admittat adoptatum fieri moralem filium, & ipsi competere moraliter quidquid filio physico ratione filiationis convenit; nam patrem & filium esse unam & eandem personam moraliter ostendi superius. Sed & dominij identitatem concedere necessarium est, saltem quoad illam hæreditatis partem ad quam adoptantur. Vivente patre filius non est eadem persona moraliter cum patre, sed erit, posita circumstantiâ obitu, sic similiter patre superstito non habet dominium in bona parentis, sed necessario habebit si post patrem moriatur.

574 *Dico*, hoc ultimum non bene statui; quia potest contingere quod justis ex causis declaretur exhæres; ergo in tali casu non succedet patri in dominio, quantumvis supervivat patri. Respondeo non esse possibile quod exhæres supervivat moraliter patri, quia ipsamet exhæredatio civilis mors est, unde si Petrus Ioannem filium suum exhæredet, occidit moraliter, & remanebit Ioannes quidam, qui non sit filius Petri moraliter.

563 Hanc identificationem virtuales probat ipsummet adoptionis vocabulum, græcè enim *θεοις*, hoc est *positio* dicitur; quia adoptionis beneficio supponitur adoptatum esse verum adoptantis filium, & postea ut talem ab omnibus iri tractatum. Proderit videre adoptionis formulam, quâ teste Gellio lib. 5. cap. 19. utebantur veteres,

veteres. Procurator populi dicebat à partibus sollicitatus; *Velitis, jubeatis. ut L. Valerius L. Titio tam jure legeque filius fiet, quam si ex eo patre matreque familia ejus natus esset: utique ei vita necisque in eum potestas fiet, uti pariendo filio est. hoc ita, ut dixi, Vos Quirites, rogo.*

576 Adoptio est duplex, nempe Mancipatio & Arrogatio. Mancipatio, contractus est, quo Ioannes pater Petri cedit Francisco ipsummet Petrum in filium; ex cuius contractus vi, incipit Petrus non esse filius moralis Ioannis, sed Francisci. Hic contractus *Emptio* solebat dici, quia adoptans pretio aliis (hoc est hereditatis integræ) filium à reali patre emebat. Augustus Cæsar Caium & Lucium adoptavit domi per assem & libram emptos à patre Agrippâ. Suetonius. Arrogatio est cum aliquis emancipatus, qui sui juris aut morte parentum, aut superiori legitimâ quâcumque auctoritate, effectus est, arrogatur ab aliquâ personâ in filium. Utraque adoptio, ut perennis sit, debet non opponi legibus & sanctionibus publicis. Apud Romanos fiebat solenniter, Mancipatio per Prætorem, & per populum. Arrogatio: quæ auctoritate publicâ factæ; adnullari & cassari non poterant. Vbi non suppetebat publica & politica lex, jurejurando utraque pars adstringebatur institutore Q. Mutio apud Ethnicos Pontifice Maximo.

57 Iterum dividitur Adoptio secundum personas adoptantes. Adoptat Galba Cæsar persona realis Pisonem nobilem adolescentem, quem maximopere dilexit, asserente Tacito. Adoptat etiam Respublica, quæ persona est moralis, aliquem, cum concedit ut in posterum sit illius Reipublicæ. Hæc autem adoptio alias fit à Reipublicæ capite, alias ab ipsâ met Republicâ, & hoc juxta varias leges. Ex rei naturâ ab ipsâ Republica adoptari debent, qui in membra mystica admittuntur; Principi licet adoptare in Rempublicam, cum vel victor est & victis præfidet, vel aliâ cum Respublica in Principis decretum compromittit.

578 Adoptio publica, est quadruplex: Monarchica, Provincialis, Urbica, & Genealogica. Monarchicâ adoptaberis in re-

gnum, & dicitur *Naturalizatio*, hujus beneficio conceditur Arnulpho verbi gratia esse moraliter natum in Hispaniâ, hoc est, ita se habere ac si physicè in nostrâ Hispaniâ natus fuisset. si hæc naturalizatio non ad totum regnum, sed ad provinciam extendatur adoptio provincialis est: puta, si Petrus adoptaretur in Castellam, verè moraliter Castellanus esset, sed ex vi hujus adoptionis Lusitanus non esset. Donari tali civitate dicuntur, qui in eam adoptantur. Et tandem tali donari familiâ dicuntur, qui decreto publico tali familiæ incorporantur.

Requisita in adoptante qualitates.

579 **M**ultæ requiruntur, ut Adoptio hodie teneat; sed hæc non sunt cum Adoptione necessariò connexæ, sed ex sanctione humanâ. Stando juri positivo requiritur *Frimò*, quòd sint sui juris adoptans, & mancipans in mancipatione; & in arrogatione arrogans & arrogatus. Ratio est, quia mancipatio contractus est quidam initus inter adoptantem & realem patrem adoptati, atque ideò opus est ut contrahentes sint liberi & emancipati, unde si alter sui juris nondum sit, adoptio erit invalida. Ut aliquis sui juris esse dicatur, debet supponi habere saltem politice usû rationis: quia fatui & phrænetici ex rei naturâ debent subijci alterius potestati. *Secundò*, requiritur, ut adoptans sit major viginti quinque annis, & excedat adoptatum decem octo annis. *Tertiò*, ut adoptans non sit fœmina. *Quartò*, ut adoptans habeat potentiam naturalem ad generandum, licet morbo impeditam. *His positis* quicumque potest adoptare licet sit Presbyter. Constant omnia ex Institut. de adoptione. Sanchez lib. 7. d. 63. num. 3. Sylvester verb. *Adoptio*. num. 1. Bonacina *quest.* 3. p. 5. §. 3. num. 3. Balseus in *florib.* verb. *Matrim.* num. 34.

580 Ut quispiam per mancipationem adoptetur, præsentia realis exigitur, sed nihil aliud adoptari enim potest puer, puella, fatuus, phræneticus, spado.

Ut arrogetur aliquis, petitur quòd habeat usum rationis politicæ, hoc sonat illa vox *Vesticeps* quæ in legibus ponitur, indumenta enim puerorum non vocabantur vestes,

tur vestes, vestes enim dabantur ex pueritiâ civili ad civilem juventutem promotis.

Verè appetitu innato morali adoptio postulat illa omnia, sine quibus consistere non potest: talia sunt, libertas intrinseca & extrinseca; nempe illa, quæ in prudentiâ consistit, & quæ in emancipatione. Cæteræ autem circumstantiæ non sunt omninò necessariae, sed solum ex obligatoriæ legis suppositione: quia stando rationi & ab omni lege præscindendo, cur non posset viginti annorum adolescens aliquem adoptare? cur non junior ipsomet adoptato? Dicunt Authores ideò requiri ætatem viginti quinque annorum, quia nemo potest ante illam ætatem habere filium ratione utentem. Sed hæc ratio non sufficit, quia etiam Prælati Monastici Pater est, non tamè requiritur ex rei naturâ tanta ætas, nec debet esse octodecim annis major suis filiis, ergò nec pater adoptivus, vel qui contrarium sentiat, ostendat aliquam disparitatem intrinsecam necessariò ex morali quidditate emanantem.

581 Illud, quòd de sexu legibus statuitur, omninò voluntarium est, & posset, si placeret Reipublicæ, oppositum statui. Non repugnat fœminæ adoptare: imò de facto adoptavisse constat ex historijs sequentibus.

Plotina Trajani Imperatoris uxor, Dione asserente, Adrianum adoptavit, ut patuit ex literis Senatui præsentatis, quibus non Trajanus sed Plotina subscripsit.

Margarita Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ Regina jam senescens Ericum Pomeraniæ Ducem adoptavit. Cranzius lib. 10. Saxonia cap. 16. & lib. 8. Daniæ cap. 1.

Quòd esse commune constat ex omnium Gentilium opinione asserentium Herculem à Junone adoptatum; quos si homines crediderunt, concedent mihi pueros à fœminâ posse suscipi in adoptivos filios; si Deos, concedent sexum fœmineum & adoptionem activam non esse impossibiles, quia nec Deus conjungere potest repugnantia.

582 Spadones lege humanâ excluduntur ab adoptandi potestate; sed si res bene

examinetur, non suppetit ratio quæ persuadeat adoptionem illis esse necessariò negandam. Imò si rationes queramus, reperiemus non solum non repugnare Spadonibus adoptionem activam, sed quodammodo ipsis potius debere competere quàm alijs: & probo. Repræsentationis beneficium fuit inventum, ut homines qui physicè vivere æternum non poterant, moraliter æternum viverent; tutores, ut pupilli qui physicè discurre in infantiâ non poterant, moraliter, hoc est, tutorum intellectu discurrerent; exploratores, ut illa quæ Dux physicè videre non potest, moraliter oculis exploratorum videat. Adoptio igitur debuisset institui, ut ille, qui physicè generare non potest, moraliter gignat. Ergo stando naturæ & conceptui rerum intrinseco, jus adoptandi potius habentibus potentiam generativam, quàm carentibus deberet interdici.

Lege statuitur ne absens adoptetur, sed hæc lex non est omninò necessaria; quia si maluisset Legislator, potuisset indicere ut soli absentes fierent adoptivi.

Nerva Imperator, M. Vlpium Trajanum, virum externum, nullâ sibi affinitatis aut consanguinitatis ratione conjunctum, suspexit, coluit, & propter egregia facinora & præclara gesta tanti fecit, ut illum in Germaniâ degentem in Romano Capitolio adoptaverit. Ecce absens erat, extraneus, peregrinus, nihilominus in Germaniâ ipsa jura, insignia, & titulos imperij admisit, & Nervæ Epistolam, quæ ex Cuspiani, Sexti Aurelij, & aliorum sententiâ concipiebat hoc carmen, *Talis Phæbe tuis lachrymas ulciscere nostras.*

Adrianus præterea adoptionis jure Trajano Imperatori successit. Absens in Syriâ per literas adoptatur, nempe vel à Trajano, vel saltem à Plotinâ Imperatrice Trajani conjugè, ut Dion tradidit.

Sanè filios esse hæredes, jam superius ostendimus, cum autem adoptionis virtute adoptivus filius virtualis fiat, ita se habebit ac si filius verus & legitimus esset, habebitque universa privilegia quæ filius, ni lege aliquâ specialiter jura adoptionis limitentur.

DISPUT. IX.

De Donatione de futuro, seu de Promissione.

584 **D**ONATIO diffinitur contractus de presenti, quo liberaliter & nemine cogente aliquid alteri conferitur. Huic correspondet *Receptio*, quibus positis transfertur dominium, & res quæ antea ad Petrum pertinet, post donationem & receptionem transit ad Paulum. *C. Senatus ff. mortis causa. Lelsius lib. 2. c. 18. dub. 2. Azorius 3. p. lib. 11. c. 1. quæst. 1. Bassæus verb. Donatio num. 1.*

Donatio est duplex de presenti, & de futuro. Donatio de futuro eadem quæ promissio, de qua jam disputavi. Donatio de presenti illa est quæ non futurè, sed actualiter transfert dominium, & fit traditione verbali aut reali. Sanè reali traditione, cum reverà res, quæ dari dicitur, realiter & effectivè traditur: verbali verò, cum verbis fit collatio; cui potes conjungere scriptam. Verbi gratià, cum Paulus habitans Antverpiæ dat Joanni centum aureos recipiendos Bruxellæ. Verè verbis tradidit, & Joannes ab ipsa donatione incipit esse illius summæ dominus quam Bruxellæ realiter recipiet.

585 Donare ille potest qui habet dominium directum cum facultate alienandi. Si quis habeat majoratum alteri donare non potest, quia licet illius sit dominus, est tamen alienator mortuus, quia majoratus bona sunt vincula & ammortizata, ita ut nemini liceat donare, commutare aut vendere; juxta ea quæ de ammortizatione docemus.

An promissione acceptatâ dominium transferatur?

586 **P**romissio duplex; acceptata, & non acceptata. Si te promittente Joanni mille scuta, ipse non acceptet, te non teneri moraliter illa ipsi numerare, etiam postea petenti certum est. Si acceptaverit, dubium.

Sunt qui affirmant, sunt qui negent, & omnes procedunt ex eodem fundamento. Supponunt enim omnes hanc majorem;

omnis vir tenetur stare concordie & contractui, & probant, quia contractu solùm fit moralis translatio dominij, successione enim hereditariâ solùm fit translatio physica dominij moralis. Confirmant *ex cap. 1. de pactis*, ubi asseritur posse excommunicari pactum non servans: nemo autè excommunicatur sine culpa morali, imò majori excommunicatione nemo sine mortali. Positâ hâc majori, subsumunt contradictorias minores, & eliciunt contradictorias consequentias.

Sententia asserens.

587 **S**Anchez igitur de Matr. lib. 1. disp. 5. n. 20. Vasquez 1. p. disp. 85. cap. 6. n. 42. Filiucius in q. mor. tom. 2. tract. 33. cap. 2. n. 28. Malderus 2. 2. tract. 1. c. 9. dub. 8. Navarrus cap. 18. n. 6. Turrianus in 2. 2. tom. 2. disp. 64. dub. 16. Beja in resp. part. 4. cas. 25. D. Antoninus p. 2. tit. 10. c. 1. §. 4. affirmant homines obligari graviter promissione acceptatâ, quod probabile putat Diana p. 2. tr. 17. resol. 9. & ante eum Lelsius lib. 2. cap. 18. dub. 8. n. 55.

Probant sic. Omnis vir tenetur stare concordie & contractui; atqui promissio acceptata contractus est: ergo tenetur stare promissioni acceptatæ. Minorem probant, ex pacti definitione quam supponit *lex 1. ff. de pactis. & l. 3. ff. de pollic. 628.* Ex hypothese, quod acceptata promissa obligent, adhuc non conveniunt Authores in designanda causa, quia defendunt ex diversis principijs.

Alij dicunt peccare contra justitiâ commutativam, quia promissione acceptatâ verè & actualiter transfertur dominium; unde qui rem taliter promissam retinet, re alienam detinet, & peccat mortaliter.

Alij putant eum peccare contra justitiâ legalem, quæ respicere dicitur societatem humanam in promissis servandam.

Omnes in hoc conveniunt, quod peccet mortaliter, qui in re gravi non stat promissioni acceptatæ, & quod peccet venialiter, si materia sit levis.

Dubitant aliqui, An Sacerdos qui sine stipendio promittit legere unum sacrum cum animo se obligandi, & acceptatæ promissioni non steterit, peccet mortaliter.

liter. Respondent omnes peccare mortaliter, si illa materia sit gravis; leviter, si sit levis. Illam in genere spiritualium esse gravis momenti docuit Petrus de Navarra de rest. lib. 2. cap. 2. dub. 7. n. 329. & Bonacina de Contract. disp. 3. quæst. 11. puncti. 1. num. 8. esse levis Sanchez de Matrim. tom. 1. lib. 1. disp. 5. n. 25. Roderiquez in summ. tom. 4. cap. 107. n. 4. Malderus ubi supra. & Diana jam citatus. Si obligationem moralem ortam ex promissione admitterem, dicerem peccare leviter, qui missam illam non legeret quæ promissa supponitur & acceptata; non quia in genere damni spiritualis est res parvi momenti, sed quia promissio externa solùm respicit actus externos directè, & illa lectio missæ, qua externa lectio omnium sententiâ levis est.

Sententia negans.

588 **C**ontraria tamen sententia est omninò vera, & si rationes speculemur sola probabilis; consultò asserenti sententiæ probabilitatem rationalem nego, quia authenticam nullus negare poterit opinioni tot Authorum nomine roboratâ. Promissiones etiam acceptatas non obligare in conscientia docuerunt Caietanus in 2. 2. q. 113. art. 1. dub. 4. Henriquez lib. 13. cap. 17. num. 6. Ledesma in summ. tom. 1. tract. 10. cap. 3. Fernandez in suo exam. Theol. part. 1. cap. 15. §. 8. num. 11. quibus subscribunt probabiliter Lelsius & Diana jam citati.

589 **F**undamentum hujus sententiæ hoc est. Omnis vir tenetur stare concordie & contractui; atqui promissio acceptata contractus non est: ergo nemo tenetur illi stare. Probatur minor, quia merâ promissione non transfertur dominium, sed promittens affirmat se translaturum esse, & alter assentitur, his autem non obstantibus uterque poterit mutare dictamen.

590 **V**t clarior hoc intelligatur supponendū est promissionis genuinam formulâ esse hanc, *Ego dabo tibi mille scuta*; huic correspondet acceptatio, quæ exponitur his verbis, *Ego illa recipiam*. Atqui hic non reperitur obligatio moralis: ergo. Minorem probo. Promissio ante acceptationem non infert moralem aliquam obligationem,

ut omnes docti admittunt, ergo nec post acceptationem. Patet consequentia, quia illa verba, *Ego recipiam*, vel æquivalent his *Recipiam, si dederis*, vel his *Recipiam licet non dederis*. Hoc ultimum dici non potest, quia esset acceptatio imprudens & reduplicans actionem impossibilem; ergo dicendum est acceptationem necessariò includere conditionem illam quam expressi. Positâ illâ conditione, non video unde probabiliter elici possit obligatio.

Præterea ut acceptatio possit aliquem promittentem obligare debet habere rationem præcepti, adjurationis, aut contractus (non enim reperitur alius modus, quo homo possit ab homine in conscientia obligari) atqui acceptatio præceptum non est; nec si esset, teneret, defectu auctoritatis; sæpe enim multa polliceris viro, qui tibi præcipere non potest. Nec est adjuratio; quia si esset, omnes promissiones acceptatæ, essent juramenta promissoria, quod admitti non debet; quia potest Petrus Paulo promittere aliquid cum animo promittendi & cum animo non jurandi. Præterea promissiones acceptatæ sæpe firmantur juramento; ergo signum est, quod illæ tacite id non includant, aliàs enim cõfirmatione non egerent. Tandem acceptatio contractus non est: ergo nullam potest inducere obligationem.

Vt autem hæc altius intelligas, proderit bene percallere resolutionem, quæ subsequitur.

592 **C**ONCLUSIO; Qui promittit cum animo promittendi, sed sine animo implendi promissionem, mentitur, ac ideo peccat venialiter, & hoc ante omnem acceptationem. Patet, quia leve mendacium est. Mentiri enim, qui sic promittit, probo: quia sicut mentiretur ille qui diceret, *Ego dedi tibi mille aureos*, si reverà non dedisset; sic etiam mentiretur, qui, *Ego dabo*, diceret, si daturus non esset, quia contra dictamen loqueretur.

Hic obiter notandum est, promissionem illâ externam debere esse talem, ut verba in rigore politico promissoria sint ex prudenti judicio; quia sæpe contingit verba grammaticè promissoria, civiliter promissoria non esse, sed cõminatoria adtractiva, exaggerativa, aut saltè evasiva.

Comminatoriæ promissiones.

593 **V**erba comminatoria non valent quantum sonant, ut si quis diceret, *Si hæc feceris, ad nihilabo te*, deberet intelligi de re possibili, quia de impossibilibus minæ non dantur: ergo ad nihilatio illa veniret de morali exponenda, & sensus grammatici rigor ad usum civilem limitandus. Minæ igitur illæ civiliter exponerentur sic, *Si talia feceris, impediam promotionem tuam, & curabo ut etiam præveris conditione quam habes: reddam te auctoritatis incapax*. Nihil enim politicè ille est qui ad similes miseras redigitur. Imò minis sæpe lædimus, quos ante nolumus. Laërtius lib. 1. cap. 4. nos recte minari asserit, quoties aliquem hoc remedio correctum esse cupimus; & hæc pœnâ decrevimus esse contenti. Pater sæpe minatur filiolo inobidenti suspendia, cruces, mortes. Primò tamen pluries occidere nõ vult, quia nemo secundò occidi potest; imò nec semel eum vult interimere. cum autem mortem minatur dicens, *Ni respicias, suspendam & crucifigam te*, non mentitur, quia hæ minæ, si exponantur civiliter, æquivalentur his sinceris verbis. Propter culpas præteritas condemno te confusione, pudore, verecundiâ, terrore, quo percelli debebis auditis minis nullius rei futura indicibus, sed mei animi commotionem perturbacionemque significantibus. Hæc expositio placet; & minas distinguo in materiales, formales, simplices, & symbolicas. *Materiales* sunt quæ constant verbis comminatorijs, non tamen formaliter aliquid malum vovent, sed solum intendunt animum indignantem exprimere, & audientem terrere: & sunt similes vocibus quæ dicuntur esse interjectiones indignantium; sunt enim interjectiones ex pluribus vocibus compositæ. *Formales* sunt quæ constant verbis pacificis, comminatoriè explicandis, non quidem grammaticè, sed civiliter, juxta leges prudentiæ & civilem vocum significantiam. *Simplices* sunt quæ adæquatè comminatoriæ sunt, constant enim comminatorijs verbis, & comminatoriè debent interpretari. *Symbolicæ* tandem, quæ actionibus & rebus potius quam verbis feruntur. Addam ex-

empla eruditionis gratiâ.

Promissiones formaliter comminatoriæ.

594 **S**vani eloquio alios percellere, & pacificis verbis comminatorios spiritus recondere ingenij summi indicium; multa profundè dicta reperies apud scriptores. occurrit Philippus, à Romanis & Thessalijs injurijs læscitus; Illi & hi Legatos misere rerum componendarum causâ. Prævenere Romani. Philippus admisit eos, non quidem auditorus nec audiendus. De moribus & sceleribus Thessalorum acriter quæstus, concedit se furori & addit: *Hoc ita quidem accidit, sed nondum sol dierum universorum occidit*. Multa quidem verbis brevissimis complexus est. minabatur quibus non minabatur, imò quando familiaris agebat. Primò, hæc verba excitarunt Thessalorum fremitum, qui enuntiabantur securi esse non posse quousque occideret sol ultimi diei. Secundò, terruerunt Romanos ob criminis identitatem. Ipsa tamen materialiter sumpta nullatenus comminatoria sunt. Titus Livius 4. Dec. libr. 9.

Promissiones comminatoriæ materialiter.

591 **S**ummum verborum strepitu & minarum fragore nihil præter mera verba contineri non raro experimur. Hujuscemodi minis asserente Beyerlinckio in *Apoph.* & Nicolao Reusn. comparabat Fridericus Rogerius tonitrua quæ erumpunt sine fulmine; hæc enim multos terrent, & cum neminem lædunt, declarant non quidem cælum velle mortales interimere, sed posse. Sic pius Monarcha cum minatur cruces, suspendia, gladios, multos terret, & lædit neminem; hæc enim tonitrua indignant turbatam esse tranquillitatis auram; exprimunt, non voluntatem, sed meram potentiam ulciscendi. Ut minæ materiales à formalibus discerni possint, adjuvat personarum & causarum notitia; non enim minæ plusquam materiales sunt cum à patre, pio Principe, aut vero amico fulminantur: & explicandæ sunt per modum interjectionis indignantis, ut in principio dicebamus.

Promissio-

Promissiones & Minæ simplices.

596 **A**ut non dantur, aut imprudentium sunt, vel mulierum potius, ut Chilon citatus à Laërtio lib. 1. cap. 4. assererat. Qui minatur, si sincerè rem examinemus nocere non vult, quia si id vellet, non redderet vindictam impossibilem, aut saltem multò difficiliorem: quia ut pulchrè Polydorus Alcamenis filius dicebat, *Qui statuit inimicum ulcisci, nil aliud efficit, nisi ut præmonito inimico sibi minuat lædendi opportunitatem*. Plutarchus in *Lacon*. Severius Chilon apud Laërtium citatum, putat enim non solum minis opportunitatem sed & nocendi potentiam adimi. & ait, *Minitari cum vis nocere, est inimicum admonere ut sibi caveat, tibi que ipsi lædendi facultatem adimere*.

Promissiones Symbolicæ.

597 **C**um aries hostium agris immitterebatur, bellum indicebatur apud Græcos. hinc comminatoriæ phrasæ plurimæ sumpserunt exordium. *Corinthijs* caduceus expositus belli comminatio fuit; quod caduceatoris legatione declarabatur. *Lacedæmones* lanâ exprimebant indignationem suam, & Lanifer apud eos fecialis, qui bellum indicebat contrarijs. Apud *Carchaginenses* hastam mittere, erat bellum significare. Quæ omnia notavi ex *Alexandro lib. 5. cap. 3.* Assonabant Romani, de quibus Ovidius.

Prospicit à tergo summum brevis area circum,

Est ubi non parva parva columna nota.

Hic solet hasta manu belli prænuncia mitti.

In Regem & Gentem cum places arma capi.

Hæc parva columna sita erat ante ædem Bellonæ versus portam Carmentalem, ad hanc bellum publicaturi conveniebant, & post tergum immitterebant hastam in eam cæli plagam, cui suberat regio debellanda. *Pyrrus Ligordus lib. de Circis*. Alias bellum declarabatur confuso strepitu agitantium ancilia aut in Martis sacratio, aut in Saliorum consistorio. *Alexander lib. 1. cap. 36.* Etiam legati verbenâ redimiti feciales erant, missi in belli causâ. *Gellius lib. 16. cap. 4. Noctium Atticorum*. *Cincius lib. 3. de re militari*.

Sab. lib. 4. Enn. 2. Plutarchus in Numâ & Problem. 62. Si expeditio solennior Iani templum aperiatur. *Ita omnes.*

598 **C**ominatoriæ Symbola, sicut & minæ materiales, non debent intelligi in summo Symboli rigore, sed in congruo & opportuno, quem circumstantiæ & prudentia suppeditant. Magnus Dux Brunsvicensis insolentiâ elatus multa patravit scelera quæ indignarentur parentis correptione. Admonet, arguit, obsecrat, increpat prudens senex, sed frustra: tandem incepit minis procurare eum ad meliorem mentem reducere, quibus adjecit se gestare manibus continuo funem, ut filium ubicumque captum, in arborem primam adpenderet. Funis sanè materialiter sumptus ultimi supplicij Symbolum videretur, verba offensi senis non nisi patibula sonarent, si ab alio dicta. Amor ille paternus, qui minas illas explodebat in causâ, ut leviter exciperentur. Catenâ argenteâ collum ornavit adolescens, & ait, eò venient patris offensi minæ, ut fune argenteo utatur cum inclementior fuerit. Parentum minæ argenteæ sunt, furores aurei, inclementiæ preciosæ; quia cum inclementiùs agunt, amore, donis & beneficijs afficiunt, quos genuerunt. Placuit populo Symboli interpretatio, & *Catenatum* eum dixerunt. *Cranzius lib. 9. cap. 36. & 39. Saxoniæ*.

Promissiones per exaggerationem.

599 **Q**ui alios adliciunt solent multa polliceri, & mentiri; sed aliàs sine mendacio loquuntur, cum impossibilia pollicentur; qui enim impossibilia promittit, promittit se facturum esse impossibilia quæ fieri possunt. *Cassinensis Licurgus Benedictus in Regula discretionis præcipue cap. 68.* jubet obedire, licet impossibilia præcipiantur. Ergo illa quæ physicè sunt impossibilia, possibilia sunt si sensu morali exponantur.

Porphyrius citatus à Iamblichio in *Mysterijs* asserit Ægyptios Sacerdotes solitos non nisi divina polliceri, aut minari, exaggeratione prudenter adnotandâ. Irascitur ex ideâ Poëtæ nescio cuius, Theogonus Sacerdos Nili, & fulminat hæc verba.

T 3

Ille ego

*Alle ego Theſogonus; ni feceris inclyte Regum,
Nomine Divorum qua Tibi præcipio;
Ocludam Nili fontes, & Sydera tollam,
Et densa Solis lumina nube tegam.
Concutiam urbes, ſubvertam carmine montes,
Culmina ſaxorum ſubijciamque mari:
Iſidis æterna vindex ſecreta recludam,
Damnabo ſacram naufragioque Barin.
Sed ſi ſecretè Divum mandata capeſſas.
Te Regem ad Luna cornua ſacra feram.
Laſtabo ambroſia, divino neſtare paſcam.
Et tibi Romanus Numma miſter erit.
Pro ſceptro ramum, quem olim ſub pignore
Averna*

*Iunoni Aeneas obtulit, ipſe dabo.
Subijciã pedibusq; tuis qua claudit O Lympus.
Et quidquid tellus ambitioſa capir.
Hæc aut ſimilia verba cælitus ſonantia,
humanitùs exponenda ſunt congruã
interpretatione, cujus ſi capacia non fuerint
de mendacio aut imprudentiã con
dempanda.*

NOTA

601 **H**inc conſtat promiſſiones quæ ſine
animo adimplendi ſiunt, non eſſe
ſtatim de mendacio arguendas, ſed expo
nendas fore civiliter, & ſi in hoc ſenſu
promiſſiones non ſint, menti non cõtradi
cunt; ſi autem adhuc expoſita civiliter
promiſſiones evadant, mendaces verè
ſunt; & ſic promittens arguendus de pec
cato veniali, etiam ſi materiã ſit gravis,
quoniam montes aureos polliceri ſine
dandi intentione leve mendacium eſt.

Multi hoc judicant difficile, & arguunt
ſic. Vbicumque detur moralis obligatiõ
temerata in materiã gravi, reperitur
peccatũ mortale; atqui mendacium teme
rat veracitatis obligatoriam legem; ergo
mendaciũ erit peccatum, leve ſi materiã
ſit levis, grave ſi gravis. Atqui mille ſcuta
materiã gravis eſt; ergo qui illa cum men
dacio promittit, peccat mortaliter.

602 Si hæc ratio alicujus eſſet roboris, pro
barer: poſſe dari peccatum grave in pro
miſſione rei notabilis etiam ante omnem
acceptationem. Ratio eſt, quia ante om
nem acceptationem reperitur materiã
gravitas in hujusmodi promiſſorio men
dacio. Si hoc admitteretur, confequen
ter deberet dici eum peccare mortaliter
qui heroica facinora narrat quæ non ac

ciderunt, quoniam mentitur in materiã
gravi.

Mendacium eſſe mortale admitto, cum
eſt mendacium grave. nempe illud quo
Reſpublica læditur & publica fiducia fal
litur. Cum autem Petro ſcuta mille polli
ceris, ſi mentiris, leviter mentiris; quia
Petrum fallis, qui Reipublicæ levis pars
eſt. Si autem legitime interrogatus à Re
ge, aut Concilio, veritatem non diceres,
peccares graviter, quoniam hoc grave eſt.
Mendacium igitur, tum peccatum eſt
grave, cum res quæ dicitur, & perſona
cui dicitur, civiliter loquendo ſunt
graves.

Hinc ſcimus originem obligationis il
lius graviffimæ, quam Vota inferunt.
Sunt promiſſiones factæ Deo, qui eſt per
ſona publica, cui nulla æqualis dici aut
ſingi poteſt. Sed de Voto poſtea ſingu
larem controverſiam tractabo.

V T R V M

Q *Vi promiſerit ſine animo promittendi
(etiam ſi promiſſio ſit facta Deo)
licet habuerit animum ſatiſfaciendi, teneatur
ſtare promiſſioni?* Reſpondeo negativè. Et
ſuadetur; quia verba illa non ſunt pro
miſſio, ſed promiſſionis internæ indices,
quæ ſupponitur non eſſe: ſatiſfaciendi au
tem animus ſolum proſiſti vim habet;
& ideò non poteſt inducere novam obli
gationem. Sanè promiſſionem verè in
actu interno conſiſtere conſtat ex votis,
quæ emittuntur ſæpe ſine verbis, & veræ
promiſſiones ſunt,

Qui ſic promittit, à mendacio excuſa
ri non poteſt; & ideò ſunt examinandæ
circumſtantie ut ſciatur, an mendacium
ſit grave, quia eſſe ſemper peccatum cer
tum eſt. Ex hæc doctrinã oriuntur ſequen
tia Corollaria.

Primum. Qui ſine animo promittendi
pollicetur ſe daturum eſſe Petro mille
ſcuta, peccat venialiter; ratio eſt, quia
eſt mendacium leve, non enim lædit au
thoritatem publicam, ſed hominis parti
cularis: non tamen tenetur illam ſum
mam promiſſam pendere.

Secundum. Si ſcuta eadem ſine vovendi
animo promitterentur Deo, promiſſor
non teneretur quidem illa ſolvere, pecca
ret ta

ret tamen graviter contra veracitatem,
quia mentiretur ipſi Deo. Fortè talis cri
minis fuerunt rei Ananias & Saphira
(Act. 5.) quos ſi dicamus paupertatem
voviſſe, ut probabilior ſententia fert, &
oſtendi *Commentarij in Reg. Bened. num.*
262. votum emiſſum temerarunt: ſi au
tem dicamus eos non voviſſe, quod etiam
probabiliter aſſeri poteſt, debemus con
ſequenter eos reos agere de mendacio
mortifero, quia tenebantur dicere verita
tem Petro, perſonæ publicæ agenti Pro
deum, & rerum pretia publicã authorita
te recipienti. Et hoc videntur omnia
D. Petri verba ſignificare. Illa, *Nonne
(prædium) manens tibi manebat, & venun
datum in tuã erat poteſtate?* Ergo non tene
bantur paupertatis voto, quia poſt voti
emiſſionem, nec prædium maneret ſub
eorum poteſtate, ſi non venderetur; nec
pretium illis cederet, poſt venditionem.
Fuiſſe autem mandatium grave conſtat
ex pena mortis; non enim ob levem cul
pam ultimã ſententiã damnarentur. In
quo ergo conſtitit mendacijs gravitas?
Reſpondeat Petrus. *Non es mentitus homi
nibus ſed Deo,* nempe, Non eſt mentitus
homini privato, ſed perſonæ publicæ,
agenti Dei perſonam & Dei nomine pro
miſſionem & res promiſſas recipienti.
Mentiti igitur ſunt Spiritui Sancto, vel
voventes ſine intentione vovendi, vel ſi
ne intentione ſatiſfaciendi, ſi dicatur vo
ti ſolemnitatem in ipſamet traditione
conſtitit: vel ſi voto non obſtringeban
tur; mentiti ſunt Spiritui Sancto fallentes
fidem publicam, & virum qui virtualiter
erat Deus.

V T R V M

604 **Q** *Vi promittit rem gravem cum animo
promittendi, & poſtea non præſtat
rem promiſſam, peccat?* Reſpondeo ne qui
dem venialiter in genere furti aut in ge
nere mendacijs peccare

Non eſſe alienæ rei detentorem facile
concedent Caietanus 2. 2. quaſt. 113.
art. 1. dub. 4. Armilla verb. *Perfidia.* So
tus 4. d. 20. quaſt. 2. num. 2. qui hujus
modi promiſſiones ſolummodo incuſant
de mendacio. Cæterum promiſſionem
illam, de qua agimus, mendacem non eſſe

oſtendo ſatis clarè. Quia quando emiſſa
fuit, fuit verax, ſupponitur enim fuiſſe
ſecundum dictamen & intentionem pro
mittentis; qui cum liber ſit, potuit mu
tare dictamẽ & intentionem, imò de facto
mutavit. Vbi igitur reperitur falſitas &
ignobilis mendacijs ratio?

Hic obiter conſiderandum eſt, An in
tali caſu opiñionem & authoritatem ſuam
dilapidet, & an graviter: quia authorita
tem & famam graviter prodigere culpa
mortalis eſt, in illo qui non eſt dominus
ſui honoris.

V T R V M

Q *Vi defloravit virginem promittens ſe
eam ducturum eſſe, ſublato omni voto
aut juramento, teneatur ſtare promiſſis?* Reſ
pondeo aſſirmativè: & ratio eſt, Quia ibi
inſtitus fuit verus contractus, & vir intui
tu pretij præſentis, quod recipit, ſe ob
ligat ad actionem futuram. Non ſecus ac
ſi cum pictore pacifereris dicens, Ego do
tibi centum ſcuta conditione quod tenea
ris Cæſarem pingere. Si pictor acceptet
conditionem, tenebitur Cæſaris imagi
nem facere. In reſolutionis caſu ſimilem
contractum reperio; dicit femina, con
cedo tibi meã pudicitia & virginitatis
abufum ſub onere quod ducas me in ux
orem; admittit ille conditionem, & de fa
cto deflorat virginem; ergo debet ſtare
contractui.

V T R V M

Promiſſio acceptata in re gravi, qua
alias non obligaret, ſi roboretur iura
mento obliget ſub peccato mortali? Reſpon
deo obligare ſub peccato mortali, ſed tan
tum ratione juramenti.

Hæc promiſſio caſſari & annullari bi
fariam poteſt, primò, ſi ille, cui facta fuit,
dicat ſe nolle rem promiſſam recipere;
quia nemo debet invito favores facere,
quia cum primùm invito ſiunt, jam fa
vores non ſunt; ſecundò, ſi obtineat legi
timam juramenti diſpenſationem, etiam
ſi eam obtineat inconfulto aut contradi
cente illo cui promiſſio fuit facta, & de
monſtratur.

Tota obligatio, quæ in hac promiſſio
ne reperitur, naſcitur ex juramento, quia
hoc ſublato ſupponitur nulla eſſe: ergo
mox ubi

mox ubi hoc dispensetur, remanebit promissor liber à qualibet obligatione. Atqui ratione juramenti promissor nō tenetur humanitūs, sed divinitūs; ergo Deus ipse (aut Prodeus ex causā) poterit dispensare. Confirmatur. Deus potest dispensare in tali juramento etiam contra acceptatoris voluntatem: ergo & Dei Vicarius. Ratio est, quia hic non dispensat formaliter, sed utitur epikeiā, & interpretatur voluntatem Dei dispensantis. Hinc oriuntur aliquot Corollaria.

607 I. Qui non steterit promissioni juramento firmatæ, rei alienæ perjurus retentor non est, sed perjurus solummodò. Patet, quia ipse non retinet alienam, sed suam; suam quidem retinet, sed contra juramentum, quo obstringitur illam alienam facere; res autem promissa, quousque detur alteri, semper erit sub dominio promissoris.

II. Res sub juramento promissa non pertinet ad acceptantem, nec ipse potest illam petere quā suam: potest autem petere à legitimis superioribus, ne promissor esse perjurus permittatur.

608 III. Qui in contractu promittit se daturum esse Petro mille aureos die Paschatis, si die statuto non persolvat peccat contra fidelitatem præstitam, debet tamen post terminum elapsum solvere, nec liber erit ab hac obligatione quousque solvat de facto. Ostenditur, quia in tali contractu subintelligitur particula *saltem*, hoc est, quod dabit tali die vel saltem sequentibus, quia si illud *saltem* non subintelligeretur; nemo tali conditione contraheret. At qui promittit ita ut ex vi promissionis non teneatur, si promissionem juramento corroboret, tenebitur die Paschatis illam summam adnumerare ratione juramenti, & si non adnumeraverit, erit perjurus; die autem sequenti nihil tenebitur dare, & hoc ostenditur clarissimè; quoniam si teneretur die sequenti, aut teneretur jurejurando, aut jure merè promissorio. Juramento non obstringitur; quia præcepta & juramenta possunt dies determinare, unde sicut ille qui die Dominicā missam non audit non tenetur illam audire die Lunę; sic qui vovet Deo jejunare die Veneris & nō facit,

non tenetur jejunare die Sabbati: etiam qui promittit Deo, vel jurat se daturum esse Petro tantam pecuniam die Paschatis, si non dederit, non tenebitur die sequenti dare. Confirmatur. si die sequenti tenetur hanc summam adnumerare Petro promissor: ergò vel ratione promissionis, aut juramenti. Non ratione promissionis puræ, quia supponitur non esse obligatoria: ergo ratione juramenti; atqui hoc diem illam non afficit: ergo. Minorem probo. Si feriā secundā talis pecunia Petro daretur adhuc promissor remaneret perjurus, ergo signum est, quod juramento aliā die non possit satisfieri. Ergo dicendum est, in tali casu semel violato juramento promissorem manere perjurum quidem, sed liberum ab ulteriori obligatione.

Petis rationem cur in contractu post 609 diem statutā remaneat obligatio, in promissoris juramenti non item. Dabo.

Si das Petro argentum mutuū adjurans eum, ut restituat die Paschatis. Petrus habet argentum tuum à traditione ipsā, sed ante Pascha habet volente domino, à Paschate domino invito; idè die Paschatis non restituendo pejeravit, & cum illud argentum pertineat ad te, & ipse retineat te invito, ab illā die tenebitur restituere, & erit iniquus rei alienæ possessor quousque restituat. *Cum autem* sub juramento polliceris Antonio te illi daturum esse aureos bis mille die Paschatis: si hac die illi determinatam pecuniam non adnumerēs, perjurus es; die autem sequenti non teneberis ratione juramenti ut patet; non ratione injustæ retentionis, quia retines non quod Antonio est, sed quod tuum est, quia ut sæpe diximus promissione purā etiam acceptatā non transfertur dominium.

DISPUT. X.

De Donatione de presenti.

610 **S**I Julio Claro crederem de Donationum materiā nil scriberem; putat enim hoc sæculo avaritiam regnare, & liberalitatem obijisse. & sanè non videtur omninò deviare à veritate, sæpe

sæpe enim mihi debita non solvi exprior, indebita dari non video. Agam de donatione tamen tanquam de idea Platonica; cujus notitia proderit, si quando liberalitatem è mortuis excitari contingat. Multa profectò nomen donationis significat, quæ possunt quæstionem de dominio implicare: definitur enim *datio & traditio liberalis alicujus rei*, & dividitur: PRIMO in perfectam & imperfectam. Perfecta est, quæ realiter rem tradit & donat: Imperfecta, quæ declarat se tradere, tametsi res absens sit & de facto non tradatur. Facilius hæc & clariùs in physicam & moralem divideretur; si physica, diceretur realis & corporalis rei præsentis traditio, ut si de facto Petrus daret Ambrosio centum aureos: si moralis, diceretur traditio rei physicè absentis & præsentis moraliter, ut si existens Lovani j dicerem, *Ego dono tibi domum sitam in foro Madritensi*. Donatio moralis parit obligationē in foro etiā civili asserente Laymano 3. l. de just. & jur. tr. 4. c. 12. adjunctā cap. 2. doctrinā; cui subscribit Dicastillus lib. 2. tr. 5. disp. unic. n. 3. qui in hoc displicet, quod addat morali hæc sive imperfecta, ut ipse loquitur, donatione non acquiri dominium, non enim id bene ex l. 20. C. de pactis colligitur; quia hæc moralis donatio non est pactum putum & nudum, sed virtualis traditio. aliud enim est pacisci de re donanda, aliud eam de facto donare. nam cæcus nō videat esse differentiam in has formulas. *Ego hoc instrumento publico me obligo ad dandum Petro mille aureos. & Ego hoc instrumento dono & trado Petro mille aureos, qui sunt in tali cambio, & volo quod ab hac hora ipse illos habeat, ut suos &c.* sentio citatam legem debere intelligi de 1. non de 2. pacto.

611 SECUNDO: Donatio in remuneratiam, preparatoriam, onerosam, liberale, prodigam & illegitimam dividitur. Remuneratoria potius est solutio quàm donatio. Preparatoria ad mutuacionē videtur spectare: cum enim equum das Antonio, ut cum adicias ad tale obsequium præstandum, vidèris mutuare illum equum, & solutionis loco illud ipsum obsequium expectare. Onerosa siquid tribuit, tribuit sub onere quod alter cui fit donatio aliquid aut retribuatur aut faciat, ut si dicat, *Do tibi de-*

cem aureos sub onere quod Bruxellam ades; tunc enim emptionis potius rationē quàm donationis habet. Liberalis vocatur, quæ fit, non tamen ex obligatione, aut debito justitiæ, aut intuitu alicujus obligationis aut favoris recepti, aut recipiendi; sed ex mera liberalitate. Prodiga eadē quæ irrationalis: & hanc esse invalidam cōmuniùs existimant Jurisconsulti; sed illegitima dicitur, quæ contra leges aut in substantia aut in gravi aliqua solennitate.

TERTIO, si donandi causam respicias, donationem in eam quæ est inter vivos, & eam quæ est mortis causā divides. Donatio inter vivos est absoluta & vera donatio, & rem de facto tradit realiter aut moraliter illi cui fit donatio: at verò donatio causā mortis non est absoluta donatio, non enim rem aut realiter aut moraliter tradit, sed tradendam decernit, si contingat mori; & idè morte firmatur, & ante mortem nullum jus confert illi in cujus favorem donatur.

ARTICVLVS I.

Cur donatione transferatur dominium?

612 **D**onatione perfectā inter vivos, sive ipsa remuneratoria, sive dispositoria, aut liberalis, transferri dominium apud omnes in confesso est; nemo reperitur, qui dubitet. At non statim doceberis esse verum quod universi affirmant. Supponis ergò Thesin communem esse verā, & cur talis ipsa sit, inquiris.

Respondeo donationem esse quandam moralem transubstantiationem, quā dominus in non-dominum transubstantiatur sub accidentibus habendi dominium. Nam sicut in Eucharistia est verum panem definere esse sub accidentibus, & sub eisdem corpus Christi esse incipere, sic similiter sub dominio (accidens humanum est) erat Petrus, cum ipse erat equi dominus; dat illum Paulo, & sub illo accidenti transubstantiatur in Paulum, ita ut jam post illam donationem illi accidenti (hoc est, dominio in equum) non substat amplius Petrus, sed Paulus.

Placet ad transubstantiationis moralis conceptum recurrere, multa enim hæc ideā explicantur. Repræsentatio enim est transubstantiatio moralis, quā sub sensibilibus

bilibus accidentibus persona filij transit moraliter in personam patris. Item Mutuatio, Solutio, Fœneratio, Emptio, Venditio, &c.

ARTICVLVS II.

Quinam possint donare?

613 **P**rimò nemo potest donare, quod suū non est; unde est communissima & verissima parœmia, quæ affirmat, neminem dare quod non habet.

Secundò, nemo donare potest plusquā habet; unde si hic sint in mēsa mille argētei, quorum sexcenti ad Franciscum spectent, ad Ioannem reliqui; neuter donare poterit totam illam summā, sed unusquisq; partem suam sine alius præiudicio.

Tertiò, nemo est, qui non possit dare illud quod habet, si donatio prudens & legitima sit, saltē negativè; hoc est, si talis, ut nec contra bonos mores militet, nec contra aliquam legem politicam.

Iure autē inhibentur donationes PRIMÒ prodigo; videlicet illi, cui interdicta bonorum administratio. l. 2. ff. de Curator. furios. SECUNDÒ impuberi sine tutoris facultate, l. Pupill. ff. de acquirend. rer. domin. TERTIÒ minori absq; curatoris consensu l. i. c. se major factus. QUARTO filiofamilias, qui invalidè bona parentū daret. QUINTO Religioso. De furioso, impubere, & minore, pauca occurrunt, quæ non magni momenti; at de filiofamilias & Religioso multa & valde curiosa, quæ quia ex professo sunt tradita in Comment. in Regul. Bened. à n. 815. non debent secundò tractari.

ARTICVLVS III.

De rebus quæ possunt donari.

614 **F**acilius quæres, An sit aliquid quod non possit donari? nam primò possunt donari omnes res inanimæ, ut domus, fundi, supellectilia, &c. omnes vegetativæ; ut plantæ, arbores, semina, &c. omnes sensitivæ; ut equus, canis, ovis, elephas, &c. etiam rationales; ut servi, imò & etiam mancipia. Possunt etiam morales, ut iura, actiones, potestates, &c. & instrumenta quibus ista subsistunt, ut chirographia, protocola, testimonialia, &c. sed & possunt supernaturalia, anima-

bus enim purgatorij satisfactionem operū supernaturalium cedimus; & amicis impetrationem tametsi supernaturalem: at, quia meritū supernaturale personale est, donari non potest. Ecclesiastica tametsi remunerative non rarò imò & dispositivè conferantur, nunquam venduntur, debēt enim donari. Res autem quæ aut nō sunt, aut esse non possunt, ut Minotaurus, Syrena, Phoenix, domus combusta, aut servus mortuus nō donantur. §. 1. Inst. de inutilib. stipul. l. 1. §. Sed si id. ff. de oblig. & action. §. Sacra res. Inst. de rerum divisione.

Omnium bonorum donatio universa- 615 rum, quæ possunt fieri, maxima est, & à multis de prodigalitate arguitur, & videtur iure condemnari. Si sit omnium bonorum tam præsentium quàm futurorum, & ad effectum rei profanæ, hoc est, causæ non piæ nec Ecclesiasticæ nec firmitur juramento, condemnatur à multis, à paucis iudicatur valida. Illam condemnat Lessius lib. 2. cap. 18. dub. 13. n. 94. Azor. 3. part. lib. 11. cap. 7. Iulius Clarus §. Donatio. quest. 41. Covarrubias 3. var. cap. 12. Sa verb. Donat. n. 17. Gomez in l. Tauri 69. n. 1. Rebellus lib. 18. quest. 7. n. 4. Molina disp. 280. n. 1. quorum sententiam docet esse communem Dicastillus lib. 2. tract. 5. disp. 1. dub. 3. num. 49. Sed & Dinus, Angelus, Salicetus, Alciatus, relati à Covarrubia in Rubric. de Testam. p. 4. num. 6. putant valorem talis donationis non improbabiler posse defendi: & ipse Dicastillus eorundem sententiam veram putat, quia contrariam solū vocat veriolem. Ego quidem scio, quod stando juri naturæ talis donatio sit valida, & scio standum esse pro libertate à naturæ concessa quamdiū non sit clara aliqua limitatio: & elaram limitationem ubi Authores disputant, non invenio. Sed neque Diodorus Tuldenus Primarius Legum Antecessor invenit, nam anno 1643. in Repetitione de donationib. sic inquit. p. 1. thcs. 13. Sed an quis unquam bona sua tam præsentia quàm futura conferre in aliquem possit, controversum est, nos affirmativam sententiā amplectimur. Et probat l. si quis argentū. 35. §. sed si quis. c. §. ult. c. de donationib. l. Sa nunquam. 8. ibi bona omnia vel partem. c. de revocan. donationib.

Interim

Interim, si non vis discedere à communi doctrina, præpone oculis hanc maximam, nimirum, Omnis donatio, quæ testandi facultatem adimit, si non fiat in favorem Ecclesiæ aut causæ piæ nec roboretur juramento, est invalida. quam probant Azor. & alij ex l. Stipulatio hoc modo. ff. de verb. oblig. & ex ea omnes casus resolves. Proponam aliquos.

616 **P**rimus. Antonius vota emissurus omnia sua bona donavit Friderico: petitur, an hæc donatio fuerit valida. Dico potuisse illi donare bona solū præsentia, & potuisse etiam non solū præsentia, sed & futura. Si solū præsentia donavit, non donavit omnia, ideoq; nec perdidit testandi facultatē, poterat enim testari de futuris: unde si facta hæc donatione Antonius profiteretur, & contingeret iure hæreditario vel alio titulo post donationem & ante professionem dominium proprietarium rei alterius acquirere, illa eadem sic acquisita non pertineret ad Fridericū, cui donata non est, sed transfiret ab intestato ad Monasterium, vel ad cognatum proximum, si lex aliqua specialis Monasterium excludat.

Cæterum, cum universa bona donat, tam præsentia quàm futura, ille contractus non est donatio inter vivos, sed causā mortis, professio enim mors civilis est, reddens hominem incapacem dominij, & idcirco dicenda est (imò & dicitur) testamentum; hoc autem posse esse de omnibus rebus certissimum est.

617 **S**ecundus. Albericus omnia bona sua tam præsentia quàm futura donavit, & consulor de valore talis donationis. Respondeo esse juxta communem sententiam invalidam, quia ex vi ejus testandi facultas quàm jura volunt illasam remanere, adimitur.

Sed cum agitur de bonis futuris donandis, opus est obiter examinare, An quis possit donare de facto bona futura? Non peto, Vtrum omnia? sed, Vtrum futura? Dico igitur primò nullum esse dabile civilem contractum, qui verbis exprimi non possit. Patet, quia homines non contrahimus conceptibus, sed verbis expressis aut implicitis, & implicita possunt ad expressa reduci. Secundo formulas

nonnullas subjungo.

Ego donabo Petro omnia bona, quæ temporis successu habebō, ais, & nihil donas, sed promittis; donationes enim, non quidem per verba futuri, sed per præsentis debent fieri.

Ego dono, inquis, bona futura, & nihil donas; quia de facto cognosceris quæ de facto non habes. Per donationem transfertur dominium, quod cum in te non sit, ad Petrum transfere non potest.

Addis, Ego cedo jus, quod habeo acquirendi dominium de novo, & volo ad hunc effectum carere personā propriā & esse homo Petri, ita ut quidquid in posterum acquiram non meo, sed illius nomine acquiram, & non mihi, sed illi. Hoc modo contractus stare potest. Non est promissorius, quia per verba præsentis initur, & datur Petro de facto, id quod de facto habes, quod dare potes, quod recipere potest. nempe jus acquirendi novum rerum dominium. Et censco adhuc stando sententiæ communi hanc donationem esse validam, non enim jus testandi præcluditur, poteris enim de bonis, quæ nunc habes testari. Sed nota præmissa hæc futurorum omnium bonorū (hoc est, in tempore futuro acquirendorum) donatione, esse invalidam præsentium omnium bonorum donationem, si succedat; quia hæc auferret potestatem testandi. qui enim jam futura omnia dederat, si nunc det præsentia, nihil retinebit quod in mortis articulo legare possit.

Tertius. Albertus condito instrumēto omnia bona donavit Ferdinando. Petitur, quid nomine omnium intelligendum sit, & an illa donatio sit valida? Respondeo Albertum censendū esse voluisse omnium rerum, quas donare poterat, dominium ad Ferdinandū transferre, esset enim imprudens & iniquus, si vellet donare quod non possit, atqui potuit donare omnia præsentia, & non potuit omnia præsentia simul & futura: ergo censendus est omnia & sola præsentia donavisse. Ita Julio Claro, Azorio, Dicastillo asserentibus communiter omnes Doctores.

Vides verba universalia limitatione congruā contrahi & exponi: sed quia bifariam possunt stante veritate limitari, non capis cur potius debeant de bonis præsen-

presentibus intelligi, quam de futuris. Sed respondeo, dubia debere juxta communes mores exponi; cumque donationes bonorum presentium sint frequentissimae & communissimae, & donationes bonorum pure futurorum rarissimae, prudenter dubium hoc ad bona presentia reducitur, & ad futura reduceretur imprudenter.

620 **QVARTVS.** Petrus causam mortis omnia bona donavit; & an sit valida ista donatio inquiris. Afferunt communiter Doctores Iulio Claro, Gomefio, Molinā, Dicastillo, & Azorio afferentibus. Ratio est; quia vel haec donatio habet vim testamenti, vel non. Si habeat, cessat quaestio; quia in testamentis bona universa legantur, & tunc erit donatio conditionata, quae posset his verbis, *Dono, si me mori contingat*, exponi. si non habeat, adhuc testandi facultas non adimitur, potest enim portionem Falcidiam detrahere & sibi retinere aut legare.

621 **QVINTVS.** Franciscus modicam partem reservans, reliqua omnia bona, tam presentia quam futura, Richardelio donavit. Respondet Bartolus incitatam legem *stipulatio hoc modo*. esse validam. Sonzinus *lun. consil. 142. num. 36. lib. 1.* docet hanc esse receptam sententiam, Dicastillus hac in parte Bartoli animadversionem commendat: at verò Azorius & Iulius Clarus volunt portionem reservatam esse majorem vigesima bonorum parte. Sed ego neutram sententiam approbo. & meam probo & stabilio. Sentio in Rebus publicis reperiri res magni valoris, parvi, & nullius. quarum distinctionem uberius in meo Commentario à num. 954. nunc brevius. Nullum valorem politicum res illa habet, quam minorem quam minima moneta Reipublicae; leve, quae sine peccato mortali auferri ab invito domino potest; gravem, quae sine mortali peccato non potest. Existimo testamenti conditionem rem gravem esse, & non posse institui pro re levi; ridemus enim universi, si videremus coram Notario & testibus de duobus assibus legandis agi. Quamobrem Conclusio sit, nec requiri quod res reservata vigesima patrimonij partem excedat, nec sufficere qualicumque ipsa sit, sed opus esse, quod

tanta sit, ut possit legari in testamento, saltem denominato heredi.

622 **SEXTVS.** Petrus donavit Francisco omnia bona, presentia videlicet futuraque, & sibi reservavit usumfructum hoc expressio quod possit de illo in vita, non in morte disponere. Respondent non valere donationem Covarrubias 2. *variar. cap. 12. num. 3.* Azorius, Dicastillus, Iulius Clarus *ubi supra*, & alij. Sed adhuc valorem in hac ipsa donatione reperio, & rationem ab ipsis allatam nil concludere. Talis debet esse donatio, inquit, ut non adimat potestatem testandi; haec adimit: ergo. Et ego concessam aut potius condonata majori, minorem nego. & assero posse adhuc instituere heredem & legitimum testamentum condere. Ratio est; quia datur fructus & ususfructus; hic est jus ad habendum fructus; ille est utilitas ex usufructu resultans. Esto Petrus donaverit omnia reservans sibi pro vita usumfructum talis pomœrij, remanebit indirectus pomœrij dominus, & erit usufructuarius pro vita. Ex vi igitur hujus donationis non poterit in testamento instituire successorem & heredem, in illo usufructuario dominio, quia supponitur sibi ad vitam tantum reservasse. Sed poterit testari de pecunijs quas lucratus fuit cum esset usufructuarius. Vnde talis donatio legitima erit, quousque non solum cedatur jure legandi dominium usufructuarium, sed etiam ipsamet pecuniam aut bona ex fructibus praeteritis acquisita; aliud enim esse habere jus in agrum, aliud in fructus, vel cœcus videat. Si usufructuarius pro tribus annis instituaris, habes indirectum jus in illum pro tribus tantum annis, at in illorum trium annorum fructus habes dominium directum & aeternum, quod tribus illis annis non clauditur. Ergo eodem omnino modo de usufructuario ad vitam philosophandum est, habet dominium indirectum in agrum, & hoc non aeternum, sed ad tempus, hoc est, ad mortem usque; at verò in fructus, quos annuatim percipit, habet perpetuum directum dominium, quod morte non clauditur, potest enim transire ad heredes.

Hanc eandem doctrinam hac ponderatione

ratione confirmo. Ipse Petrus in casu hoc sexto expressius, dederit proventum unius anni Fernando. potuisse asseres; & inquiris, An mortuo Petro teneatur Fernando illum eundem proventum restituere Francisco. respondebis, ut puto, non teneri; & infero, ergo Petrus habebat in illam rem perpetuum & aeternum dominium, non enim potuit dare, quod non habebat, & perpetuum dominium dedisse asseris, vel si non dederit Fernando non habet, sed post mortem Petri teneretur omnia Francisco restituere. Si igitur Petrus in proventus perpetuum & directum dominium habeat, poterit illos, quos annis praeteritis acquisitos de facto habeat, legare in testamento. Si dicas mortuo Petro teneri Fernando Francisco restituere quidquid a Petro recepisset, non solum aliquid novum & inauditum dices, sed casum tolles: hoc enim esset verum, si Petrus donationem validam fecisset his verbis, *Dono Francisco omnia mea bona tam presentia quam futura, reservans mihi talem agrum in merum usumfructum ad vitam ita ut de fructibus perceptis, si qui apud me sint cum moriar, testari non possim.* Sed tunc donatio valida non esset.

624 **SEPTIMVS.** *Dono Alberico omnia bona mea exceptis talibus, quae reservo in purum usumfructum mihi manente apud eum dominio directo; & promitto sub juramento omnia quae ex fructibus percepta exstiterint apud me in morte me legaturum esse eidem in testamento tanquam meo & unico heredi.* Validam esse hanc donationem existimo; non enim tollit testandi potestatem firmata juramento talem heredem eligendi promissio.

625 **OCTAVVS.** Petrus Antonio omnia sua bona donavit tam presentia quam futura; & Antonius Petro, mutua donatione: interrogas autem quid juris? Respondeo neutram esse validam, si successivae & independentes: valere, si simplex contractus, tunc enim testandi potestas non tollitur; quia tamen Petrus bona quae aut habet aut suam industriam aut jure acquirere posset, legare tamen poterit quae ex condonatione Antonij acquirit.

626 **NONVS.** Anselmus remunerationis gratia omnia sua bona donavit Ferdinand-

do: inquiris, An haec donatio sit invalida in jure. Respondeo remunerationem potius esse solutionem quam donationem: non posseque Rempublicam sine causa bonum publicum graviter concernente disponere, ne debita solvantur.

627 **DECIMVS.** Franciscus dedit omnia sua bona sub conditione onerosam, quod Antonius deberet filiam suam ducere. Et iudicio hanc non esse puram donationem, sed commutationem, ac propterea quodammodo emptionem. Sane has praeparatorias seu commutatorias emptiones non interdici a jure affirmant Menchaca, Molina, Rebellus, quos refert & sequitur Dicastillus *lib. 2. tract. 5. disp. 1. dub. 3. num. 59.* sed puto posse a Republica interdici, quod si interdicerentur & lex acceptaretur, essent invalidae.

628 **VNDECIMVS.** Petrus omnia bona sua donavit Ecclesiae. Donationem esse validam contendunt Reginaldus *lib. 25. n. 257.* Azorius, Molina, Rebellus, Lessius, Iulius Clarus, Bartolus, Selinus, Dicastillus, & alij, qui putant esse communem sententiam. Puto tamen hoc posse defendi stando juri communi, non verò provincialium legibus specialibus: in Belgio enim nequidem professurus potest omnia sua bona donare monasterio; quamobrem displicet illa ratio, quae utuntur aliqui ex his authoribus. Ius civile, inquit, impedire non potest opera pia & consilia Evangelica, qualia sunt dare omnia sua bona causa pia: ergo. Et tu distinguis antecedens: ex rationabili causa non posse interdici, negas: sine causa, concedis. Castitas enim a Deo ipso consulitur, & tamen Respublica matrimonium contrahere vult cum qui promissit, & alicubi tamen non promiserit, modò virginem oppresserit. Lamegenses Lusitanorum leges. *num. 17. Siquis sforciaverit (oppresserit) virginem nobilem, moriatur, & totum suum avere (hoc est, omne quod habet, & legitime avere, & praetendere potest) si non est (ipsa) nobilis, maritentur ambo, sive homo nobilis sit, sive non sit.* An taliter condemnatus posset sententiam subterfugere Evangelici consilij praetextu? sed si & hanc legem in justam audeas judicare ad sanctissimam le-

suitarum Religionem converte oculos, in quâ statutum laudabile de fraternâ correctione, tametsi à Deo consultâ, omittendâ. quia fortè sub illis circumstantiis à Christo non consulitur; vel si consulitur, debet non servari cum jure illo secreti ceditur. cedit autem, qui legem contrarium præcipientem acceptat. Igitur, si prudenter Respublica intituat nequis omnia bona Ecclesiæ donet, contra legem semel acceptatam nulla donatio erit valida.

629 **D**VODECIMVS. Petrus non solum donavit omnia, sed & donationem firmavit juramento. Et respondeo multos esse casus in jure civili in quibus juramentum excipitur. Et si tacite vel expresse illud excipiat, cessat questio, non enim contra legem agitur, quod sit lege aut permitte, aut præcipiente. Cæterum, ni expresse aut implicite, probabiliter tamen aut certò, lex civilis donationes juramento firmatas excipiat, ipsæ nullæ erunt, juramentumque non faciet, quòd justæ evadant, sed iniquitati priori, sacrilegium adjunget. Verbi gratiâ. Si Iesuita, qui aliàs teneretur socium deferre, secreti observantiam promitteret, & hanc ipsam juramento firmaret; peccaret primò promittendo id quod servare non poterat, & secundò iniquam promissionem sacrilego juramento onerando: ergo eodem omnino modo in casu præsentis philosophaberis.

ARTICVLVS IV.

An Pater donare possit filio?

630 **I**vre naturæ filius naturalis, homo est patris, nomine & personâ propriâ caret; & siquid habet, parentis habet nomine & siquid acquirit, patris etiam acquirit. Possit emancipari clarissimum est, nam de facto multi emancipantur: & emancipatus habetur ad parentem sicut homo qui nomen proprium & propriam personam habet. Emancipatus possit acquirere rerum dominium penes arbitrum emancipantis. nam emancipatio est duplex inadæquata aut imperfecta, & adæquata aut perfecta. ex vi hujus filius redditur sui juris & acquirere sibi potest rerum quarumcumque dominium, ex vi alterius potest

rit acquirere aliquarum; nam imperfecta illa emancipatio fit ad talem determinationem effectum. Vt igitur de donationibus, quæ inter patres & filios fieri solent, disputemus, supponendum est primò nos non agere de filio perfectè emancipato, quia iste est tam capax domini quam quicumque alius exter. *Secundò* non esse possibile filium donari validè aliquo munere, ita ut verum dominium proprietatis acquirat & maneat nullatenus emancipatus; aliàs enim involveretur contradicatio, hi enim termini *est domini capax & non est domini capax* sunt contradicentes, & de eodem subjecto dicerentur, nempe de filio; ille, quia acquirit proprietatem; iste, quia nullatenus emancipatus est. *tertiò* totam difficultatem circa filium imperfectè emancipatum versari. Considera Theses sequentes.

PRIMA. *Non est intelligibile filium esse nullatenus emancipatum, & tamen esse proximè capax alicujus directi domini.* Sed ais. Filius, adhuc cum est sub parentum tutela & nullius emancipationis fruitur privilegio, adhuc tunc potest emancipari; si emanciparetur esset capax domini; ergo potest habere dominium. Et respondeo hoc argumentum esse simile illi, quo apud Augustinum Adamus moriturus & mortalis etiam in statu innocentie fuisse probatur. Adamus enim adhuc innocens poterat peccare; stipendium peccati mors: ergo adhuc in statu innocentie poterat mori. Vel etiam sic. Adamus etiam cum innocens erat peccaturus: ergo & moriturus. Patet; quia sicut erat verum dicere, *Hic homo innocens peccaturus est*, ita etiam, *Hic homo innocens est moriturus*. Et omnes ipsæ tam veræ, quam hæc, *Cæcus potest videre*, quia omnes in sensu remoto, non in proximo. Cæcus quidem potest videre; quia recipere oculos potest, non tamen potest visionem cum ipsa cecitate componere. Homo innocens poterat mori; quia & peccare; non tamen mori poterat antequam peccaret, nec possit mortem componere cum innocentia. Ergo & similiter. Filius nullatenus emancipatus potest acquirere rerum dominium, non verò antequam saltem imperfectè emancipetur, non enim componere poterit non-

non-emancipationem cum acquisitione domini. Stat igitur thesis, quæ proximam capacitatem illi expresse negat, & remotam implicite concedit, ante emancipationem enim non habet potentiam proximam acquirendi rerum dominium, sed potest habere: habet igitur potentiam remotam & radicalem negativam, quam *non-repugnantiam* nominamus. Negativam quidem; quia si positiva illa esset, vix processus in infinitum vitari posset. posset enim etiam haberi, & hæc potentia, quâ haberi posset, etiam posset haberi; & sic ulterius sine termino.

632 **S**ECUNDA. *Donatio facta vel à patre uni filio, vel à domino alicui servo, imbibit inadæquatam emancipationem.* Patet; quia donans vult hanc donationem esse validam; ergo vult omnia illa, sine quibus valida esse non possit. Atqui, ut illa sit valida, potestas acquirendi dominium in ipso recipiente requiritur, ut talis potestas recipienti conveniat requiritur patris (vel domini erga servum) licentia. & hæc est eadem ac emancipatio. nam emancipare ad aliquem effectum, est concedere licentiam ut filius sit sui juris, quoad illum effectum; & emancipare totaliter est concedere, quod sui juris sit, quoad omnia.

633 **T**ERTIA. *Emancipatio imperfecta potest à Patre revocari.* Corollarium. *Ergo donatio facta à patre filio sub ejus auctoritate constituto firma non est, sed revocari poterit.* Nominem donationis, intelligo eam, quæ traditionem rei realem vel moralem includit (aliàs enim non jam donatio, sed promissio esset; promissione autem non transferri rerum dominium certum est.) & assero hunc posse revocari à parente. Ita Molina disput. 2.43. num. 1. & disp. 291. num. 1. & Dicastillus lib. 2. tract. 5. disp. 1. num. 62. Vbi subjungit Molina aliqua, quæ Dicastillo placent, & mihi videntur esse omnino falsa. Citatus Dicastillus, *Qui (Molina) rectè addit, ita morte patris (donationem) confirmari, ut retrahatur ad tempus, in quo facta fuit, ut simul cum re donata fructus inde percepti ad filium spectent.* Displicet illud retrahatur, morte enim parentis non fit ut filius reddatur dominus rei à patre donatæ, si antea non

erat; sed quòd reddatur firmus & irrevocabilis dominus rerum, quarum antea quidem dominus erat, sed infirmus & revocabilis. unde mors illa non habet vim retrahendi, vel ut terminis philosophicis utar, non habet potentiam ad præteritum, nihil enim ex vi ipsius fit præteritum. Non facit mors parentis, quòd res à patre, dum viveret, donata filij fuerit; quia & revera donata erat. non facit quòd irrevocabiliter fuerit; quia talis non fuit, nequidem virtualiter: sed facit, quòd à morte parentis incipiat filius habere irrevocabile dominium rei à patre donatæ & fructuum ab illâ perceptorum sub suâ potestate actualiter existantium, quod ante mortem parentis non habebat. Vbi igitur potentia ad præteritum relucet, vel ut eorundem Authorum utar terminis, ubi aliqua retrahitio?

Hæc præmissa sunt ex puro naturæ jure à legibus humanis præciso. nunc illarum vires perpendamus.

QUARTA. *Potest lege humana (latam 634 & acceptatam intelligo) interdici parentibus, ne aliquid filijs sub suâ potestate constitutis largiantur; & hoc bisariam, nimirum, aut merè præcipiendo, aut etiam illos inhabilitando & quodammodo amortizando.* Præceptum purum non reddit actus invalidos, sed illicitos; unde pater, qui contra Reipublicæ præceptum aliquid donaret filio suo, illicitè quidem, sed validè donaret. At inhabilitatio est amortizatio seu politica & inadæquata quædam mors, ex vi cujus potestas donandi filijs, quæ erat in parente, extinguitur, & parens quæ potens donare filijs munera, intelligitur civiliter mortuus. unde talis inhabilitatio est impedimentum quantumque donationem dirimens. Nec opus est, ut semper parentem afficiat, eumque reddat non-potentem donare; sufficeret enim si vel filium afficeret, eumque redderet non-potentem recipere; quia ut paries videatur, requiritur quòd ipse possit videri, & oculus videre possit; unde, si vel ipse esset invisibilis, vel oculus non esset visivus, paries non videretur: & eodem prorsus modo, ut donatio sit valida in donante requiritur donandi potentia, & recipienti potentia in recipiente, quarum alter-

utrâ defi-

utrâ deficiente donatio erit invalida; non secus ac illa quæ fieret Religioso à seculari, aut seculari à Religioso, quarum prior nõ valeret defectu potentie receptive, posterior defectu donativæ; Religiosus enim nomine proprio nec dare; nec acquirere potest.

635 QUINTA. *Sunt leges civiles, quæ inhibent donationes notabiles factas sine insinuatione, & determinent quantitatem, quam parens filio sine insinuatione donare possit.* Has leges, si acceptatæ, esse validas, constat clarè: non enim contra jus naturæ præceptivum militat, sed solum permissivum limitat, & subditis non-invitis possunt imponi; qui enim talem legem acceptat, cedit jure naturæ sibi contrarium permittente. Ut leges has (dandas inferius) altè intelligas, propono casum. In civitate N. erat lex inhibens ne ultra quatuor terræ mensuras rusticus filio sub suâ potestate constituto donaret sine insinuatione: Blasius Bartolo filio, donavit octo ante aliquot annos, & jam jam moribundus desiderans hanc donationem esse validam, me consulit, An aliquâ invaliditate laboret? & si laboret, An remedij capaci? Respondeo primò esse certum excessum illi quatuor mensurarum nõ potuisse à Blasio sine insinuatione donari, ac propterea nec nunc esse, nec olim fuisse Bartolum illius excessus dominum; unde mortuo Blasio non solum ille excessus sed etiam fructus inde percepti adjungendi bonis Blasij, & inter hæredes dividendi. De quatuor mensuris, quarum donatio fieri potuit secundum leges, minor videretur difficultas, quia communis sententia supponit, hanc octo mensurarum donationem quoad quatuor esse validam, & invalidam quoad excessum. Sed antequam præcipitanter suffragium meum ferrem, vellem literam legis considerare; ipsa enim potuit bifariam ferri. Dabo formulas. Prima: *si pater filio non emancipato ultra quatuor mensuras donaverit donatio esto nulla.* Secunda: *si pater filio non emancipato ultra quatuor mensuras donaverit, donatio tantum quoad quatuor mensuras valeat, & quoad excessum esto nulla.* Et existimo, ex vi secundæ legis Bartolum acquisivisse verum dominium in quatuor mensuras, revocabile tamen, & in excessum nullum

jus acquisivisse: ac propterea morte Blasij dominium illarum quatuor mensurarum & fructuum confirmari; non tamen confirmari dominium illius excessus, quod enim non fuit, confirmari non potest; debet enim aut fieri de novo, aut non esse. At verò ex vi prioris formulæ illa donatio esset invalida, & si invalida nullum jus Bartolo, nequidem in quatuor mensuras conferret. non enim ibi fiunt duæ donationes, sed una & simplex, ergo vel valida, vel non. si valida, omnium octo mensurarum dominium transferet; si invalida, nullius. Blasius igitur in articulo mortis constituto non tenetur confirmare validas donationes factas filijs, has enim mors ipsa confirmat: sed ut invalidæ teneant, debet easdem res tunc validè donare, & poterit per modum donationis inter vivos, & per modum legati: priori modo, si insinuationem præmittat; secundo, tamen si omittat, legatum enim nullam indiget insinuatione. Videantur Molina *disp. 243. num. 1. & disp. 291. num. 1.* Antonius Gomez *2. variarum. cap. 4. & ad legem 17. Tauri num. 8. & ad legem 29. num. 26.* Covarrubias *cap. Raynaldus de restib. §. 2. n. 6.* Gregorius Lopez *ad legem 4. citatam. Navarrus in Manuali cap. 17. num. 146.* Si adjungas ea quæ dicit *num. 149. & Dicastillus lib. 2. tract. 5. disp. 1. dubitat. 4. num. 62.* à quibus tamen in illarum formularum distinctione abeam, in alijs non dissentio. quæ omnia communiter Authores deducunt ex leg. *Donationes. 1. junctâ Glosâ ibi verbo. Referatur. C. de donat. inter vir. & uxor.* Et ex lege *2. junctâ Glosâ ibi verbo. Familæ C. de inofficiosis donationibus. leg. Cum in rebus. C. de donationibus. & lege ultimâ C. de impuberum & alijs substitutionibus* in quâ pater & filius sub ejus potestate constitutus censetur una & eadem persona moraliter; unde quidquid acquirit, nomine patris acquirit, ac idè non sibi sed patri. Vbi obiter notandum est, quod in bonis Castrensibus & quasi Castrensibus filius est persona moraliter distincta à patre, ac idè potest de illis nomine proprio disponere, & hoc beneficio Juris, ut optimè notarunt Azorius *libri 11. cap. 9. Dicastillus lib. 2. tract. 5. disp. 1. num. 62.*

Q V I N T A.

636 QUINTA. *Donationes factæ filijs sub parentum potestate constitutis sunt revocabiles.*

Primò si detur causa: quia etiam aliæ donationes ex causa revocantur. Secundò etiam sine causa, quia pater semper est filij dominus directivus, & potest ejus personam gubernare. Ita omnes. Vbi notandum est donationes hujusmodi, quæ revocabiles verè adferuntur; morte parentis, & etiam filij emancipatione confirmari. & constat ex *l. sine C. de donat.* sed hæc veritate præmissâ aliqua dubia suboriuntur.

Primum, An pater possit simpliciter revocare donationem faciendo, quod filius in posterum non sit illius rei donatæ dominus; an verò poterit ita revocare, ut revocatio retrahatur & nunquam moraliter fuerit dominus? Si possit primo modo, omnia acta filij circa bona quæ habebat ex liberalitate parentis, erunt valida: invalida, si secundo modo.

Respondeo posse patrem, qui dedit agrum filio sibi subdito, revocare illam donationem secundo modo; quamobrè, si stante donatione filius aliquid aut vendat aut donet, non stabit venditio aut donatio. addo ex vi hujus revocationis posse patrem privare filium nõ solum agro, sed & quibuscumq; fructibus (pecuniâ, quæ pro fructibus venditis fuit habita, etiam est fructus) quorum actuale dominium filius habeat. potest enim facere, ut nullius rei (Castrensia & quasi Castrensia excipio, quia de istis suo loco) sit directus dominus. Hæc notitiâ veritatis admoniti quotquot contractus cum minoribus aut filijs familias ineunt, volunt eosdem à tutoribus & parentibus firmari, ut qui fortè à minoribus rati esse nequeunt, robur à majorum adquirant voluntate.

Secundum, An Respublica possit sine causa revocare donationem validè factâ filio emancipato? Hic attento lectore indigeo. Omnis donatio facta à patre filio est ex natura sua revocabilis, ut omnes Authores supponunt: ergò non potest pater aliquid donare donatione irrevocabili. (firmatam juramento excipio, quia Imperialis Camera hujusmodi donationem ratam & irrevocabilem existimat; cui

subscribunt Authores illustrissimi, & favet lex. non dubium. §. in fin. C. de legibus. l. in adibus 9. §. ult. ff. de donationibus. junct. §. igitur liberi. instit. per quas personas cuique adquiratur. Andreas Gail lib. 2. observ. 38. n. 7. & seqq.) Ergò pater familias, cum acceptavit legem, quæ filium tali aut tali ætate aut statu constitutum emancipat, cedit suum jus, non quidem filio, sed Reipublicæ; non filio, quia & hæc ceditio donatio esset, & idè non nisi revocabilis. Si igitur Reipublicæ pater cedit, procul dubio non aliam auctoritatem quam habebat, ergò auctoritatem concedendi quæ possit revocare, & nihil concedendi quod non possit revocare. illa igitur quando filio familias cedit emancipationis privilegium concedit, quod potest revocare, etiam sine causa, eo prorsus modo quo poterat pater cujus ceditio dedit talè auctoritatem Reipublicæ. Igitur, si Respublica possit revocare emancipationem, poterit facere, quod ille amancipatus iterum sub dominio paternæ jurisdictionis sit, & nullius rei dominium habeat. cum igitur ad patrem filij persona redit, etiam filij bona redeunt, unde quæque adquisita, quia ex vi hujus revocationis pater & filius fierent una persona moralis ut antea: ipsi enim ex natura rei nõ sunt duæ personæ morales; emancipatio erat divisio, quæ illos in duas personas morales distinguebat; & emancipationis revocatio est distinctionis ablatio, ac propterea sublata unitatis restitutio.

637 SEXTA. *Qui plures habet filios subditos potest pro libitu majores expensas facere in vitæ, amictum, & famularum unius, quam alterius.* Tenetur enim filios alere & se; cumq; nullâ lege prohibeatur se alere pro libitu, nullâ lege prohibebitur alere pro libitu filios, qui eadè cum eo persona censentur. Hinc sequitur filium, quicum plus expendit pater, quam cum alijs, non teneri restituere fratribus hunc excessum in divisione hæreditatis, sed posse hæreditatem adire eodem modo ac si æqualiter fuisset in sua nutritione expensum. Ità Molina *disp. 242.* Navarrus *in Manuali cap. 17. numero 159.* Azorius *3. p. cap. 9. quest. 2.* Dicastillus *lib. 2. tract. 5. disp. 1. num. 63.*

X

Hæc

638 Hæc assertio ab aliquibus probatur sic. Nam si illud quod pater consumit in aliis filiis qui adhuc sunt sub ejus potestate, esset computandum in divisione hæreditatis, sequeretur esse peioris conditionis filios priores, quam posteriores. consequens est absurdum: ergo non est faciendus talis computus. Sequela illa majoris probatur; quoniam majores frequenter sunt longiori tempore sub patria potestate. Hæc tamen ratio nihil probat; primò quia posset major distingui, & concedi majores filios esse peioris conditionis per accidens, & melioris aut æqualis per se. Respublica enim, quæ tali anno ætatis filios emancipat, non facit peioris conditionis majores quam minores, omnes enim subeunt æquali tempore; quæ subijcit filios usque ad matrimonij contractum, neutros peioris conditionis facit, potuit enim minor ducere uxorem prius quam major, non ergo ex tali lege sequeretur per se quod majores filij essent peioris conditionis quam minores. Præterea licet admitteretur major, quæ omninò non est vera ut vidimus, posset negari minor; multæ enim Respublicæ sunt, quæ minores præponunt, videntur enim esse parentum Ben-jamini & dilecti. Præterea, si in bonis indivisibilibus majores sunt melioris conditionis quam minores, quid mali si è contra in bonis divisibilibus minores essent melioris conditionis quam majores, ut esset minor inæqualitas.

639 Nos igitur Thesin probaturi ad ipsammet naturam rei veniamus. Sic dicurimus. Quæ parens expendit in suæ personæ nutritionem, famulatum & auctoritatem non ingrediuntur computum cum agitur de hæreditate; atqui filij sunt una & eadem persona cum patre: ergo neque illa, quæ expendit in filios. Consequentia est legitima, major & minor apud universos certissimæ. Confirmatur. Si famulum conducas promittens illi victum, amicum & quinquaginta florenorum salarium, non posses hoc diminuere melioris tractationis prætextu, quia sive illum splendide sive misere tractes tantumdem debebis pro salario rependere: igitur si in famulis non habetur ratio melioris vel peioris tractationis cum de salario agitur;

ergo neque in filiis, cum agitur de hæreditate.

SEPTIMA. *Donationes matris & avie vel avi maternorum nullo jure infirmantur.* Ita Sa verb. *Donatio*. Molina disp. 291. num. 4. Antonius Gomezius 2. *variarum*. cap. 4. in fine. & probatur ex l. *Cum res C. de donat.* vel qui aliter sentiat, ostendat nobis jura, quæ maternam donandi auctoritatem limitent.

OCTAVA. *Donationes factæ filio illegitimo valide sunt.* Patet, quia jure solum infirmantur factæ filiis legitimis sub parentum constitutis potestate; nothi autem & illegitimi tametsi physice sint filij, moraliter filij non sunt.

NONA. *Potest interdici parentibus, ne revocent donationes legitime factas, & irritari hujusmodi revocationes.* Patet; quia tametsi filius non possit inhibere ne pater donationem revocet, potest hoc ipsum inhibere Respublica, ad quam per acceptationem legis & cessionem juris in ipsamet cessione inhibitam, tota patris auctoritas translata est. Positâ tali lege, si contingeret donationem factam revocari à parente, non teneret illa revocatio.

Hinc constat valide & justè disponi lege 17. & 26. Tauri. [in nova recopilatione, sic collectionem dicunt, illa est lex 1. tit. 6. lib. 5. hæc 10. ejusdem tituli] omnem donationem etiam sine traditione factam à patre, matre, aut avo, aut quocumque majore valere, esse tamen revocabilem; eamque, si non revocetur, morte donantis confirmari. nullamque donationem cum traditione physica aut moralis (etiam per solam clausulam constituti) posse revocari.

644 Constat etiam valide statui jure communi aliquas donationes esse irrevocabiles. PRIMO enim irrevocabilis, si titulo dotis aut nuptiarum facta: lege *Pomponius Philadelphus*. ff. *familia erciscunda*. SECUNDO, si remuneratoria; non enim donatio, sed solutio est. illa autem quæ pro solutione debiti dantur, repeti juridicè non possunt. Ita Bartolus l. 1. §. *Nec castrense*. ff. *de collat.* & l. *Si donatione C. eod. tit.* & l. *Frater à fratre* ff. *de conditionibus indebitis*. adsonant Dicastillus, Molina, Azorius & alij jam citati. TERTIO quæ bona

quæ bona mobilia filio eunti ad castra traduntur. Ita Molina ubi supra num. 2. & probatur ex lege si filius familias C. *familia erciscunda*. Consonant Molina Sa verbo *Donatio*. num. 13. Navarrus cap. 17. Dicastillus lib. 2. tract. 5. disp. 1. num. 71. Azorius lib. 11. c. 9. QUARTO quando pater concedit filio usumfructum quæ habet in bonis adventitijs filij. Ita Lessius li. 2. cap. 4. dub. 3. & Molina ubi supra ex l. *Cum oportet* §. *sin autem*. ff. *de bonis quæ liberis*.

ARTICVLVS V.

An filius donare possit patri?

645 FACILIOR hæc quæstio quam præcedens, licet ex eisdem principiis resolvenda. Dico igitur, ut donatio sit valida, requiri, primò quod res sit donantis, & neuter sit jure impeditus; nam si donator jure impeditur ne dare possit, aut recepturus ne possit acceptare, donatio erit invalida. Ut igitur donatio ista sit valida opus est, ut de bonis ad filium ut ad dominum directum pertinētibus fiat, & nullo sit jure interdicta. Non reperio leges, quæ interdicant aut limitent filiorum donationes, tam prava enim lapsa generis humani natura, ut filij sanguinè parentum exfugere parati, ne erga eosdem sint prodigi legibus non indigeant. Idem ergo erit inquirere, quid filius possit parenti suo donare, ac inquirere, cujus aut quarum rerum directum dominium habeat filius etiam dum subest parentis potestati. Quibus positis resolvo breviter filium posse donare suo patri, primò ex bonis castrensibus aut quasi castrensibus. l. *Cum oportet*. §. *excepto*. C. *de bonis quæ liberis*. secundò de donatis à Principe. l. *Cum multa*. C. *de bonis liberis*. tertio de adventitijs, nempe de illis quæ relinquuntur filio eo pacto, ut pater non adquirat illorum usumfructum. Glossa in *authenticis*. Idè est. C. *de bonis quæ liberis*. & in *authenticis*. *Ut liceat matri*. quartò ex bonis ob mortem matris vel sororis, si contingat eorundem plenum dominium specialiter aliquo jure acquirere. Consulatur Sylvester verb. *donatio* 2. q. 7. Molina disp. 291. Dicastillus lib. 2. tract. 5. disp. 1. n. 75. Reginaldus lib. 25. num. 157. Navarrus cap. 16. n. 145. Lessius lib. 2. c. 18. n. 90.

ARTICVLVS VI.

An valide donationes conjugum?

646 QUAM miseri sint conjugati, præcipue si senes & adolescentem duxerint, non credet inexpertus. Fortè expertissimus Satyricus ille Poëta, qui cecinit *Nupta seni juvenis cur dicitur esse petulca?* Nã petit omnipotens, nã capit omnipotens. Sanè omnia uxores petunt, omnia capiunt; & quia petendi nullus modus, debuerunt lege externâ constringi, ne amoris prætextu miseros maritos exspoliarent. Idcirco millenis legibus donationes utriusque conjugis redditæ infirmæ; utriusque inquam, quia si solæ factæ à maritis haberentur invalidæ, sibi injuriam à legislatoribus inferri scemina ingeminarent. Sit igitur Conclusio

PRIMA. *Quando valet donatio inter conjuges, etiam valet inter liberos.* Ita Sylvester, Sa, Lopez, Lessius, Azorius, Gomezius, Molina, quos citat & sequitur Dicastillus lib. 2. tract. 5. disp. 1. n. 72. Cur non è converso, *Quando valet inter liberos, valet etiam inter conjuges?*

648 SECUNDA. *Sicut donatio pure liberalis facta à patre filio sub potestate suâ constituto est valida & revocabilis, sic etiam facta conjugis à conjugis est valida & revocabilis.* Ita Gomezius 2. *variarum*. cap. 4. n. 23. Antonius Gomez ad leg. 50. Tauri n. 64. & 65. Molina disp. 289. n. 2. Dicastillus lib. 2. tract. 5. disp. 1. dub. 5. n. 80. Sanchez 6. *de Matrim.* disp. 1. n. 2. Layman 3. *de justit.* tract. 4. cap. 12. n. 11. Azorius lib. 11. cap. 10. & probatur ex l. 3. in princ. & §. *Sciendum*. & leg. *Sed interim* ff. *eodem titulo*. &c. ubi repetitam rationem Satyrici Poëtæ reperies.

649 TERTIA. *Sicut dantur leges civiles interdicens parentibus, ne tantam vel tantam quantitatem filijs sub sua potestate constitutis largiantur; & hoc bifariam; nimirum, aut merè præcipiendo, aut inhabilitando & quodammodo amortizando: sic etiam possunt dari, quæ donationes inter conjuges eisdem duobus modis interdiciant.* Probatur; quia neutra leges militant contra legem naturæ, imò utraque ad bonum civile conducunt, quamobrem poterunt legitime ferri, & si acce-

si acceptentur, in conscientia obligabunt. Huc appropriari possunt omnia quæ diximus articulo 4. Thesi 4.

650 **Q**UARTA. *Ut donatio facta à parente filio, tametsi revocabilis, firmatur vel donantis morte, vel donatarij, puta naturali aut civili: sic etiam donatio inter conjuges facta firmatur morte naturali aut civili.* Quoad naturalem conveniunt inter se Doctores. Gomezius 2. *variar. cap. 4.* Covarrubias *Rubric. de Testam. punct. 3. num. 3.* Molina *disp. 288. num. 14. & 289. num. 4. & 8.* Sanchez libro illo 6. *de Matrim. disp. 14. 15. & 16.* Iulius Clarus §. *donatio q. 3.* Dicastillus *lib. 2. tract. 5. disp. 1. dub. 5. num. 82.* Quoad mortem moralem & civilem dissentiunt, multi enim negant. Sed sequor citatos Thomam Sanchez & Ioannem de Dicastillo, qui putant exilio, professione, aut aliâ simili morte politicâ huiusmodi donationes firmari. Ad robur juramenti multi piè potius quam doctè recurrunt, illud enim ex se essentias non mutat, sed conscientias obstringit; bene enim stat rem validè & illicitè fieri; sed de hoc cum de juramentorum essentia & virtute inferius disputabimus. nunc tantum adjungimus posse Rempublicam lege statuere, ut donationes conjugum, si juramento munitæ, sint validæ, & tunc standum esset legi. Vtrum sic statuerit inquirunt Doctores; Camera Imperialis affirmat: communiofferentem sententiam noster Diodorus Tuldenus Lovaniij Legum Antecessor Primarius in Repetitione de Donationib. anno 1643. propugnavit, & probavit ex *cap. Contingat. de juramento. authentica sacra puerum. C. si adversus vendit.*

651 Sed & hic videtur falli Dicastillus, cum ait, num 82. *Si res fuit antea tradita conjugis superstiti, confirmari morte donatoris, & retrorahi donationem ad tempus quo facta fuerat, ac proinde omnes fructus ex illo tempore pertinere ad conjugem donatarium.* non enim est opus, ut hæc donatio retrorahatur, ut fructus illi pertineant ad conjugem superstitem, cui facta dicitur talis donatio. Ratio est, quia donatarius ante conjugis mortem, tametsi haberet revocabile, habebat verum & proprietarium dominium disponendi de illa re, ut de sua.

Sed occurrit difficultas gravissima. Suppono Albericum donasse uxori suæ aliquas gemmas; hanc disposuisse de illis ut de suis, utpotè veram & legitimam dominam; alias donasse, alias vendidisse; pecuniam ex commutatione receptam partim in elæmosynas, partim in convivium profudisse. ita ut tandem nihil, quod ex illis gemmis provenisset apud ipsam exstaret; interrogo. posset ne maritus revocare donationem illam, ita ut revocatio retroraheretur ad tempus, in quo fuit facta? vel ut clariùs loquar, concedemus-ne potentiam ad præteritum marito, ut faciat, quod illa donatio facta uxori virtualiter fuerit invalida? Si concedamus, debemus etiam concedere amicos qui gratis acceptarunt, pauperes, & reliquos teneri ad restitutionem. quale chaos! an iusta lex, quæ vitam conjugalem, aliàs non-facilem, ad tales quæstiones reduceret? an non ibi donatarij aut minueretur, aut perderetur authoritas? an non excitarentur jurgia? & tandem donator nihil consequeretur? Respondeo leges prudenter esse interpretandas, nec credendas in publicam perniciem tendere adeoque illam communem sententiam quæ dubio respondet assertivè videri prudentium iudicio limitandam.

652 **Q**UINTA. *Ut parentibus, sic etiam interdici potest conjugibus ne donationes revocent.* Imò sunt casus aliqui, in quibus id leges interdiciunt. I. Donatio enim remuneratoria revocari non potest, hæc enim potius quam donatio, solutio est. II. remissio dotis, vel partis, vel fructuum à dote percipiendorum. III. si domus conflagraverit, donatio ad reficiendam domum, si quantitatem necessariam non excedat. IV. si conjux donet alteri ut dignitatem aliquam adsequatur, tunc enim videtur pro se ipso illam summam expendere; conjugis enim qualitates in alterum conjugem redundant. V. si donatio fiat sine detrimento donatoris, hoc est, si non fiat donando pauperior; ubi vult Molina non fieri pauperior, qui ce jus in rem quod habebat. VI. si donatio sit talis, ut non reddat donatarium ditior em. VII. si donatio causam habuerit, præcipuè si pertinentem ad iustitiam; si enim maritus

maritus habitaverit in uxoris domo, usque fuerit uxoris famulis, poterit validè & irrevocabiler tantam summam donare, quanta prudentis æstimatione sufficiat, ut illi obligationi satisfaciatur. IN QVIBVS omnibus casibus non est instituendus computus Geometricus, est enim providendum paci & amori conjugali, cui leges universæ prospiciunt, & nemo non videt illam & hunc diminui quando tales computus inter conjugatos instituuntur.

653 **S**EXTA. *Sicut inter patrem & filium (imò & inter quoscumque homines) donatio, quam non comitatur traditio physica vel moralis, est invalida, & non habet vires donationis, sed solius promissionis, sic etiam inter conjuges.* Ratio est; quia si res non traditur; non datur, sed solum promittitur danda.

Dubia nonnulla dissoluta.

654 **I**Petrus dedit aliquas gemmas uxori suæ; & ipsa scrupulosa subdubitavit, An in proprietatem illas dederit, an verò in usum?

Respondeo examinanda esse primò donantis verba, quia si ex ipsis mens donatoris cognoscatur, cessat omninò quæstio. Si ex donantis verbis non possit mens ejus colligi, examinandæ sunt aliæ circumstantiæ. Videndum, quid faciunt femina prudentes ejusdem qualitatis, cum similia munera à suis maritis accipiunt: an de illis disponunt ut de suis, an tantum utuntur reservantes marito dominium? Sic satisfaciendum dubio puto; quia si ad pretium recurrimus, quod & fecerunt Bartolus & alij quos refert & sequitur Iulius Clarus *quest. 10. de donation. 2. p. cap. 22.* & multi Authores, quos Thomas Sanchez *lib. 6. de matrim. disp. 25. num. 10.* citat, rem dubiam novo dubio implicabimus; cum enim res leves à gravibus distinguunt, deberent etiam exponere, quas judicant leves & graves; materia enim, quæ esset sufficiens ad peccatum mortale inter peregrinos, inter conjuges nonnunquam levis est; & gravis etiam solet à maritis donari; esset enim durus, qui nihil pretiosum suæ uxori donavisset; juxta sui status qualitatem.

655 **II.** Petrus habebat bonâ fide Antoniâ in uxorem, & quia illam amabat multa dona ipsi dedit, & postea comperiens matrimonium fuisse omnino invalidum, inquit, An ille donationes teneant? An revocari possint?

Respondeo esse mihi certum & ratum illas revocari non posse, sed futuras esse quales fuerunt cum factæ; hoc est, validæ vel invalidæ. Sanè si invalidæ fuerunt ab initio, revocari non possunt; non enim revocari dicitur, quod nunquam validum fuit. si validæ fuisse dicantur, quâ illas authoritate Petrus revocabit? conjugali? minimè, supponitur enim non esse verè conjugatus. quâ ergo?

656 Sed quia etiam inquiritur, An fuerint sub initium validæ? respondeo variare hic Authores & inter absolutè asserentes & absolutè negantes ineundam esse mediam viam ducibus ratione & æquitate. *Dico primò* omnia quæ remuneratoriè Petrus uxori putatiæ dedit, & omnia quæ fundantur in aliquo debito iustitiæ & urbanitatis esse absolutè uxoris tametsi non veræ. *Dico secundo* puras & gratuitas donationes, quæ natæ sunt ex merâ liberalitate, posse adhuc in duas classes distinguui; quia vel aliàs fuissent factæ, vel non. Si aliàs fuissent factæ, puta si Petrus illam fœminam ita amaverit, ut credendus sit etiam illa eadem daturus fuisse concubinæ, quæ uxori; videntur illæ donationes non posse argui de errore, datæ enim sunt personæ propter qualitatem pulchritudinis, non propter matrimonij circumstantiam. Cæterum, si illæ donationes non fuissent factæ, si Petrus sciret illam non esse uxorem suam, dicendæ sunt processisse ex errore, ac propterea nec fuisse liberas nec validas. *Sed addo tertio* Petrum sub illud tempus usum fuisse fœminâ sibi æquali, tantâ quæ sibi posset nubere & ex hoc eodem usu resultare grave eidem fœminæ damnum, meliùs enim potuisset olim junior & virgo nubere, quàm modo senior corrupta, & ignominiosè derelicta. ergo si error constituat Petrum involuntarium in gemmarum aut aliarum rerum traditione; idem error involuntariam etiam illam constituet in traditione corporis: ergo sicut ille er-

ror dicitur non debere esse in causa quod ille patiatur damnum, sit etiam ne ista patiatur. Petrus igitur donata ex errore recuperet, recepta ex errore restituat; det igitur pudoris pretium, & gemmas donatas recipiat. [*Lege Molinam disp. 200. Gomezium legi 52. Tauri. num. 77. Thomam Sanchez de matr. lib. 6. disp. 2. num. 8. qui num. 9. dicit valere. Sed & jura sunt varia, & expræmissis in meâ resolutione intelligenda.]*

Castellæ lex

657 **D**iffert à jure communi Castellæ in hac materia, lex enim 3. tit. 12. lib. 3. fori sic habet. *Si el marido quisiera dar algo a la muger, o la muger al marido, ne habiendo hijos puedelo hazer despues que fuere el año pasado de que se casaren, y no antes. y si despues desta donacion ovieren hijo, no vale la donacion, fuera quanto en su quinto. hoc est, Si maritus voluerit aliquid donare uxori, aut marito uxor, si non sint proles & annus à nuptiis lapsus fuerit, facere potest. At si post hanc donationem nascatur proles, donatio non nisi quoad quintam partem valet. Quæ quidem lex specialis est in regno Castellæ, & jus commune corrigit in multis circumstantiis.*

658 **P**etis primò, An ante anni primi finem possint fieri aliquæ donationes inter conjuges in regno Castellæ? Respondeo cum Roderico Suarez, Gregorio Lopezio, quos sequitur Gutierrez de jure confirmationis part. 1. cap. 3. num. 25. & Dicastillus lib. 2. tract. 5. disp. 1. num. 103. posse quidem, & confirmari eo ipso, quòd annus elabatur: cum enim lex non interdicit donationes sub primum annum fieri, sed agat de his quæ post illum fiunt, illas juris communis auctoritati submittit, juxta quod fieri quidem, sed & revocari possunt. Cæterum si non revocentur elapso anno redduntur irrevocabiles; quia ipsamet non-revocatio donationis confirmatio aut secunda donatio est.

659 **P**etis secundò, An conjuges habentes filios, possint sibi aliquid ex purâ liberalitate donare? Respondeo nihil hac lege speciale disponi, quam obrem recurrendum est ad jus commune, quod tales donationes permittit, at esse revocabiles

statuit nisi morte firmentur juxta regulas & exceptiones suprâ positas.

660 **P**etis tertio, An natiuitas proles donationem retrotrahat ad tempus, quo facta? Videtur quòd sic ex illis legis verbis, *Si post hanc donationem nascatur proles, donatio non nisi quoad quintam partem valet.* Illa enim donatio a principio erat valida quoad totum, si enim non nasceretur proles nulla invaliditatis inficeretur circumstantiâ; post proles natale redditur invalida quoad quatuor quintas, & quoad unam quintam confirmatur; ergò. ergò illa proles natiuitas habet vim ad præteritum, & facit quod donatio, quæ de facto erat valida quoad totum, fuerit solum valida quoad quintam partem. Igitur sicut physicè diceretur habere potentiam ad præteritum, qui faceret quod Petrus, qui de facto habuit quinque in manu digitos, non habuerit nisi unum: dicitur habere moralem potentiam ad præteritum illa entitas quæ facit quod conjux, qui de facto habuit directum dominium in totam rei donatam, non habuerit nisi in quintam partem.

661 **S**ed semper istæ dominij mutationes & revocationes siue à conjugè siue à lege una fiant mihi suspectæ sunt de iniquitate, & intolerabiles omnino nisi de re apud donatarium realiter aut æquivalenter existente agatur. Nam si donatarius illam bona fide donavit, recipiens distribuit, & tandem ad multorum manus devenit, qui possit recuperari illæso amoris vinculo, & nominis auctoritate non reperio, unde existimo leges sic exponendas, ut justæ evadant; nec justas, quæ fomitem iurgij, litibus & difficultatibus suppeditant. donationes factæ inter conjuges quamdiu res ipsa donata, aut ejus fructus apud donatarium extet, conjugis alterius voluntate juxta jus commune revocetur, aut proles genethliâ juxta Castellæ diminuat; at verò, si res donata jam perierit & nullum fructum reliquerit, quomodo illæsa pace conjugali & amicorum, qui consumptioni legitime sunt cooperati, quietè poterit revocari?

Huc videntur respexisse ipsæmet gentes, quæ introductas à jure revocationes moribus contrarijs revocarunt. Castellani in novâ

in novâ recopilatione legem citatam, ceu obsoletam, omiserunt. & consuetudine receptum est, quod donationes factæ à conjugibus non revocentur; unde prudens iure-consultus examinet, An consuetudo obtinuerit vel non, & me consule donationum perennitati faveat; hæc enim dominij arbitraria revocabilitas à gravitate exulat, & non tam libertatem, quam levitatem sapit.

ARTICVLVS VII.

De Insinuatione.

663 **H**umanæ memoriæ fragilitas armata concupiscentiâ & ambitione millenas difficultates pepererit, quas eradicare desiderans communis Legislator statuit ad donationum, quæ iurgijs abundare solebant, valorem insinuationem prærequiri, ut non interdicerentur ipsæ, sed curarentur. Insinuationem dicimus manifestationem ordinario & legitimo iudici in scriptis ab donatore ipso aut saltem ab ejus procuratore exhibitam, quæ declaret tantam quantitatem à se tali personæ liberè dari. Ad cujus insinuationis valorem non requiritur, quod fiat in loco iudicij, nec requiritur consensus aut decretum iudicis, sed sufficit ejus præsentia absque causæ cognitione aut examine. Ita Molina disp. 278. n. 9. & 10. Bartolus, Cornæus, & alij quibus subscribit Iulius Clarus §. *Donatio quest. 15.*

664 **D**ixi iudicis consensum non requiri; qui enim lex iusta posset deferre aliquid dissensui iudicis imprudenti & sanè imprudens, qui sine causæ notiâ (causam potest non iudex examinare) donationem aut positivè approbaret, aut positivè reprobaret. Debet igitur iudex agere personam puri testis, non secus ac parochus in matrimonio. Unde colligo errasse Dicastillum lib. 2. tract. 5. disp. 1. n. 113. ubi insinuationem definiens iudicis consensum & approbationem requirit.

665 **D**antur tamen casus, in quibus non exigitur ulla insinuatio. I. Si fiat à Principe absoluto. II. Si à Duce (jam Capitaneum dicimus) facta militi aut de mobilibus donatoris bonis, aut spolijs hostis. III. Si fiat ad reparationem ædium incendio absumptarum, vel quomodocumq; de-

struendarum. IV. Si piam causam respiciat. V. Si non sit purè liberalis; puta si sit remuneratoria, aut præparatoria; prior enim, ut non semel notavi, solutionis naturam sapit, & emptionis posterior. VI. Tandem si quingentos solidos non excedat. Omnes hi casus sunt expressi in jure, sed quia rationi plusquam auctoritati deferentem tædet citationes transcribere; lectori Molinæ *disputationem 279. Lelsij librum 2. cap. 28. Gomezij 2. variar. cap. 4. Azorij librum 1. cap. 6. q. 5. Dicastilli dubitationem 5. lib. 2. tract. 5. disp. 1. propono.*

Corollarium. Omnis igitur donatio, 666 quæ his sex exceptionibus non comprehenditur, si quingentos solidos exceperit, insinuationem requirit, quam si non præmittat, erit invalida.

Inquiris primò. An donatio facta causâ mortis insinuationem exigat? Respondet Dicastillus lib. 2. tract. 5. disp. 1. n. 120. dicens, *Vtraque sententia satis probabilis & in conscientia rata; in foro externo iudex utramque sequi potest.*

Inquiris secundò. An donatio facta Principi absoluto sit valida sine insinuatione? Respondeo, si talis ipse sit, qui possit in lege dispensare, censendus est dispensasse cum donum recepit; ergò in tali casu valida erit donatio. Si autem in legibus dispensare non possit, videtur adhuc donatio talis valida. leges enim Principis auctoritati providentes statuerunt tenere donationem ab ipso factam, ergò videntur implicite id ipsum à fortiori statuere de donatione eidem facta; majori enim confusione receptum restituitur, quam donatum accipitur.

Inquiris tertio. An donatio ad præferendas ædes ab instante ruinâ egeat insinuatione? Respondeo nomine reparationis non solum intelligi reedificationem, sed & refectionem. unde videtur lex quæ favet domui reedificandæ, à fortiori reedificandæ favere; cum enim domus est reedificanda periculum in mora est, non tamen cum reedificanda, donatio igitur pro reedificandâ domo debuit esse ab omni insinuatione immunis, ne contingens iudicem adeundi difficultas reparationem retardaret.

Inquiris

669 Inquiris *quarta*, An donatio sine insinuatione facta & tamen firmata juramento sit valida? Multi oculis clausis affirmant; sed dico juramenta non transferre rerum dominia, sed obligare conscientias. Vnde si lege decernatur, quod mille solidorum donatio facta sine insinuatione sit invalida, decernitur quod dominium non transferatur talis donationis virtute. Ergo qui ex vi talis contractus rem retinet, sanè rem alienam retinet, & primò invito domino supremo (hic est Respublica vel Legislatores) & etiam invito moraliter domino directo & proprietario; quia tametsi voluntarius physice dicatur, cum illegitimè voluntarius sit, virtualiter involuntarius est. Multi tamen prudenter ad ipsasmet leges recurrunt, & asserunt communem Legislatorem voluisse juramenta servare ubi contra legem naturæ non militent, tametsi in humanas impingant. Si hoc bene probetur, cessabit omnis controversia. at Camera Imperialis multum defert juramentis, cujus praxin sequuntur optimè Iurisperiti.

670 Sanè si illa lex sit privilegium donatori concessum, ipso juramento ceditur, sed videndum etiam est, an juxta illius Reipublicæ mores privilegij publicæ auctoritate concessis cedatur, & tunc teneret donatio. imò etiam, si fieret per hæc verba etiam sublato juramento, *Dono Petro mille solidos & cedo privilegio orto ex legibus, quæ insinuationem requirunt.* Sed restat examinandum, An validè fiat illa cessio? Sentio enim illi juri neminem cedere posse, lex enim non est concessiva, sed præceptiva. Subscribo Molinæ *disp. 278. num. 12.* Dicastillo *lib. 2. tract. 5. disp. 1. num. 136.* Rebello *lib. 18. quest. 6. de donat. num. 6.* Gomezio *1. variar. cap. 4. num. 7.* Monteroso *relato à Molina & alijs.*

671 Inquiris *quinta*. An, si Petrus donaverit bis-mille aureos quinque personis inter se dividendos, & insinuationem non præmiserit, donatio sit valida? Responsio speculativè est facilis, non tamen facili negotio ad praxin reducibilis. Dico hanc donationem vel esse unam moraliter, vel multiplicem. Si una, est invalida;

excedit enim solidos quingentos & in leges impingit: si quincuplex, valida: sunt enim quinque donationes quadringentorum solidorum. Si autem, utrum simplex vel quincuplex ipsa sit, inquiras; difficultatem practicam illam involvis, quam timebam. Qui dicunt esse unum simplex peccatum furari à quinque diversis personis quadringentos solidos, tenentur dicere hanc esse simplicem donationem, ac propterea invalidam: qui tamen illud furtum quincuplex putant, consequenter & hanc donationem quincuplicem, & propterea non nisi validam, existimabunt. Vbicumque enim verum sit dicere, Tota summa hujus donationis solidos quingentos non excedit, erit etiam verum dicere, Hæc donatio non inquirat insinuationem, ut sit valida.

Inquiris *sexta*. An donatarius, qui insinuatione non præmissa recepit mille solidos, teneatur ad restitutionem? & si tenetur, An solum teneatur restituere excessum, an vero totam summam?

Respondeo esse probabile donatarium posse tutè retinere conscientiam totam illam summam. quousque exigatur: sic enim docent Molina *disp. 278. num. 27.* Dicastillus *lib. 2. tract. 5. disp. 1. dub. 6. num. 137.* Lessius *ubi supra num. 99.* Rebellus *lib. 18. quest. 8.* ratio est, quia nil retinet invito domino, nec videntur leges velle obligare donatarium, ut rem, antequam tacite aut expressè exigatur, restituat.

Ex hypothesi, quod teneretur restituere, adhuc videretur defensabile debere restituere excessum; puta, si in casu posito donatarius quingentos solidos restitueret, videretur posse alios quingentos retinere, qui sine insinuatione potuerunt validè donari. Et si hæc verà sint, qui restituisset quingentos solidos, alios quingentos etiam postulanti non teneretur restituere. Ita Dicastillus citatus, ita & alij.

Si rei veritatem examinem, dicam leges non habere majores vires quàm consuetudo & acceptatio eisdem largiantur. unde mores sunt semper consulendi tanquam veri legum interpretes.

Possent leges insinuationem præcipere; & si esset purè præceptiva, qui insinuatione non præmissa mille solidos daret, validè sed illi-

sed illicitè daret, deberetque puniri juxta peccati gravitatem, nempe moralem vel pænalem. Possent etiam leges non præcipere, sed dirimere omnes donationes, quæ talem summam excedunt, & sunt solennitate insinuationis prætermisâ. & qui tunc mille solidos sine insinuatione donaret, nec moraliter, nec pænalter delinqueret, sed nihil omnino donaret; unde illa donatio possent dici licita sed invalida. At si leges præciperet & dirimeret, donatio esset illicita simul & invalida. Et existimo leges, quæ insinuationem exigunt; nec ad primum, nec ad tertium, sed ad secundum modum decernendi spectare. non enim videmus aliquem propter insinuationis omissionem puniri; tametsi donationes declarari invalidas defectu insinuationis videamus.

His positis Respondeo primò illam mille solidorum donationem esse invalidam quoad excessum. secundò positâ lege quæ non solum excessum, sed totam absolute donationem dirimat, esse obnoxium restitutioni totius summæ, qui sine insinuatione excedentem recipiat quantitatem.

De Solido.

675 **D**onationem, quæ quingentos solidos excedat, insinuationem requirere diximus: sed quis nummus est solidus? Eligius Bassus *in suis Floribus verb. Donatio. num. 13.* explicans legem penult. *C. de donationib. sub finem.* nomine solidi intelligit nummum aureum æquivalentem decem & septem Iulij seu Regalibus Italicis, vel 85. stupheris Belgicis, eum citavi & sequutus sum *in Com. mei in Reg. Bened. n. 1747.* cui adjungo Molinæ *disp. 278. n. 3.* Covarrubiam *1. var. cap. 11. n. 3.* Azorium *3. p. l. 11. cap. 6.* Dicastillum *lib. 2. tract. 5. disp. 1. dub. 6. n. 126.* ex quibus specialius legendum consulo Molinam *disp. 160. & 278.* multa enim doctissimè de hæc materiâ differit, quæ non facile apud alios experias.

ARTICVLVS VIII.

De revocatione donationis secundum naturale jus.

676 **S**tando juri naturæ quinque diversis modis possent fieri donatio; quos for-

mula sequentes exponet. Prima, *Dono & trado tibi hanc rem, repetendam si dentur causæ legitima.* Secunda, *Dono & trado tibi hanc rem, repetendam si dentur tales causæ, non aliàs.* Tertia, *Dono & trado tibi hanc rem, cum mihi placuerit repetendam.* Quarta, *Dono tibi & trado hanc rem, & juro quod hanc donatio semper ratam habebo, nunquam revocabo.* Quinta, *Dono tibi & trado hanc rem.*

Ex vi primæ donationis, possent donator repetere rem donatam ex duplici capite; nempe, ob propriæ personæ pauperiem aut notabilem necessitatem, & ob donatarij ingratitude. Sanè utraq; causa deberet esse gravis, quia cum ipsa donatio aliquid grave sit, non debet ex levibus causis annullari. Sed nec sufficeret causa gravis leviter præsumpta; puta, si leviter timeret donator se venturum esse ad magnam paupertatem, aut donare rei indigentiam; leviter judicaret donatarium, ut graviter ingratura procedere. Ingratitude enim assertio, ni lege finali. *C. revocandis donationib. revocandis.* fundetur, videtur esse longè quæsita.

Ex vi secundæ, ad datæ rei repetitionem, non jam quæcumque graves causæ, sed illæ tales, quæ in donatione expressè requirerentur. At

Ex vi tertiæ, etiam nullâ occurrente causâ possent donationem revocare; in omni enim pacto standum partium concordii voluntati, & hæc revocandi libertas in ipsomet contractu admittitur.

Ex vi quartæ nunquam revocare priorem donationem poterit; quia sicut in tribus prioribus majorem aut minorem revocandi auctoritatem donator reservavit, sic etiam in quarto cessit omni jure & revocandi potestate. Occurrit tamen grave

D V B I V M. Videlicet, An tribus illis prioribus formulis dominium verè transferatur? ubi enim dominium non transferatur, non datur legitima donatio. Discurre sic. Quando unâ ex formulis tribus prioribus usus domum Antonio tradis, vel nullum jus in eâ tibi reservas, vel aliquid: Si nullum, quo jure illam poteris postea repetere; nullum enim jus, & aliquid

aliquod jus contradictorie opponuntur: si reservasti aliquod; ergo directum vel indirectum, non indirectum. ergo directum. Patet; quia his formulis non videtur tradi dominium proprietatis, sed solum usumfructum ad tempus; nempe quousque vel detur revocandæ donationis causa, vel voluntas juxta unam vel alteram sententiam. *Præterea*, si donatio illa esset vera, transferret dominium: ergo Antonius posset illam domum vendere utpotè verus dominus; si postea donationem revocares, quid repeteres: domum-ne an domus pretium? non illam, quia legitime fuit vendita, utpotè à proprio & vero domino; non hoc, quia & ipsum potuit Antonius aut inter pauperes distribuere, aut amicis donare, aut alio quocumque modo impendere.

Respondeo sub illis formulis veram rei traditionem & donationem, sive quod idem est, veram mutationem dominij non comprehendere. quod non tam probabo, ut existimo, quam demonstrabo. Non potest fieri mutatio de presenti sub conditione ponendâ de futuro. v. g. hæ formulæ, *Ego te baptizo, si victurus sis centum annis; Ego te absolvo, si deinceps peccaturus graviter non es; Ego recipio te in meam, si moriturus sis ante me*, non possunt reddere effectum suum formalem cum proferuntur: ergo vel nunquam, vel si aliquando reddent, tunc solum cum conditio ponatur. Vel qui contrarium judices, dicas mihi sincerè, An auderes reliqua administrare Sacramenta juxta primam formulam baptizato? An Eucharistiam juxta secundam absoluto? An tandem uxoris matrimonialem usum juxta tertiam conjugato concedere? Si non, ergo nec primus de facto baptizatus est, nec secundus de facto absolutus, nec tertius de facto conjugatus. Ergo similiter cum dicis Antonio, *Ego do tibi dominium talis rei, si talis circumstantia sit ponenda*, non es censendus transferre directum rei dominium, sed solum usumfructum concedere quosq; talis circumstantia ponatur.

678 DVBIVM II. Circa quintum donandi modum; Si inquiras, An donationes taliter factæ sint revocationis capaces? Respondeo omnes Authores, cum agunt de revocationibus ad conditionem

aliquam virtualemente implicite positam recurrere, & consequenter debere dicere donationem purè absolutam, nempe illam quæ conditionem ne quidem implicite imbibit, esse irrevocabilem.

ARTICVLVS IX.

De donationis civili & legitimæ revocatione.

679 **Q**uid rerum ipsamet postulat natura, jam vidimus. quid leges disponant, videamus.

Donatio est duplex; alia quæ inter vivos, alia quæ causâ mortis facta. Donatio inter vivos dat talem rem à tali die possidendam etiam si donator plurimis annis post donationem supervivat: donatio, quæ fit causâ mortis, dat rem possidendam post donatoris mortem, ita ut semper sit donatoris quamdiu vivat. Ita has duas donationis species explicarunt Gomezius 2. var. cap. 4. n. 19. Rebellus lib. 18. q. 12. Sylvester verb. donat. 1. n. 1. Lessius c. 18. dub. 14. Dicastil. lib. 1. tr. 5. disp. 1. dub. 6. n. 139. Ita & alij ad Inst. de donat.

Donatio inter vivos.

680 **N**on potest revocari primò, Si sit remuneratoria, habet enim solutionis vim: secundò, Si sit dispositoria, & donatarius rem postulatam præstiterit; habet enim rationem emptionis: tertio, Si nulla causa superveniat, non enim revocari potest pro arbitrio donatoris: quarto, etsi superveniant novæ causæ, si donator se obstrinxerit Sacramento, & sanctè promiserit se ex nulla causa donationem revocaturum esse; tunc enim tenebitur ratione juramenti ad cujus observantiam potest etiam legum autoritate cogi.

Potest revocari datâ causâ gravi & legitimâ, primò ob donatarij ingratitude, secundò ob supervenientem prolem non prævisam, puta, si Petrus existimans se non esse habiturum proles, magnam bonorum partem donaret Alberico, quâ non daret si proles haberet, & postea prolem habeat; censendus est donavisse ex errore, adeoque posse donationem illam revocari: tertio, si donatio inofficiosa sit, nempe tantâ, ut filijs non relinquatur legitima bonorum portio; tunc enim

censetur pater inofficiosus, hoc est, in officium paternum delinquens & posse per revocationem corrigere, quæ per prodigalitate peccarat. VBI duo notari velim ex Molina disp. 281. 282. & seq. I. Donatarium donationem revocanti & rem donatam repetenti nihil teneri restituere ante sententiam. II. Iudicis sententiâ condemnari non posse ad solutionem fructuum ante revocationem perceptorum, sed ad restitutionem rei ipsius & fructuum à litis contestatione perceptorum. Si hæc omnia uberius tractata desideres, lege Molinam jam citatum, has Theses optimis legibus probantem; ego enim meo more plus rationi quam testimonijs deferens res claras alijs testimonijs confirmandas relinquo: & ideò præcipuè quod in hac materia jus commune & provinciarum particularia toto celo differre videantur.

Donatio causâ mortis

682 **F**acta, semper potest revocari, etiam sine ullâ causâ; & censetur de facto revocata, primò, si donatarius moriatur ante donatorem, perinde ac legatum si contingat legatarium ante legatorem de vivere: secundò, si data est intuitu alicujus periculi aut obsequij, & non fuerit posita conditio; quia hypothetici & conditionales contractus quousque conditio ponatur, non tenent.

Inquiris primò, An donatio sit valida, quæ fiat sub hæc verborum serie; *Dono Ambrosio causâ mortis ducentos aureos donatione irrevocabili*? Respondeo, contradictionem involvi in formulâ præmissâ, adeoque non esse verè donationem inter vivos, quia causa mortis exprimitur; non esse factam mortis causâ, quia exponitur esse irrevocabilis. Cæterum Molina disp. 287. num. 15. Covarrubias Rubric. de Testam. part. 2. num. 13. Julius Clarus §. Donatio. quest. 4. num. ult. Rebellus lib. 18. quest. 18. num. 7. & Dicastillus lib. 2. tract. 5. disp. 1. dub. 7. num. 288. putant talem donationem censendam esse inter vivos, docent enim neminem esse præsumendum velle invalidum contractum facere, & existimant esse communem opinionem.

Inquiris secundò, An donatio facta in codicillis & testamentis, eo ipso censetur mortis, tametsi mortis mentio non fiat? Respondeo Azorem negare; adstruere Clarum; Dicastillum utrumque probabile opinari.

DISPUT. XI.

De Mutuo & Precario.

683 **L**EGIMVS Iuris peritos Precarium à puro-Mutuo distinguentes, & cum attentius legimus, minus differentiam & distinctionem capimus; sæpè enim, ut discrimen adsignent donationis & venditionis conceptus intermiscunt. Nos igitur re oculatius inspectâ conceptum puri-Mutui à conceptu Precarij differentijs dominij & usus solummodo distinguimus, & in reliquis coincidere putamus: tota enim utriusq; distinctio est in translatione dominij, quod in Mutuo transfertur, non autè in Precario. Præterquam non posse in genere Mutui reperiri circumstantiam, quam Precarium non capiat, asserimus; & addimus quamcumque aliam, quæ à Precarij definitione exulet, esse in Mutatione adventitiam & à donatione aut venditione concomitanter provenientem. Hanc veritatem observavit Dicastillus lib. 2. tract. 10. disp. 1. dub. 2. num. 36. qui videtur subscribere Molinæ tom. 1. disp. 298. sed quia plus auctoritati, quam rationi detulit, multos casus difficulter resolvit, quos potuisset negotio perfacili. Aliud est à quo nomen deducitur aliud 684 quod nomen adsignificat, lapis enim à lædendo pede dictus non significat pedis læsionem, D. Thomæ & alijs Aristotelis expofitoribus lib. Peri-hermenias asserentibus. Sed si ex nominibus argumenta deducere velimus, ne quidem sic Precarium & Mutuum distinguemus. Precarium quod precibus impetretur dictum; Mutuum, quod Meum-Tuum faciat. Etymon primi nominis colligo ex Ulpiano l. 1. ff. de Precario. secundum ex lege Mutuum pandet. si certum petatur. & instituit. Quibus modis re. contrah. oblig. At quis nesciat Mutua omnia precibus impetrari?

68; Precarium dicitur, *Contractus*, quo quis concedit alteri rei usum, reservans sibi potestatem repetendi cum velit.

Purum Mutuum, *Contractus*, quo quis concedit alteri rei dominium, reservans sibi dominium repetendi æquivalentem sibi, cum voluerit. Ecce in utroque contractu sunt circumstantiæ communes & differentiales; conveniunt in ratione contractus, & quod sit in voluntate concedentis rem concessam recipere cum velit: differunt in materiâ ipsâ concessâ, precariò enim usus rei conceditur, mutuo verò dominium.

Stando igitur naturæ & definitioni Precarij aut Mutui, concedens semper rem concessam repetere potest, etsi nulla sit causa aut ratio repetendi. Contingit aliquando per accidens rem concessam repeti non posse, puta si ex illa repetitione nil ad crescat reperenti & restituenti immineat grave damnum. tunc enim videtur postulare charitas ut faveamus afflictò proximo, siquidem sine dispendio possumus. qui autem in tali casu rem concessam exigeret, non delinqueret contra justitiam asserente Azorio & Panormitano, quos citat & sequitur Dicastillus *lib. 2. tract. 6. num. 10.* esset tamen invidus, & peccaret contra charitatem.

686 In puro Precario non potest intervenire pactum non repetendi rem concessam ante tale tempus; quia hoc esset contra naturam Precarij, quod in eo distinguitur à Commodato, quod hoc sit usus rei concessus ad tale tempus. Si tale pactum interveniat contractus non est puri Precarij. Sed hæc circumstantia possitne valori contractus officere? An non qui non valeret quâ Precarij possit quâ Commodati contractus subsistere? Invalidus creditur ob legem *Cum precarium ff. de precario.* à Molina *disp. 298. n. 4.* Reginaldo *lib. 25. n. 480.* Gomezio 2. *variar. cap. 7. num. 1.* Corarrubiâ 3. *variar. cap. 15.* Azorio & Dicastillo citatis. Sed ego viros maximos inconsequentia reos ago. Hæc donatio, *Do Ambrosio causâ mortis ducentos aureos donatione irrevocabili*, involvit terminos contradictorios, & tamen ita exponitur, ut maneat valida [vide §. penultimum disp. præcedentis.]

ergò vel sui obliviscuntur, vel hanc *Concedo contractu precarij talem rem Ambrosio non repetendam ante annum*, ita debent exponere, ut validus maneat contractus.

In puro similiter Mutuo non potest intervenire pactum non repetendi rem concessam usque ad tale tempus; quia hoc pactum ex diametro opponitur puri Mutui conceptui, ut dicebamus. Sanè, si illud pactum ineatur, contractus non redditur invalidus, sed extrahitur à genere Mutui puri ad genus contractus mixti ex Mutatione, Venditione, & Donatione compositi.

QVÆSTIO INCIDENS,

De Precario.

688 **P**Etis, An Precarium transeat ad hæredes, an verò personale sit? Respondeo frustra leges & textus hîc citari; quia Precarium nec morte concedentis nec purâ morte recipientis solvitur, sed merâ voluntate concedentis. Quando recipiens moritur, si concedens non repetat, videtur illud concedere hæredi: & si concedens moriatur, & hæres non repetat, videtur illud iteratò concedere.

Sed arguis. Precarium conceditur Petro: ergò mortuo Petro tollitur persona cui conceditur: ergò Precarium solvitur. Respondeo distinguendo majorem. Petro physico, nego; morali, concedo. & nego minorem subsumptam, non enim tollitur persona moralis Petri, quæ in hæredibus suis imbitur: ergò ad concedentis voluntatem recurrendum est, ipse enim censetur hæredibus indulgere eandem rem quamdiu non revocat.

690 **I**nfers. Ergò mortuo concedente Precarium solvitur. & probas consequentiâ. Quia concessum fuit ad voluntatem concedentis, videlicet dum is voluerit; atqui mortuo concedente cessat illud beneplacitum & illa voluntas: ergò concedente mortuo Precarium solvitur. Hac ratione utuntur Molina *disp. 298.* Suarius *de leg. lib. 8. cap. 29. & 30.* Dicastillus *lib. 2. tract. 6. disp. 1. dub. 2. num. 20.* Azor. *lib. 7. cap. 3. de precario.* Covarrubias 3. *variar. cap. 15.* ubi citat Bart. Ias. & alios: Abbas *c. ult. num. 5. de precar.* Rebellus *lib. 16.*

lib. 16. quæst. 1. de Commendat. num. 11. Reginaldus *lib. 25. num. 480.* Sed mihi non videtur fortis, nam Precarium per violentiam extortum est usurpatio rei alienæ ab invito domino, tametsi physice voluntario; in actionibus enim moralibus omnia moraliter considerantur; unde nostri milites, quibus interdictum est, ne quid recipiant, nisi ab ultro donantibus, sæpè terrent rusticos & non solum cogunt elargiri quæ precibus armatis flagitant, sed & dicere se illa ex pura liberalitate & bono animo dare, & tamen dicuntur latrones tametsi capiunt à dantibus & se liberè dare profitentibus; illi enim rustici carent omni indifferentiâ & libertate morali, hæc enim cum metu, qui in constantem virum caderet, componi non potest. Voluntas igitur moralis, non physica, ad contractus valorem requiritur. Hæc præmissâ doctrinâ ad rationem respondeo, concedendo majorem; est enim ex ipsamet Precarij definitione desumptâ. minorem subdistinguo, concedente mortuo cessat ejus beneplacitum morale; nego; physicum, distinguo; cessat physice, concedo; cessat moraliter, nego. Ipse enim concedens moraliter sumptus non moritur; nam in hærede moraliter vivit, hoc est, ita se habet ac si realiter viveret. *Eccles. 30. 4. Mortuus est pater ejus, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se.* Iudico igitur eum qui habet Precarium à Petro, esse iniquum rei alienæ detentorem cum primò invito domino retineat; si Petrus moriatur, non est positivè invitus. mors enim non est actus nolendi. Si dicas, nec Petrum esse positivè voluntarium; respondeo fortè positivam domini voluntatem ad justâ retentionem non requiri, fortè sufficere negativam; sed de hoc suo loco. addo positivam domini voluntatem moraliter adhuc perseverare quamdiu retractata non sit, nec retractata censenda est, quousque à legitimo & indubitato hærede retractetur. Hoc velim à Iurisperitis expendi. ubi detur expressa lex usû recepta, standum legi & usui, aliàs in genere loquendo non video cur debeat Precarium dissolvi, cum concessor devivit. Accedit, quod scienti & permittenti nulla fiat

injuriam: ergò si vestem à Petro precariò habeas, & eo mortuo hæres sciens & volens non repetat, censetur illam precariam concessionem à Petro factam continuare. Precarium igitur non solvitur antequam res concessa à concedente aut ejus hærede repetatur.

QVÆSTIO PARALLELA,

De Mutuo.

691 **S**I queratur, An Mutuum personale sit, vel ad hæredes transeat? eodem prorsus modo respondebo. videlicet dissolvi cum primò mutuans illud à mutuario repetierit: ægrotare, iteragere, discedere, mori, & similia, non sunt Mutuum repetere: ergò siquidem persona mutuans moraliter & virtualiter nõ moritur, sed æterna est (in posteris enim & hæredibus virtualiter perseverat) ejus voluntas etiam si in ipso siue in hærede moraliter perseverabit, quousque clarè & expressè retractetur.

DISPVT. XII.

De Commodatione & Locatione.

692 **C**OMMODATUM (vel rigorosius Commodatio) est contractus, quo quis gratuito concedit alteri rei usum determinatum ad tantum determinatum tempus. Hæc definitio colligitur ex *Instit. Quibus modis retrahatur obligatio §. Item. 15.* & ex alijs pluribus textibus. ita ferè Molina & alij.

693 Commodatum ex precario & donato componitur; imò precarium in commodatum transire potest usq̃ solâ additâ circumstantiâ. Verbi gratiâ. Tuæ necessitati aut paupertati condolens, concedo tibi equos & rhedam. & quia concessio precaria est, nullum gravamen in me ex concessione ipsâ resultat; si jungam, Tibi rhedam pro tanto tempore, vel pro tali itinere concedo; precarium in commodatum verto, & mihi impono onus & gravamen non repetendi concessam rhedam vel ante tale tempus, vel antequam tale iter absolvatur. Et in hoc gravamine, quod mihi impono, donationis irrevocabilis ingenium & natura relucet; cedo enim

enim rhedæ usum ad tale tempus tibi, & jure illâ utendi aut repetendi me privo.

694 Commodatarius igitur rhedæ es, in ejus usum jus adquirens; non tamen in alium, neque pro alio tempore, sed præcisè in usum in quem ipsa conceditur, & pro tempore pro quo conceditur. Hinc constat te peccaturum esse, si rhedâ illâ ad alium usum, aut alio tempore aut majoti uteris. Puta, si concederem illam pro die Iovis, ut ires ad palatium rusticum leucâ sub urbe remotum, & tu vel uteris rhedâ die Lunæ, vel diebus pluribus, vel ut iter octo vel decem leucarum ageres. Ratio est; quia, qui concedit pro die Iovis determinato, non concedit pro die Lunæ; & qui pro solo uno die, non pro duobus vel pluribus; & qui pro unâ leucâ, non pro octo vel decem: ergo qui re utitur aliter quàm concessa est, utitur involuntario domino. Ita Molina *disp.* 294. n. 6. & *disp.* 295. n. 6. Dicastillus *lib.* 2. *tract.* 7. *num.* 3. Sa & Sylvester *verbo Commodatum.* *num.* 4. Azorius *lib.* 7. *cap.* 5. *de Commod.* *cap.* 9. *ad fin.* Rebellus *quæst.* 1. *libri* 16. *num.* 12. Reginaldus *lib.* 25. & multi alij.

695 Sed in Commodatarum rerum abusu, non statim asserenda sunt culpæ graves, sed considerata est ipsamet materia & involuntarietas ipsius domini. Petis rhedam pro uno milliari, ut facilius impetres; quid si duo vel quatuor peragas? an rheda detrimentum grave patietur, præcipuè si conducta à prudente rhedario? non statim est adserendus peccavisse graviter. *primò* quia fortè dominus involuntarius non est, *secundò* quia ad peccati mortalis rationem in hac materia requiritur quod sit gravis commodatæ rei abusus, ex quo præcisè abusu grave dominus detrimentum & graviter involuntarius patietur.

Commodatæ & Locatæ rei differentia.

696 **C**ommodatio & Locatio conveniunt in substantia & effectibus, differunt in motivo; commodans liberalitatis intuitu rem concedit, locans intuitu lucri. Commodator non potest impedire, quod Commodatarius utatur re concessâ ad usum concessum & pro concessio tempore;

ita nec Locator, quod Locatarius utatur re locatâ ad usum & pro tempore, ad quem & pro quo fuit locata. Commodatarius nec alio, nec majore tempore, nec ad alium usum potest retinere rem commodatam; ita nec Locatarius locatam. Igitur tota, ut dicebamus, differentia consistit in hoc quod res gratis commo-

Dubium incidens.

697 **V**T melius Commodati & Locati naturas cognoscamus, casum istum proponimus. Petrus & Paulus habebant domos in civitate Bruxellenfi; ille commodavit suam Antonio ad habitandum pro uno anno; alter locavit Friderico pro eodem tempore. Petitur, Vtrum uterque possit domum suam repetere, an solùm alter? & si alter solùm, uter?

Omnes Doctores nemine dempto affirmant non posse hos contractus pro voluntate concedentium sine causa revocari, dubitant autem, an possint revocari ex causâ, & ex quâ.

Respondeo posse quidem revocari, si Antonius & Fridericus domibus abutantur, hoc est, si aliquid contra illarum physicam pulchritudinem; vel contra moralem auctoritatem faciant. Nempe, si vel parietes fregerint, portas mutaverint, & fenestras occluserint, & id genus alia, quæ sine murorum periculo & pulchritudinis jacturâ fieri non possunt: vel si lupanar habeant, & adolescentulâs prostituunt, quod militat contra domus auctoritatem: in talibus ergo casibus possunt Petrus & Paulus domos suas repetere, quas non concesserant ad abusum, sed ad usum; tenebunturque Antonius & Fridericus in conscientia refarcire omnia damna tam moraliter quàm physicè illata. docemur enim experientiâ etiam valorem domorum moralibus indecentijs diminui, nulla enim casta matrona conducet hodie domum, quam heri habebat meretrix: videntur enim non solùm muri infecti, sed & inficientes; est enim infamia contagiosus morbus, qui non homines modò, sed & parietes inficit & contagium communicat.

Cæterùm, si Antonius & Fridericus pruden-

prudenter domibus utantur, adhuc posse ex causâ expelli aliqui Doctores contendunt, sed ego illorum fundamenta non capio. Sit igitur Conclusio

698 *Prima. Vbicumque est civilis lex, quæ concedat Commodanti aut Locanti rem concessam resumere, si talis causa suboriatur, standum legi est. & ostenditur, quia ille commodationis aut locationis contractus exlex non debuit esse, ergò, qui rem concessit; & qui accepit, censendi sunt convenisse in illâ circumstantia. Igitur injuria non fit, si expellatur homo, qui admisit domum sub onere quod possit expelli. Reperias leg. eadem. C. de locato. concedentem domino domus jus ad expellendum inquilinum, si superveniat necessitas habitandi: sed non multas alias ob causas similes rescindendi contractum commodationis aut locationis auctoritatem concedentes.*

699 *Secunda. Vbi non datur talis lex, ob nullam causam Commodator aut Locator potest rem concessam resumere. Cùm hanc Thesin examinamus Doctores, Grammaticos potius quàm Theologos aut Jurisperitos agimus: omnes enim supponimus commodationem seu locationem duobus modis posse institui: primò, si commodans seu locans expressè dicat, Concedo tibi talem domum pro anno, resumendam ante prædictum tempus, si graviter eguero illâ, aliàs non: secundò, si dicat, Concedo pro tali tempore, non resumendam, etsi graviter eadem indigero. Has duas formulas esse omninò diversas, & diversas omninò obligationes inducere clarius est quàm oporteat ostendi, ex ipsâ enim terminorum connectione est notum. Sed urget difficultas, An ille, qui domum pro anno concesserit, ab eo quod est repetere, vel non repetere, præscindens [puta per hæc verba Commodato (vel loco) tibi domum meam pro uno anno] censendus sit juxta primam, an verò juxta secundam formulam positam processisse. Hunc contractum implicite involvere illam circumstantiam, sed, si graviter indignero, resumam, multi alij non includere existimant; alij mediâ viâ procedentes illam includi circumstantiam in commodatione opinantur, in locatione autè excludi. Molina *disp.* 294.*

citatur pro primâ, ipse autem tot limitationes adjungit ut possit etiam pro alijs sententijs adlegari. Molinæ adjungunt Angelum, Sylvestrum, Emanuelem Sa *verb. Commodatum.* Lessium *lib.* 2. *cap.* 27. *dub.* 5. *num.* 18 Azorium *cap.* 18. *de Commod.* *lib.* 7. Lopezium *lib.* 2. *de contract.* *cap.* 34. Garziam *num.* 10. & 12. Contra quos expressè secundam sententiam tuentur Navarrus *cap.* 17. *num.* 182. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 472. & 479. Non est, inquiunt qui pro concedentis jure disputant, credendus commodator, imò nec locator, domum suam v. g. concedere cum tanto propriæ commoditatis dispendio, ut si indiguerit repetere non possit. At qui recipientis jus tuentur, ipsissimam rationem intorquent. Non est consensus, inquiunt, qui domum commodatam aut locatam accepit, petijisse domum repetendam ante statutum tempus, sed quæ repeti non posset; atqui concessa est illa domus quam petijt, qualem & qualiter petijt: ergò dominus ante annum elapsum illam repetere non potest; est enim Juris regula *mutare, de regul. juris. in 6. quæ est 33.* non posse mutari consilium in aliud detrimentum.

Dubium alterum.

700 **S**ed quia nec precarius nec commodatarius acquirunt rei concessæ dominium, inquiritur an & ipsi possint ali concedere? Respondeo non posse plus ali concedere, quàm sibi à domino concessum est. Vnde qui precario domum accepisti, cùm eam debeas ad concedentis voluntatem reddere, certum est non posse illam pro tempore determinato commodare aut locare, aliàs enim concederes jus quo cares, nam jus retinendi domum per integrum annum v. g. concederes, cùm ipse non habeas tale jus, sed debeas domum ad voluntatem concedentis, cum primùm ei placuerit, reddere. Sed non suppetit ratio, quæ ostendat, rem precario acceptam non posse alteri precario dari; nam poteris cùm repetatur repetere, & sic concessoris voluntati satisfacere: deberes tamen tali & taliter illam concedere ut sine ullâ tergiversatione reciperes, ut illam repetenti domino restitueres. Qui

Qui domum pro anno recepisti poteris pro anno alteri concedere, aut gratis, aut pretio recepto; neutrum enim vergit in concedentis damnum. Vnde si loces domum pro anno, poteris alteri aut totam aut domus partem, pro toto aut ejusdem temporis parte, aut commodare aut locare: item licet gratis domum pro anno recipias, poteris eam locare; quia sicut potes vendere dominium rei quod ex alterius liberali donatione adquisisti, sic etiam potes usum, licet ex munificâ & liberali concessione impetraveris. Præcinit mihi Molina *disp. 294. num. 3.* Dicastillus *lib. 2. tract. 7. num. 16.* & est expressum in jure, *lib. 1. §. Inter commodatum, ubi dicitur, Iulianus etiam habitationem commodari posse ait.*

702 Sed tamen hæc omnia fieri possint, imò quia fieri possunt, suadendum dominis proprietarijs est, ne permittant, quin imò mutuatarios, comodarios locatarios obstringant, ne alii rem concessâ concedere possint. contingit enim ex secundis concessionibus veros dominos notabiles jacturas pati. Mutuos das Antonio mille aureos, viro probo & fideli; ille versipelli Athanasio eosdem dat mutuos: ecce periculo expositum tuum aurum. debet recipere Antonius quos restituat, & tamen fidelis sit non liberabit fidem ab infideli Athanasio deceptus. Prodest igitur sic rem cōcedere, ut qui recipiat, alteri concedere non possit. sic obviam itur erroribus, sic & fallacijs; quia alias nullus est dominus, qui nequeat defraudari, præcipue si res pro tempore longiori concedatur. Fundi pro tribus inquilinorum vitis dari solent: merum chaos! qui poterit Princeps aliquis nobilioribus rebus intētus, qui œconomi in officio succedentes inquilinorum nosse genealogias? an non sæpe nepos habebitur conductoris filius, & tres vitæ per plurimas alias durabunt? melius jam pro tribus Regum vitis; horum enim successio omnibus nota, & nulli obnoxia fraudi. sed & in fundorum locatione præter temporis determinationē [determinatur illud cum fundus vel usque ad obitum Regis, vel ejus successoris, vel usque ad talem annum locatur] addenda omninò est clausula, quâ sub gravissimâ aliquâ multâ oblige-

tur incola totum fundum colere, & ejus nequidem parvam partem commodare, mutuarie, commutare, aut qualitercumque alteri colono concedere. alias enim nullum magnum patrimonium subsistet. Laborant multis litibus ditissimæ communitates, ubi bona communia, quia omnium sunt, negliguntur à singulis, & rustici fundos pro longo tempore conductos subdividunt, commodant, vendunt, alterant, ita ut damnum feratur, non sentiat; & si sentitur, non tamen sit remedij capax.

Dubium tertium.

703 **D**omum Petrus Paulo commodaverat pro medio anno, ille retinuit integro, & collapsam restituit. Petitur, An solum debeat solvere locationem medij anni, an verò collapsæ domus reparationem?

Respondeo examinandum esse, An Paulus fuerit causa damni? Si enim illa domus ruina, Pauli negligentia imputatur, dicenda est corruisse domus apud commodatarium, quæ apud commodantem non corruisset, adeoque teneri ad reparationem: ceterum si etiam apud dominum corruisset, nec Paulus; nec mora illa culpabilis sunt ruinae causa, idèque satisfiet Petro, si pro morâ aliquid proportionale juxta prudentis æstimationem rependatur, & nihil pro reparatione. Ita Molina, *disp. 295. num. 4.* Reginaldus. *lib. 25. num. 475.* Sylvester, Angelus *verb. Commodat. Dicastillus lib. 2. tract. 7. nu. 22.* Navarrus *cap. 17. num. 183.* Azorius *3. p. lib. 7. cap. 7. quæst. 3.* Covarrubias *Regul. Peccatum. part. 2. §. numer.* Medina *de restitut. quæst. 6.* & alij. contra quos omnes videtur militare Glossa *cap. unico. de commodato.*

Addo posse Rempublicam prudenter statuere, ut rei alienæ morosus retentor, restituat totam rem qualem recepit, tamen si perierit apud ipsum, quæ etiam peritura esset apud dominum. Ratio est; quia mora est culpa contra bonum publicum militans, & Respublica potest in omnes civiles culpas animadvertere, & rationabiles pœnas infligere.

Dubium

Dubium quartum.

704 **D**E expensis in reparationibus ordinarijs faciendis subdubitas, & inquiris, An hæc faciendæ sint à Commodante, An verò à Commodatario?

Respondeo hic optimè de ordinarijs agi, quia certum est extraordinarias ad proprietarium pertinere. Ita Molina *disp. 297. num. 7.* Reginaldus *num. 582.* Garzia *de Contractibus. cap. 5. num. 8.* Sa *verbo. Conductio. Dicastillus lib. 2. tract. 7. disp. 1. dub. 2. num. 25.* Sylvester, Lopezius *apud Sa,* & multi alij. Illa quæ ordinariâ reparatione indigent, aut inclementiâ cali aut famulorum negligentia franguntur; si Commodatarij aut suorum effringerentur negligentia, deberent ab ipso reparari; at verò cum à procellis conquassantur, deberent à domino restitui. Ceterum, quia difficillimum esset distinguere inter negligentiam & casum, ut obviam eatur litibus & quæstionibus dubijs occurratur, in contractu Commodationis, Mutuationis, & Locationis prudenter exprimitur, quid debeat dominus, quid debeat alter reparare.

DISPUT. XIII.

De Deposito.

705 **D**EPOSITUM, ut ipsamet vocis ratio convincit, illud est, quod ad custodiendam alicui fide digno traditur. colligo ex *Ulpiano lib. 1. ff. Depositi.* Illud Molina *disp. 522.* Gomezius *2. variar. cap. 7.* Dicastillus *lib. 2. tract. 8. num. 3.* & alij multi sic definiunt. *Depositum est contractus quo sola rei custodia alteri committitur, ut integram illam ipsissimam restituat.*

Differt res Deposita à precariâ Commodatâ, Locatâ, quod Precariâ & Commodatâ uti possis, Depositâ verò non possis: differt à Commodatâ & Locatâ, quod hæc repeti ante tempus non possit, illa cum libuerit deponentibus, possit.

706 Petis, An possis uti rebus apud te depositis? Omitto circûstantias, quas alij pro-

lixè disquirunt, est enim extra omneria aleam difficultatis posse, si dominus invitus non sit. ipse autè non invitus censetur, qui vel expressè usum cōcesserit, vel implicite videatur concessurus. Ita omnes. At quærimus, An liceat uti invito domino? Et respondeo depositarium furtum cōmittere, si utatur justè invito domino. Ita Molina, Garzia, Azorius, Rodriguez, Reginaldus, Rebellus, quos citat & sequitur Dicastillus *ubi supra. n. 7.* quod tam certum esse reor, ut non facile credam esse vel unum qui dissentiat.

707 Consultò illud justè invito posui, quia si contingeret eum esse injustè-invitus posset uti Depositarius re depositâ. Esset autem injustè-invitus, si usus ad auctoritatem aut utilitatē Depositarij conducere, & Depositor nequidem leve damnum pateretur. Puta, si supellecilibus argenteis apud te depositis, in aliquo convivio majoris honestatis gratiâ utereris; tunc enim, aut nō crederetur dominus invitus, aut saltem non justè. Præterea, rem depositâ custodire & servare, debere restituere cū primum petatur, molestum est, & pretio æstimabile; nemo enim tenetur proximo gratis servare. quid igitur si rei usus non crederetur plus valere quàm cura adhibita in custodia?

708 Depositarius debet tradere eandem rem quàm recipit, eandem inquam aut physicè aut moraliter. Nota bene, quia non tenetur restituere eandem numero physico, si ex physicâ rei mutatione nihil mutetur moraliter. Verbi causâ, Si dederis mihi centum Philippicos argenteos custodiendos, ego te præsentè alijs meis adjungam, & repetenti primò occurrentes dabo, tamen physicè non sint ipsissimi quos deposuisti, sunt enim ipsissimi virtualiter: vel dicito, An apud mercatores reperitur sis differentiam quod hos aut alios, modò æquè bonos, habeas. Sed nec tenebor dare Philippicos, sed sufficet dare solidos aut aliam monetam æquè bonam. [Consultò æquè bonam dico, Mercatores enim inter monetas & monetas distinguunt, & libentius meliorem recipiunt, & crederem fieri injuriam Depositori si pro centum Philippicis Regijs, daretur moneta Leodica aut

aut Hollandica.]

709 Cum res deposita perire potest, prudentius à depositario consumitur, & alia æquè bona redditur. v. g. Si vinū, cerevisia, panis, aut alia similia deponantur: fiet summus depositori favor, si illa depositarius infumat, restitutus æquè bona cum primum petantur.

Si theca clausa, aut sigillata deponatur, violabit fidem publicam depositarius, si eam effregerit, non tamen si illā clausā utatur; v. g. si pulchra sit, & ornatūs gratiā in aula vel in alio loco securo cum alijs suis supellectilibus exponat. [Vbi obiter persuadere velim cuicumque viro famæ & authoritatis studioso ne depositum clausæ rei accipiat, quia millenæ fraudes in hac valle lachrymarum contingunt, & quæ vel in itinere, vel in depositoris domo fuerunt commissa, imputabuntur imprudenti depositario. Ab illo juridicè non posse plus exigi quàm clausam thecam, scio; sed & scio te esse tam observantem tui nominis, ut non velis quod depositor se à te spoliatum fuisse conqueratur; tam subditum humanis passionibus, ut tales querelas sine animi perturbatione sustinere non possis. scio vulgares homines esse in iudicando tam præcipites, ut potius summam illam ex proprio ere refunderes, quàm permitteres te vel injustè de furto domesticatim incusari.]

710 Qui tractarunt rem economicam bene sciunt triticum singulis diebus crescere, hordeum diminui, & hanc veritate premisā subdubitas, cui illud crescat, cui hoc diminuat? nimirum, An depositarius debeat dare tritici & hordei mensuram quam receperat; an verò illud quod receperat, non attendendo augmentum aut decrementum?

Stando naturali juri hoc ultimum dicendum esset. Sed aperietur porta summis fraudibus, si enim centum hordei, & centum aliarum tritici mensuras deponeres, & illæ decreverent ad nonaginta quatuor, hæ ad centum quinque succrescerent; quis convinceret depositarium dicentem, se in suo gradario nonaginta hordei & centum duas tritici reperisse? Ergò, ut omni fraudi & incommoditati occurratur,

conveniendum est cum depositario pro granorum augmento aut decremento, aut standum legibus publicis juxta mores urbium diversarum. In aliquibus decimarum depositario omnia granorum incrementa cedunt, sed & tenetur decrementa supplere, & servire in molestissimo officio pro nullo vel tenui salario: in alijs determinantur omnia, & qui depositarij conditionem acceptat, lucro vel jacturæ se exponit.

Dubium incidens.

Interrogas. An depositarius rem depositam locans & inde aliquid lucrans teneatur ad restitutionem? & si tenetur, An debeat lucrum perceptum restituere, damnum rei depositæ illatum? Verbi gratiā. Petrus depositarius equum locat Antonio pro octo diebus, & recipit quatuor aureos; equus autem fatigatus itinere in morbum incidit, & qui sanus valebat centum, æger non venderetur quinquaginta. Inquiris, An Petrus iniquè egerit depositum equum locando? & quia nemo non respondebit assertivè; subdubitabis, An teneatur Petrus quinquaginta aureos restituere depositori [ad tot ascendit damnum equo illatum, ut supponitur] An satisfaciat, si dederit quatuor, quos lucratus? Et si teneatur reddere quinquaginta; An idem Petrus, si ex locatione lucratus quinquaginta fuisset; & ex usu damnum ad solos quatuor ascenderet, deberet istos solos dare? quia, si hoc non admittitur, nulla videtur doctrinæ consecutio. Et statim inquiris, An deberet aliquid restituere, si ex locatione centum aureos haberet, & equus redderetur exercitio moderato vegetior & validior? imò si ex locatione eveniret, quod valeret ducentis aureis, qui antea centum valebat, An posset à depositore hunc excessum exigere, aut saltem dare primum valorem equi, hoc est, centum aureos, vel alium hujus valoris equum, & istum suam industriam aut fortunam pretiosorem redditum retinere?

Video multos Authores nullā habitā doctrinæ ratione, in omnibus istis questionibus

tionibus depositarium condemnare, & sanè oporteret fundamentum inquirere, & examinare, An solida & obscura supponerentur fundamenta, & utrum consequentiæ sint legitimè illatæ. Sint ergò mei discursus hypotheses.

712 I. *Quicumque est causa libera, quod proximus jacturam justè involuntarius patiatur, tenetur ad restitutionem.* Nota singula verba. *Causam liberam* dixi, quia in necessarijs, nec meremur, nec demeremur. & ideo necessaria non imputantur agentibus liberis, nec inferunt obligationem restituendi. Nomen *jacturæ* ad junxi, ut restitutionis primam originem & fontem exponerem. Non teneris ad restitutionem quod lucratus sis; quia, si hæc esset formalis ratio, qui non esset rei alienæ usu lucratus non teneretur restituere, quod esse absolutè falsum existimo, & exempli positi ponderatione novā confirmo. Nam si depositum equum Petrus commodaret & ex commodatione ille infirmaretur, est certum Petrum nihil lucratum fuisse, & tamen equo deposito fuisset abusus & teneretur ad damni illati restitutionem. Item si eundem equum locaret, & locatarius nec equum nec pretium remitteret, tum certè tamen nihil ex locatione lucratus, equum aut ejus valorem restituere deberet. Ergò restituendi obligatio non nascitur ex eo quod depositarius lucretur aut non, sed ex eo præcisè quod depositori aliquod damnum inferatur. *Involuntarium* non debere jacturam bonorum pati statui, quia nemo dubitat posse depositarium uti re deposita depositoris permissione.

713 II. *Quicumque potest sine levi rerum suarum jacturâ prodesse & non vult, invidus est.* Vel, si contrarium sentias, doce me, invidiæ definitionem & conceptum. Qui enim non prodesse vult, ubi sine damno proprio potest, bonum proximo invidet. vel Patres & Theologi nomen invidiæ non intelligunt.

714 III. *Index est remerarius depositarius qui existimat sibi esse invidum depositorem.* Patet. Quia eligere aliquem in depositarium est electi fidelitatem & probitatem publico testimonio profiteri: igitur qui eligit Petrum, cum honorat. & qui honorat

non invidet: temerè igitur honoratus censeret sibi invidum esse honorantem. Tenetur igitur depositarius judicare depositorem non esse sibi invidum: ergò & tenetur judicare eum carere voluntatis actu, quo posito, sibi invidus esset. Tenetur ergò depositarius credere quod depositor vult res depositas prodesse depositario, ubilibet sine jactura & detrimento ne quidem levi possint. Ergò

IV. *Depositarius, qui ita rebus depositis utitur, ut nequidem leve detrimentum patiantur, non utitur eis depositore invito, sed voluntario: ac per consequens, si quid lucretur, non tenetur ad restitutionem.*

V. *Depositarius, qui ita rebus depositis utitur, ut ipse damnum patiantur, tenetur ad damni illati restitutionem, sive lucretur, sive non. Si pro damno illato satisfecerit, lucrum poterit sibi tuâ conscientiâ retinere.* Repeto exemplum. Depositum equum locasti, ut quatuor aureos lucrareris, interim frigidis inclementiâ correptus incepit ille laborare & tandè obiit. Dico te debere depositori restituere equum, posse tamè tibi quatuor illos aureos servare. cum enim domino centum aureos (equi valorem) dederis; nihil ei debes, ergò quatuor illos aureos lucratus es industriam propriam, sine depositoris detrimento. Hinc ad aliam instantiam, si detrimentum equo illatum ad decem aureos ascendat, lucrum tuum ad centum, judico te debere decem illos aureos restituere depositori, quibus restitutus, quidquid lucratus es, illo indemni lucratus es, ergò & illo voluntario.

VI. *Damnum rei depositæ illatum debet taxari à depositore juxta prudentiæ regulas, quas ipse non excedit, si summum pretium designet.* Patet; quia justè est invitus, qui non vult res suas vendi minori aut medio pretio, illas enim majoris potest facere; cum autè non possit majoris facere quàm maximi, sequitur quod si vendantur maximi nulla fiat ipsi injuria. nisi fortè aut damnum aliquod indirectè emergat aut lucrum cesset, tunc enim utriusque deberet etiam haberi ratio, non enim examinandum est quantum ille equus valeat alteri, sed quantum valet depositori; posset enim contingere dari aliquam circumstantiam, propter quam ille equus deberet

deberet magni fieri ab illo, quæ non haberet locum in altero. Puta, si equo, qui alias valeret centum aureis, fuisset a morte liberatus, prudenter posset illum maioris facere, quam faceres. Puta etiam si redditus illi annuus pro tempore esset concessus vitæ illius bestię determinãdo. in hoc enim casu, quis non videat huius bestię occiforem etiam redditum annuum extinguere, & teneri ad restitutionem damni illati. Sed hæc omnia rara, & tamen non destruunt asserta, sed confirmant.

718 Azor. lib. 4. cap. 35. quæst. 3. Reginaldus libr. 25. num. 572. & 573. Sylvester verb. Solutio. quæst. 2. num. 2. & ad mentem ipsorum Dicastillus libr. 2. tract. 8. dub. 1. num. 18. videntur verbis à me & inter se nonnumquam dissidere, sed in rei substantiã sibi & mihi ad miraculum consonant, dabo Dicastilli periodum cuius cortex mihi opponitur, nucleus propugnat. Numero enim 16. colligit ex doctrinã Molinæ, quod depositarius, qui accipit pecuniã non obsignatã in pyxide, neque traditam sub conditione tacitã vel expressã ut eadem numero physico restituatur, potest sibi retinere incrementum pecuniæ, si quod fecit tempore quo eam retinuit, satisfacit enim dando æquivalentem pecuniæ quantitatem, quod & nos necessariò concedimus; & infert e contrariò, si depositario tacitè vel expressè interdicitur usus, non posse sibi retinere incrementum prædictum. & rationem subiungit, quia sicut periculum ad ipsum spectat, ita & commodum. subjungo. Ergo, si non spectaret periculum, non spectaret commodum: atqui ex usu pecuniæ, si depositarius paratus sit illi tantum restituere quantum deposuit, nullum manet periculum depositorem, nullum igitur debetur commodum.

Dubium alterum.

719 Deposuisti apud Petrum monetam cupream ad valorem centum aureorum; non in thecã clausã, nam sic fecisses, cessaret ratio dubitandi; sed in pecuniã numeratã. Interim accidit, quod Respublica cupreæ monetæ valorem diminueret, & tota illa quantitas non jam centum aureis sed quinquaginta æquiva-

leret. Petitur, Cui-nam diminuatur hæc pecunia, depositori-ne, an depositario?

Si depositarius illã usum non sit, extra 720 controversiam est decretere depositori. Quid si sit usus? adhuc teneo decretere depositori. Ratio est; quia illa valoris diminutio, non est libera depositario, nec nascitur ex illo pecuniæ usũ, nec magis depositam pecuniam afficit, quam afficeret apud dominum proprietarium retentam. ergo non potest gravare depositariũ. Confirmatur. Si illa pecunia valore diminuta decreteret depositario, etiam valore aucta depositario succresceret: ergo deberemus dicere eandem cupream materiam si valore augetur, crescere depositori, si depositarius illã non fuisset usus, & si usus fuisset crescere depositario. quis unquam hoc crederet? & tamen deberet dici. Tenendum igitur est, depositario crescere & decretere pecuniã liberè, non necessariò, illaq; quæ ab extrinseco Republicæ decreto dependent afficere substantiam pecuniæ non usum, ac propterea illam domino non verò depositario augere aut diminuere.

Dubium tertium.

721 Petis, An liceat aliquam pecuniam recipere ratione depositi? Respondeo adhuc esse aliquam æquivocationem, nam vel petitur, An illam possit recipere depositor, vel an possit depositarius? Depositorem non posse certum est. quia depositum fit in favorem ipsius, quo ergo ille titulo pecuniam exigeret? An discurreret prudenter si diceret depositario, Tu faves & servis mihi, ergo debes pecuniam refundere? minimè, nam qui serviunt, non dant pecunias sed recipiunt. Ita Navarrus libr. 3. Consil. Consil. 1. de deposito. & Consil. 17. de usur. numo 3. & in summa cap. 17. num. 181. Dicastillus libr. 2. tract. 8. num. 42. & alij. At depositarium posse recipere pecuniam pro diligentia & custodia certum est. Vtrumque videtur sentire omnes Doctores. Hic autem obiter notandum est esse mercatores qui offerunt præmium etiam depositoribus, multum enim eis valet parata pecunia, & idè eam undequaque sub quibuscumque articulis corradunt. sentio ab his

ab his posse præmium recipi, primò ratione periculi, nunquam enim non subest, cum ditissimos cedere foro quotidie videamus. secundò quia videtur subintelligi contractus societatis & contractus securitatis iuxta ea quæ de rebus annuis dicemus sub finem disputationis immediatè sequentis.

Dubium quartum.

722 Contingit rem depositam furto abripi, incendi, destrui, aut aliter perire, & si pereat, inquiris, cui-nam pereat, depositori-ne an depositario? Si depositarius adhibuit omnem moralem diligentiam, qualem vir prudens adhibere solet ut proprias res conservet [non enim depositor videtur majorem diligentiam exigere quàm ordinariam] omnium iudicio perit depositori: at depositario, si ex ignaviã & negligentia gravi. Sed ipsa dubitatio acuitur consideratione novã. Quid si ex levi depositarij negligentia perierit depositum? Distinguit Dicastillus citati tractatus num. 37. & ait, si depositum fuit non solum in utilitatem deponentis, sed etiam depositarij, quia hic mercedem accipit, teneri ad restitutionem etiam ob levem culpam, seu potius ob levem negligentiam: si verò tantum fuit in utilitatem deponentis, solum teneri ob dolum, culpam aut negligentiam gravem. Sed hæreo. Petitur à me, quod gratis sim depositarius: Ergo petitur, quod ita rem deponendam servem, ut nunquam in eius custodia gravem negligentiam committam; unde & petitur, quod gratis acceptam hanc conditionem onerosam, nimirum, me restitutum esse rem depositam si cõtingat ex gravi meã negligentia perire, non tamen si ex levi. Hæc omnia sunt ad mentem Dicastilli. Respondeo me non velle hoc facere gratis, sed pretio: & mercede assignatã conditionem propositam accepto. Et doceri à Dicastillo velim, An ad plura nunc obliger, quàm obligarer, si gratis servire voluissem? sanè illa ipsa serviendi conditio, quæ gratis exigebatur, pretio admittitur, non alia imprudenter ergo Dicastillus vult novis obligationibus depositarium onerare propter mercedem assignatam.

DISPUT. XIV.

De Invidia & Usurã.

723 VALIS ista connexio inquit Lector, cum videt Usuram cum Invidia componi. Et respondeo esse tantam, ut sine Invidia cognitione non possit dari Usurã conceptus; tantam, ut nisi Invidia contagio infectus fueris, infici Usurario morbo non possis. Invidiam dico eum, qui non prodest proximo, cum sine damno levi potest. optimè enim Invidiam Aristoteles definiit, molestiam quãdam propter apparentem bonorum prosperitatem adversus similes, non ut ipsis adhiat aliquid, sed propter illos. Hoc est, desiderium ne proximi prosperent, non quidem ut ex eorum miseria aliquid sibi, sed tantum, ne illis crescat. [ita Retic. 2. cap. 94.] & Christianologus serm. 4. m. Et quando Invidus non carus? quid quid habet alter, se computat perdidisse. & sermone 97. subinitium, super seminavit zizaniam. ut quid e ut periret do munda messis. Et hoc ad lucrum, quid pertinet ad inimici, nisi quod Invidia spiritus homini dãmnum, suum computat lucrum; & quod periret hominibus, hoc se estimat adquisivisse.

Ex dictis infero tam esse licitum non prodesse proximo, cum sine damno possumus, quàm esse Invidum. Cum autem Invidia nullo iure permissa, sequitur nullo etiam iure relicto non prodesse, cum indennes possumus. Adde in dãmnum eum prodesse, qui tamen damnum patitur, compensationem recipit.

724 His ideis instructus conceptum Usurarij reformo. Hoc nomine illum dignum iudico, qui sine levi damno suo favet proximo, & tamen quid quid lucratur alter se perdidisse iudicans, invidus est, & mercedem immeritam requirit. Hinc sequentes Theles. Sit

PRIMA. Non est Usurarius, qui cum damno proprio vult favere proximo, modo indemnis servetur. Ratio est clarissima. Quia nemo tenetur depauperari ut alter dives sit; nemo pati ut alteri utilitas accrescat.

SECUNDA. Usurarius, est qui cum damno suo vult favere proximo, modo plus quam perdidit eum decur. Ratio est; quia ut sine levi damno favere sufficit quod indemnis

fervetur: ergò quidquid præter indemnitate accipit, accipit sine titulo, vel si titulo, hoc solo quia alter lucratur, ergo titulo invidiæ ac propterea illegitimo.

TERTIA. *Indemnis servatur, cui solvuntur omnia pretio æstimabilia, quæ exposuit in favorem proximi.*

QUARTA. *Item ille, cui restituuntur etiam illa, quæ aliàs debebantur, qui enim sibi debita ab eo qui debet recipit, nihil acquirit, sed indemnis servatur. Ita Molina disp. 309. Covarrubias 3. varior. cap. 1. num. 1. Dicastillus libr. 2. tract. 10. disp. 2. dub. 3. num. 82. Rebellus quest. 4. num. 6. Reginaldus libr. 23. num. 44. Lessius 25. num. 191. Azorius 3. p. lib. 5. cap. 7. quest. 15. & libr. 7. cap. 7. quest. 7.*

QUINTA. *Est Usurarius qui præter hæc, quæ jure ipsi debentur, aliquid titulo justitiæ acquirit, non qui ex pura donantis liberalitate.*

Consultò dixi titulo justitiæ, gratias enim, qui excluderet, humanitatis vincula rumpere, & in Respublicas protruderet satyros, proscriberet homines; non tamen voco gratiam, quæ imbibit debitum, puta, si Petrus diceret, *Dabo tibi mutuas tales pecuniis, modò mihi des gratis tot aureos,* hæc enim vocabulo gratiæ retento, in justitiæ obligationem traditur.

725 His quinque thesibus ab Usuræ definitione illatis tota hæc materia subnixæ, facillima est, si bene intelligantur, aliàs non solum captu difficilis sed impossibilis. Quibus thesibus majoris roboris & efficacis gratiæ additor

SEXTA. *De fide est Usuram esse illicitam.* Est contra aliquot hæreticorum errorem, qui teste Guidone Carmelitano illam licitam esse crediderunt, quos condemnavit in Vienenfi Concilio Clemens V. Videantur Molina disp. 304. Azorius lib. 5. tractatu speciali de usurâ. cap. 2. Valentia tom. 3. disp. 5. quest. 21. punct. 1. Grassius 1. part. libr. 2. cap. 104. Salas tract. de usuris, dub. 6. & 7. Rebellus libr. 8. quest. 2. sect. 2. Salonius 2. 2. quest. 78. art. 1. contro. 1. Bañez ibid. dub. 1. Aragonius ibid. qui multa testimonia congerunt, ut hanc thesin ostendant; mihi autè sufficit simplex autoritas Vienenfis Concilij.

SEPTIMA *Usura interdicitur jure Divino.* Hæc veritas tam clara, ut etiam fuerit Ethnicis ipsis nota. Aristoteles 4. Ethicor. 1. & 1. Policicor. 7. eam præter naturam esse asseruit. Adsonat Cato Censorino Tullio teste 2. officior sub. finem. & Plutarchus opusculo de usurâ vitandâ, & alij veteres relati à Marco Catone sub init. libri de re rustic. Livio libri 10. decade 1. Antonio Sabellico Enead. 5. libr. 6. Alexandro ab Alexandro 1. genial. c. 7. & alijs.

Ratione autem probatur sic. Non potest usura esse sine invidiâ, est enim invidiæ proles & comes; hæc jure naturali interdicitur: ergo & illa. Consequentia est legitima: minor, ut existimo, apud omnes nota: major ex Usuræ conceptu & definitione desumpta.

Ut videas non esse plures regulas necessarias, ut omnia dubia decidantur quæ hanc materiam concernunt, me duce aliquos difficiles casus summa cum facilitate insistentis doctrinæ præmissæ resolve.

Casus primus.

Petrus dedit pecuniâ mutuam cum spe aliquid recipiendi præter fortem; quæritur, an sit Usurarius? 726

Suppono, omnes pueros scire peccata distingui in facta, dicta, & concupita; ideoque non volo distinguere inter actionem & voluntatem faciendi, nemo enim dubitat operis mali intentionem esse malam, tametsi minus malam quam opus; & ita minus malam ut debeat hæc circumstantia in confessione sacramentali exponi. Hinc intelligendus venit Urbanus III. cap. Consult. de usuris, ubi ait, *Qui mutuas aliàs non mutuo daturus, eo proposito, ut licet omni conventionione cessante plus tamen forte recipiat [puta, tanquam debitum, & ex vi contractus præmissi.] pro hujusmodi lucrificatione judicandus est male agere.* Nota illud verbum intentione, ut videas non solum esse malum Usuras admittere, sed & velle. Nota etiam illud aliàs non mutuo daturus, ut videas illud lucrum supra fortem hic esse motivum dandi, ita ut aliàs non daret. Noto, & ad mentem prudentissimi Pontificis

Resolyo vel Petrum velle contractu mutui mutuatarium obstringere ad dandum

dum aliquid præter fortem, vel celebrasse contractum omnino iustum, cum spe tamen aliquid recipiendi præter fortem ex mera liberalitate mutuarij. Si primum dicatur, usura absolutè committitur: non verò si secundum: homines enim, non solum præmium cum bona operantur; sed etiam quando nocent, veniam vel aliquid simile ex proximi benignitate sperant; & non sunt propter hanc spem iniqui, tametsi iniqui sint ob crimen quòd committunt. esset tamen iniqua spes, si Lutherana similis, in ipsis criminibus fundata, ob maiores culpas inferret maiorem esse in offenso obligationem ignoscendi. scio enim Deum velle ignoscere, non quia culpa veniam mereantur aut impetrent, sed quod Dei clementia sit tanta ut culparum oceanis extingui non valeat. Hanc puto esse omnium Doctorum opinionem, dabo tamen Molinam, Caietanum, Scotum, Angelum, Toletum, Valentiam, Navarrum, Lessium, Rebellum, Petrum Navarra; Aragonium, Salonium, Bañez, Salas, quos citat & sequitur Dicastillus lib. 2. tr. 10. disp. 2. numero 8. qui omnes subscribunt D. Thomæ, id expresse asserenti. Hunc casum debere sciri à confessarijs ad sedandas poenitentium conscientias advertit optime Molina; sæpe enim torquentur poenitentes, ab imperitis, cum possint absolvi sine onere restituendi.

727 *Nota tamen* quidquid ab involuntario extorquetur auferri potius quam recipi, & ideo ad rapinam potius quam ad liberalitatem pertinere. Extorquet tamen ab involuntario, qui præmissio mutui contractu aut non præmissio, ita circumstantias disponit, ut alter non possit aliquam rem non dare. tunc dicitur inferre violentiam, quæ formaliter dicit carentiam indifferentiæ voluntatis, materialiter potest dicere vel contractum mutui, vel præces nimias, vel laudes immoderatas, vel suasionem fortem, nempe talem quicquid petita rei negatio moraliter cõponi non possit, quæ omnia fundantur Thesi quinta.

Casus secundus.

728 **A**ntonius mutuam dedit Anselmo monetam cupream ad valorè cen-

tum pataconum, & accidit quod dum hæc moneta esset apud Anselmum, diminueretur valor cupri cusi ad mediâ partem. Et inquiris, Vtri illa moneta diminuat, Antonio an Anselmo? An Anselmus postea debeat dare tantam materiâ physicam quantam accepit, an verò tantum valorem? Et materiæ similitudine illectus subdubitas, An de tritico, oleo, & alijs granis aut rebus debeamus eodem prorsus modo, quo de pecuniâ philosophari?

Dux de Lerma, sub Philippo III. Catholico Hispanorum Rege Legislator, valorem cupri cusi augendo, materiam subministravit viris doctissimis ut liberè scriberent, quid de tam perniciosâ actione censerent. Inter alios aptissimè Mariana ex veterum historijs (mundus ubique est idem, & homines eiusdem speciei) intulit facta quæ manerent Hispanos, si illa lex improvidè lata subsisteret. Substitit quamdiu & Dux, inò quamdiu & Rex. Deviventi Philippo III. successit Philippus à religione Magnus, & laboranti Hispaniæ opem laturus incepit agere de valore ignobilis monetæ remittendo. Bone Deus; Quantâ solitudine & diligentia, qui gravabatur ære alieno, creditoribus satisfaciebant (testis sum oculatus) ne cogentur postea duplum refundere! in nullius mentem venit dandam esse tantam materiam quanta fuerat accepta, sed omnes supposuerunt dandum eundem valorem. Tandem aliquando remissus fuit pecuniæ valor, & post edicti publicationem omnes ad valoris æqualitatem, non verò ad materiæ pondus creditoribus satisfaciebant. Et sentio futuram fuisse magnam turbationem in Republicâ illâ, si fuisset varietas opinionum in hac difficultate; omnium tamen communi iudicio creditum est pecuniâ formaliter in valore consistere, & propterea non dari tantam, quanta fuerat accepta, si minoris valoris. Subscribit huic opinioni multæ bene gubernatæ nationes, cum recipienda vectigalia, valor monetæ quasi centesimâ parte remittitur; cum creditoribus satisfaciendum; intenditur; & hæc politica methodo duas centesimas partes à populo excepiunt plus quam postulant: in quorum equidem opinione consentio.

Ante

Ante resolutionem præmittam diuer-
sas authorum sententias, inter quas me-
dius ex æquitate iuxta fudamēta præmissa
fatisfaciam.

729 PRIMA SENTENTIA. *In Mutuatione, non
attendenda est materia quantitas physica, sed
valor moralis. In Solutione debiti non est dāda
eadem quantitas, sed idem valor moralis.* Ita
Covarrubias 2. var. cap. 3. num. 6. Mo-
lina de reitut. quæst. 38. circa fin. Scotus
in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 1. Gutierrez
in quæst. canonicis cap. 37 n. 50. Rodriguez
tam. 2. cap. 140. Petrus Navarrus dub. 5.
Rebellus lib. 8. concl. 3. & lib. 11. concl. 5.
Lelsius libr. 2. cap. 20. dub. 17. nu. 149.
Molina diff. 311. Paludanus num. 3. dist.
37. qu. 2. concl. 4. Syluester verb. usura. 1.
qu. 14. & 17. Angelus verb. usura. 1. §. 34.
Antoninus 2. part. tit. 1. c. 7. §. 13. Ro-
sella verb. usura. num. 32. Gabriel. in 4.
dist. 15. quæst. 11. art. 1.

730 SECUNDA SENTENTIA. *In Mutuatione non
est attendendus valor rei, sed materia physica
quantitas.* Ita Mercadus de cōtractibus lib. 5.
cap. 5. Navarrus cap. 17. num. 242. Sa-
verh. mutuum. numer. 9. Sotus 6. de just &
iur. quæst. 1. art. 2. circ. finem. Laurentius
de Ridol cit. à Sylvestro. Azorius 3. part.
libr. 7. cap. 10. quæst. 7. quibus favere vi-
detur ff. de rebus creditis, & præcipue lex
22. quæ incipit vinum. quæ est satis ex-
pressa.

His non obstantibus judico materiam
esse valde perplexam & neutram senten-
tiam universaliter veram, & utramque
veram in aliquibus casibus omnes enim
regulæ generales expositæ sunt millenis
exceptionibus. Sit igitur

731 Resolutio I. *Non repugnat natura Mutui
ferri parium concordiam de modo solutionis,
an eadem physica quantitas, an debeat idem
valor restitui.* Concordia hæc si institua-
tur, servanda, & tollit omnes difficulta-
tes. Quod ut subtiliter examinem & ex-
pendam, adverte in re duas dari realita-
tes vel formalitates; nimirum; substan-
tiæ physica magnitudinē & entitatem;
nec non moralem valorem, & quia sepa-
rari contingit, Mutuum possum bifariam
concedere. Primo dando directè & per se
materiæ quantitatem ipsam physicam,
& concomitanter secundariò que valorem

moralem; secundò hunc directè & pri-
mariò, illam secundariò concomitanter
& indirectè. Solutio debet fieri ad æqua-
litatem rei acceptæ, rei inquam acceptæ
directè & primariò, non tamen est ha-
benda ratio valoris aut cujuscumque al-
terius concomitantis accidentis. Igitur si
mihi mutuas dederis quatuor mensuras
tritici, satisfaciam si dederis totidem qua-
tuor æquè boni. Si autè dederis mutuum
valorem viginti aureorum in tritico, de-
beo tibi restituere non quidem totidem
mensuras tritici æquè boni, sed triticum
quod viginti aureis valeat. Et hoc ex vi
contractus præmissi. [Si non fiat specia-
lis concordia standum est communi modò
loquendi & sentiendi, iuxta quem in mo-
netâ primariò intenditur valor moralis,
in alijs rebus physica entitas: unde mo-
netam secundum valorem tempore mu-
tui, res alias secundum physicam quanti-
tatem restitue, quis enim non videat esse
differentiam inter has duas formulas,
*Do tibi mutuos centum florenos in tritico, sol-
vendos itidem in tritico, ac Do viginti mensu-
ras mutuos* & primus enim contractus valo-
rem, secundus physicam mensuram con-
cernit]

732 Resolutio II. *Respublica potest lege latâ
hoc dubium tollere.* omnia enim dubia in
materiâ domini sunt nociva publicæ trā-
quillitati; igitur potest Respublica, ut ob-
viam eat huic inconvenienti, præcipere
ut altera opinio seruetur, & juxta eam
concedere verum dominium, defectum
veritatis autoritate suâ supremâ & po-
puli cessione supplendo. Probat, quia
qui præscribit rem alienam tutâ consci-
entiæ possidet, favore enim Reipublicæ
mutantur privata dominia, cum expedit
tranquillitati populi. Sed & lex illa 22.
vinum ff. de rebus creditis videtur de factò
hanc quæstionem resolvissè, & pro secūda
sententiâ in granis & liquidis judicasse.

733 Resolutio III. *Danti mutuos centum Iacobos aureos & exprimentis se velle tibi totidem Iacobos in specie restitui, non satisfacies si monetam argenteam aut aliam dederis, sed debes stare contractui.* Hinc constat primò quòd tali contractu præmissi, si valorem monetæ augeri aut diminui contingat, augeri & diminui Mutuatori non Mutua-
tario;

tario; quia sic conventū est. Constat secun-
dò deberi dari aliam monetam, si non re-
periantur Iacobi, ad valorem quem centū
Iacobi habent tempore solutionis, non ad
valorem quem habebāt tempore Mutui.
734 Sed petis, An peccaret mortaliter in
tali casu, qui & Iacobos in specie habe-
ret, & tamen centum Iacoborum valo-
rem in monetâ alia æquè bonâ restitueret
suo creditori? Respondeo considerandas
esse omnes circumstantias. Si illa moneta,
quæ ex vi contractus exigitur, sit neces-
saria acturo in Anglia verbi gratiâ, fit
Mutuatori injuria, cum datur argentea
moneta, & gravis si non possit alibi Ia-
cobos quibus eget, reperire; levis, si illos
possit habere sine expensis & cum summa
facilitate. Cum igitur Mutuator debeat
servari indemnis juxta Thesin III. ipsi in-
juriam facis quotiescumque ipse dederit
rem sibi utilem ut quatuor, & aliam ipsi
utilem ut tria restituas, tametsi utraque
sit tibi æquè utilis; habenda enim est ra-
tio, ne ille, qui prodest, propter bonita-
tē suam detrimentum patiat.

735 Resolutio IV. *Danti centum florenos
mutuos in Iacobis aureis debent centum flo-
reni restitui, etiam si Iacoborum valor muta-
tus fuerit, etiam si ipse Mutuator non fuis-
set eis usurus.* aliàs enim receptio & solu-
tio non respicerent eandem quantitatem.
Vtrum Mutuator illis Iacobis fuisset usu-
rus vel non, aliqui examinant; sed illa
consideratio nihil mutat in re; quia cum
sit verum, quod Petrus dederit Antonio
centum florenos, est etiam verum, quod
centum debeant illi restitui; unde mone-
tæ valor Mutuatorio augetur & diminui-
tur utpote vero domino, habenti obliga-
tionem solvendi quantum directè rece-
perit ex vi contractus.

Casus tertius.

736 Petrus dedit Antonio mutuam tantā
pecuniam, ut ejus gratiam & ami-
citiā venaretur, expressè dicens se nol-
le mutuam pecuniam dare nisi sub onere,
quod & debeat Antonius veniam pro tali
offensione concedere. vel quòd debeat ta-
le debitum verum, secretum tamen, pu-
blicè confiteri, vel debeat dare cautio-
nem non solum pro illo novo debito,

sed & pro alijs antiquis?

Respondeo huic & similibus casibus
respondere Thesin quartam fundamēta-
lem. Nam si Petrus Antonio, quem offen-
derat, dederat congruam satisfactionem
debebat veniam impetrare, & rem debi-
tam postulat, cum Mutui intuitu vult
veniam obtinere. esset tamen Vfurarius,
si peteret ex justitia & ex vi contractus
concedi veniam indebitam; puta, si nol-
let dare satisfactionem & tamen vellet
quod ex vi Mutui venia concederetur. Cū
debitum verū est, nil lucratur qui suā in-
dustria illud recuperat aut securius red-
dit: unde in his casibus nō est Vfuræ locus.

Casus quartus.

737 Sed dubitas, An, qui debitum dubiū
aut merè probabile vellet cum novo
illo debito confundi dicendus esset Vfu-
rarius? Verbi gratiâ, An Petrus, si
illi Antonius probabiliter aut dubiè
deberet centum aureos, daret eidem
Antonio mille mutuos sub onere quod
mille centum restitueret; nimirum, illos
mille & alios centum, esset Vfurarius?

Respondeo me nullam in probabili de-
bito difficultatem reperire; nullam non
reperire in dubio. Probabilitatis privi-
legio judicium ferri prudenter potest li-
berè in utramque partem. Qui igitur
probabiliter judicat sibi deberi centum
aureos prudenter judicat; & si pruden-
ter, etiam prudenter judicabit se nihil
præter sortem recipere, cum illos; ergò
& se non esse Vfurarium; talis enim non
est qui nihil acquirit præter sortem. At
verò, qui dubitat, non habet rationem
probabilem contra aliū possessionem; &
ideò imprudens erit, si existimet sibi de-
beri illam pecuniam, de qua dubitat;
est enim Antonij quamdiu non constat
esse Petri: iste igitur Vfurarius esset, si
vellet præter sortem etiam illam pecu-
niam dubiam solvi. Video viros, aliàs
doctissimos, dubium cum probabilitate
confundere [dabo unum valde magnum,
nempe Ioannem Præpositum quæst. 5. de
integrit. confess. dub. 3. & darem alios plu-
rimos si vellem adversaria mea recogno-
scere] sed quantum intersit discriminis
vel cecis judicandum relinquo.

738 **D**ICIS. Omnis obligatio est pretio æstimabilis, atqui Antonius non tenebatur solvere illud debitum merè probabile, ergò pretio æstimabile est, quod se obliget ad id solvendum. atqui nihil pretio æstimabile potest præter sortem adquiri ratione Mutui: ergò nec illud.

Respondent aliqui distinguendo minorem; non teneri evidenter, concedunt; non teneri probabiliter, negant. Sed meritò tibi displicet hæc responsio; est enim falsa, & inefficax. Falsa quidem; quia improbable est peccare eum, qui sequitur opinionem probabilem; improbabile peccare eum, qui non solvit debitum probabile. Igitur probabile debitum nequidem probabiliter tenetur quis solvere, est enim certum (& fortè evidens) quod non tenetur. Et est insufficientis; quia majoris fit debitum certum quam probabile, hoc enim si velis vocare in controversiam, vende sub hæc debita probabilia, & hominum commune iudicium experieris. ergò cum Petrus vult sibi Mutui intuitu concedi cautionem & obligationem pro debito purè probabili, plus exigit quam sibi debetur, petit enim quod debitum probabile in certum commutetur, hoc est, ut octo vel decem aureorum debitum in debitum centum aureorum convertatur; non enim pro debito probabili decimam partem certam exponeres, cum scias in omni probabilitate solere iudices stare pro reo & possessore.

Ego autem respondeo concedendo primum syllogismum, & minorem subsumptam concedens nego consequentiã, asserendo illos centum aureos non esse præter sortem, sed in ipsomet contractu imbibit, qui implicite continetur ijs verbis. *Debes mihi centum aureos probabiliter, & mille mutuos postulas, ego illos centum quos nunc possum exigere & alios mille quos postulas dabo mutuos, cumque Antonius acceptet mille & centum aureos mutuos, si mille centum restituat, nil dabit præter sortem.*

Casus quintus.

739 **S**ed quid si Petrus vellet sibi statim solvi centum illos aureos antequam daret alios mille?

Respondeo posse uti eadem formulã, sed paucis additis; nempe, si expressè aut implicite diceret, *Do tibi mutuos mille & centum aureos (videlicet, centum qui mihi debebantur, mille quos trado) ita ut centum post horam restituas, mille post tale tempus, nisi fortè illis antea indigero.* Si ineatur sic contractus, tollitur difficultas: sapè enim morales tales sunt, ut securissimè & facillimã tolli queant, & ni tollantur non possint nisi difficulter & periculosè decidi.

Præterea, Vfsura non nascitur ex eo quòd Mutuatarius aliquid perdat, sed ex eo quòd Mutuans aliquid præter sortem adquirat; Mutuans enim non tenetur in conscientia facere ne aliquid Mutuatarius aut donet aut perdat, sed ne ipse aliquid lucretur sine titulo.

Casus sextus.

740 **M**utuavit Petrus pecunias aliquas Ambrosio cum onere, ut & ipse similiter, si habeat, remutuet, & inquiritur, An Vfurarius sit?

Examinandum est, An quis teneatur mutuare, hoc est, favere proximo, ubi sine damno proprio possit, vel non? Si citra invidiam negari possit Mutuum, ille contractus usurarius est, quia postulat rem indebitam ultra sortem. Sed si mutua pecunia negari non possit, res debita petitur cum talis contractus inicitur, nec Vfurarius dici debet ille qui mutuat sub onere quod alter remutuet, si habeat; hoc est, suis satisfaciatur obligationibus.

Cæterum ego sentio, neminem excusari ab obligatione dandi Mutuum nisi qui caret, aut qui indemnus favere non potest. ideo consultò posui illa verba, *si habeat.* Vnde si pacisceretur, quod deberet remutuare etsi non haberet, sive quod deberet remutuare pro tempore determinato, Vfurarius censendus esset; jure enim naturæ nemo tenetur quærere aut petere ab amicis pecunias ut det mutuas, nec debet illas, si habet, dare pro tempore determinato ita ut nõ possit illas repetere etsi egeat; unde qui hæc gravamina imponit, aliquid extorquet extra sortem.

Casus

Casus septimus.

741 **H**inc patet solutio alius difficultatis. Inisti talem concordiam cum Petro, Ille se obligat semper dare tibi pecunias mutuas quotiescumq; indigeas, & tu habebis obligationem dandi ipsi extra sortem tot aureos. Petis, An legitimus & ingenuus sit?

Respondeo, aliud esse Petrum tibi daturum pecunias mutuas quoties sine incommoditate possit, aliud datum quoties egeas, sive ipse sine incommoditate possit, sive non possit. Si primum pollicetur Petrus, nihil promittit quod aliàs non deberet, si secundum, grave onus suscipit, & debet indemnus servari: ergò iudicio prudētis viri taxandum hoc gravamen est. igitur Vfurarius non est, si præter sortem aliquid propter hoc gravamen recipiat. Sanè habere obligationem mutuandi esse gravamen, quod non facile admiseris nisi pretio admissio, apud doctiores certum est; hoc enim gravamine perditur libertatis pars, quæ pretio æstimabilis est. Ita Dicastilla expressè *lib. 2. tract. 10. num. 91.*

Hi duo ultimi casus (sexus & septimus) conciliant duas oppositas Authorum sententias, quarum altera gravibus suffulta testimonijs docet non esse Vfuram dare pecunias mutuas sub onere quod Mutuatarius remutuet, altera gravioribus & pluribus munita negat. utriusq; enim Authores juxta præmissas observationes poteris explicare.

Casus octavus.

742 **D**icitur consequentiã doctrinæ inquiris, An Vfsura sit dare pecunias mutuas Antonio sub onere quod te doceat talem aut talem artem, ut tibi medeatur, vel ut mittat suum triticum molendum ad tuam domum, vel quod eriat necessaria à tali amici sui officinã.

Et respondeo ex dictis, vel peti ab Antonio illud quod aliàs tenetur facere, vel non: si primum, Vfsura non committitur; secus, si secundum. Verbi gratiã; Est in civitate Grammatices magister auctus stipendio publico ut omnes doceat, & ipse est negligens & non satisfacit suis ob-

ligationibus; poteris illi dare pecunias mutuas ut alliceas, & in contractu exponere quod debeat te docere, nihil enim indebitum requiris, sed illum excitas, ut obligationi antiquæ satisfaciatur. Cum autem jure nec teneatur tale molendinum, nec talem officinam adire; Vfurarius esset, qui hoc exigeret intuitu mutui; exigeret enim aliquid indebitum præter sortem.

Objicis ex Dicastillo *lib. 2. citati tr. 10. disp. 2. n. 120.* esse licitum dare mutuum sub onere quod alter alium contractum de præsentia ineat; puta, si contrahat aliquis his verbis, *Do tibi mutuum, sub onere quod statim emas meam domum, vel vendas tuam, aut colas meos agros justo pretio.* hunc enim contractum licitum esse defendunt Angelus; S. Bernardinus, Rosella, S. Antoninus, Sylvester, Greg. Arimingesis, Sa, Sotus & alij, & probant communem dominorum præxi, qui dant pecunias mutuas rusticis sub onere quod agros suos colant. ecce in mutuo datur præter sortem gravamen licitum in Mutuatario.

Respondeo mihi non videri verosimile posse sine Vfsura dari purum mutuum obligando Mutuatarium ad aliquid dandum præter sortem, quod pretio æstimabile sit. Sanè contractus ille rusticorum & dominorum contrarium non suadet. fateor ex multis titulis licitum esse, sed nego opitulari oppositæ sententiæ. Teneor dare egenti proximo pecunias mutuas, cum sine damno possum; non quando careo; non quando dare illas sine incommoditate non possum; non teneor me obligare, nec teneor non repetere, si indigeam. Rusticus etiam ex hypothesi, quod meos agros culturus non sit, illis pecunijs non eget [nota hoc] & non teneor illas mutuare non egenti. Cum igitur admitto obligationem dandi centum aureos mutuos (sive illos habeam sive non) & cedo jure repetendi, quos possem si indigerem, gravamina notabilia admitto, quæ involuntario imponi non possunt. ut igitur server indemnus (indemnitas enim in omni mutuo licita est) rusticus pro gravaminibus, quæ in favorem ipsius accepto, acceptet vicissim in mei favorem hoc gravamen, quod colat agros meos. Ecce nihil præter

præter fortem adquire ratione Mutui, sed illa gravamina rustico imposita respondent gravaminibus, quæ pro rustico tolero, & ut servetur indemnitas fieri debet gravaminum recompensatio.

Casus nonus.

744 **A**lbericus ratione puri Mutui aliquod officium aut dignitatem temporalem extorsit, & petitur, An sit Usurarius?

Si aliquis negativè responderet, deberet necessariò dicere temporales dignitates non esse pretio æstimabiles, quòd nemo prudenter admittet. cum igitur suum valorem civilem habeant, imò non solum pro meritis, sed sæpè pro pecunijs etiam conferantur, dicendus Albericus non posse à crimine Usuræ excusari. Ita Molina disp. 310. Corduva in summa qu. 117. D. Thomas opusc. 21. Dicastillus libr. 2. tract. 10. disp. 2. num. 137. Aragonius 2. 2. qu. 78. art. 2. dub. 2. Lopez in instr. part. 5. c. 2. 16. §. adde. Salas dub. 13. & 14. de usuris. Reginaldus tom. 2. libr. 25. num. 290. Salonius & alij apud Petrum Navarra libr. 3. cap. 2. num. 267. 273. uterque Medina C. de adquisitis per usuram. qu. 4. vers. Inde etiam & Summ. lib. 1. c. 14. §. 23. & qu. 4. de usur. §. Inde.

745 Consultò de officijs & dignitatibus temporalibus vel sæculacibus inquiritur, nam de Ecclesiasticis cum pretio vendibiles non sint, est alia ratio. nam qui contrahat cum Episcopo dicens, Dabo tibi mutuos mille aureos sub onere quòd me ad Canonatũ promovens, non petit aliquid pretio sæculari æstimabile præter fortem, unde fortè Usurarius non est. attamen contractus legitimus omninò non est, quia dum Usuræ crimen fugit, (si fugit: petit enim rem verè pretiosam & nobilem, tametsi pretio sæculari non æstimabilem.) Symonia labem videtur incurrere. Navarro cap. 17. num. 207. Petro à Navarra ubi supra. Sed esse simul Usuram & Simoniam judicavit Reginaldus tom. 2. libr. 25. c. 11. n. 190. & Rebellus part. 2. libr. 8. quæst. 4. n. 13. & non video cur non possint admitti Usuræ Ecclesiasticæ & Spirituales.

Casus decimus.

746 **D**edisti mutuos Anselmo mille aureos solvendo tempore messis in tritico pretio currenti. & quia de æquitate contractus aliqui dubitant, meum iudicium inquiris.

Respondent doctè Authores inter mutationem & venditionem distinguendo; quia ille contractus, qui mutuatorius dicitur, sæpè emptorius est, & de nomine non est disputandum, Usuræ enim non afficiunt nomina, sed res. Si emptorius, licitus est in omnium opinione. verbi gratiã, qui initus fuerat hijsce verbis, Do tibi mille aureos mutuos solvendo messis tempore in tritico tali pretio, vel pretio currenti tunc, vel currenti modo, posset iniri istis, Ego triticũ pro mille aureis tali aut tali pretio, tradendum tali aut tali tempore. Ita Molina disp. 309. Azorius lib. 7. c. 7. q. 2. Rebellus, Reginaldus, Petrus à Navarra, Emanuel Sa, Dicastillus, & alij jam citati. Sed statim occurrit, An omnis Mutuatio in emptionem transire possit? & respondent bene Authores citati, emptionem æquivalenter esse, si tuam pecuniam repetere non possis usque ad messis tempus, & tunc triticum admittere debeas.

747 Vidisti pulchrè difficultatem, imò & solidè elisam. stemus naturæ Mutui, & eam secundo calamo examinemus. Puto primò hoc gravamen solvendi in tritico non esse positum rustico seu Mutuatario, sed emptori; est enim favor rusticis quòd triticum ipsorum pretio currente recipiatur, non enim statim reperiunt emptores paratos, & si inveniunt, adhuc facilius est dare Mutuanti triticum, quàm id emptori & pecuniam ab hoc receptam Mutuanti. Præterea, esto, non sit gravamen impositum Mutuanti, nec levamen concessum Mutuatario; esto contra, illa circumstantia, quæ se obligat Mutuator non exigere illam pecuniam etsi indigeat, usque ad messis tempus, indebita & pretio æstimabilis est: ergo cum Mutuans unum gravamen præter rationem Mutui accipiat, alterum præter sortem imponat, ita ut pro substantiã Mutui reddatur ipsa fors, & illud gravamen emptum sit pretio alterius gravaminis.

Casus

Casus undecimus.

748 **D**ebat tibi Franciscus post annum solvere mille aureos; dedit sexto mense quingentos sub onere, quòd quingentorum aliorum solutionem per biennium expectes. & petitur, An aliqua Usura sublateat?

Aragonius prudenter vult tolli casum & difficultatem. Tollitur, ait, si dissolvatur contractus ille prior & secundus in eatur. nempe hoc modo. Solvit tibi quingentos aureos ille, & tu novo contractu illi das mutuos pro biennio alios quingentos aureos. Adsonant Salas, Molina, Lessius, Dicastillus, qui dicit huic opinioni reverè consentire Petrus à Navarra tametsi ita obscure alicubi loquutus, ut contrariæ favere videatur. Sed me duce considera, An possit Usura in solutione ipsa committi? de hoc enim alibi disputabimus.

749 Si contractus ille non rescindatur & novus fiat, transire in Usurarium, videtur sentire Petrus de Navarra in aliquorum sententiã, qui putant ejus mentem examinasse. Et probatur. Quia hoc nihil aliud videtur, quàm implicitè mutuare, seu quod idem est, anticipare solutionem cum onere ut tu remutues in fine anni quando erant solvenda alia quingenta.

Sed quis non videat hic hallucinationem subesse? solvere non est implicitè mutuare, ut dicitur, tametsi fatear posse committi in ipsa solutione Usuram; nimirum, si Petrus solvat quòd debet quando debet, sub onere quòd creditor faciat quod non debet. Sed hoc impræsentiarum non accidit, nam si tibi debebat Franciscus solvere post sex menses, & solvit nunc, fecit quod non debuit; ergo poterit vicissim petere ut facias quod non debes. ergo, si ipse voluit pro te unum gravamen subire, ut tu subires alterum, nulla cognoscitur injuria, nulla Usura.

De Lucro cessante.

750 **Q**uæritur, An possit aliquid præter sortem accipi cessantis Lucri titulo? Respondeo affirmativè juxta primam fundamentalem Thesin; nemo enim te-

netur dare Mutuum nisi indemnus servetur. est meã sententiã tam clara hæc veritas, ut mirer fuisse aliquos, qui dissenserent. Citantur pro hac parte authores illustriissimi & innumeri; dabo aliquos, quos oculis meis exhibent, qui voluerunt eorum scripta examinare. Mihi favent Conradus, de contractib. quæst. 30. Mercadus tract. de usuris. cap. 10. Turrecremata in cap. si res 14. quæst. 6. Joannes à Medina C. de restit. p. 41. Bartholomæus à Medina c. 14. §. 24. Pedrãza præcept. 7. §. 14. Gabriel in 4. dist. 15. quæst. 11. not. 2. Antoninus 3. part. rit. 1. cap. 7. §. 7. Adrianus quæst. 1. de restit. §. 4. Angelus verb. usura. §. 16. Sylvester verb. usura. 1. quæst. 16. & 23. Caietanus 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 1. Covarrubias 3. variar. c. 4. Navarra cap. 17. num. 212. & in comm. de usur. num. 44. Petrus à Navarra libr. 3. ca. 2. p. 2. dub. 8. Molina disp. 315. Toletus libr. 5. cap. 33. Valentia tom. 3. disp. 5. quæst. 20. punct. 2. Reginaldus libr. 23. numer. 81. Dicastillus libr. 2. tract. 10. disp. 2. num. 159. Saloñ 2. 2. quæst. 78. art. 2. contr. 9. Banez ibid. Azor. 3. part. libr. 7. cap. 7. & libr. c. 5. 4. Emanuel Sa verb. mutuum. num. 4. Lessius, Salas & alij in multis locis, ita ut merito hæc debeat dici cõmunis Doctorum sententia.

751 Obijcis primò authoritatem D. Thomæ, qui sæpè citari solet pro contrariã, & respondeo Cajetanum fuisse Thomistam & tamen pro nobis militare; unde & credo Angelicum Doctorem non bene exponi, si contra doctrinam Caietani.

752 Obijcis secundo c. naviganti. de usuris. & respondeo me reperire Canonistarum & Juristarum libros millenis citationibus oneratos, & cum examinandi laborem subeo vix paucas reperire ad rem, contingit enim propter unum verbum materialiter consonans frequenter textus dissonantes citari. quod non solum in alijs sed in hoc ipso evidenter conscipimus. citatur contra communem opinionem & speciem verborum audiamus, Naviganti vel ennti ad nundinas mutuans certam pecunie quantitatem pro eo quod suscipit in se periculum suscepturus aliquid ultra sortem Usurarius est censendus. ubi hic non posse aliquid accipi ratione.

ratione lucri cessantis ? agitur ibi de periculo damni emergentis, de quo statim.

753 Vt tantumdem accipias, quantum poses tuâ pecuniâ lucrari tres conditiones requiruntur. I. *Vt reverà esses illâ negotiaturus*; quia aliàs lucrum non cassaret, sed cessare fingeretur. II. *Vt mutuario lucri cessantis quantitas proponatur*; illa enim circumstantia venditur, & contractus emptionis & venditionis requirit quod emptor sciat quid emat. III. *Vt servetur æqualitas*; non enim esset contractus iustus, si pro centum aureis lucri cessantis ducenti extorqueretur; imò nec esset iustus, si pro centum aureorum lucro dubio vel probabili, centum aurei certi exigerentur; pecunia enim plus valet quo certior ipsa est, minus quo incertior, quod & puelli intelligunt cum illâ utuntur parcentiâ, *Pluris capta aricula, quam vultur volans.*

Casus primus.

754 **P**etrus non erat negotiaturus suâ pecuniâ, poterat tamen, dedit illam mutuam Antonio pro anni tempore. & inquit, An possit aliquid exigere pro lucro cessante? Respondeo nullum cessare lucrum; ubi nullum est; nullum cessaturum ubi nullum futurum est: adeoque hoc titulo non posse. ceterum non posse negotiari gravamen est, & posse est pretio estimabile, & nescio cur deberet Petrus illud subire gravamen, hancq; immunitatē pretio estimabilem perdere gratis.

Casus alter.

755 **D**edit Petro centum aureos Antonius pro uno anno mutuos sub onere quod statim solveret præter sortem ipsum lucrum cessans, quod prudentiū iudicio duodecim aureorum credebatur, & dubitatur de illo statim, utrum id possit exigere. Respondeo ibi duos celebrari contractus; alterum mutationis, venditionis alterum; huncque esse extra conceptum aliis, & se habere ad illum solummodo concomitanter. dantur mutui centum aurei, & videtur incommoditas lucri cessantis pro aureis duodecim. Dico igitur plus valere pecuniâ numeratam quam numerandam; unde mercatores viliori

pretio vendunt res pro paratâ pecuniâ, quam pro parandâ. igitur examinandum est, qualiter prudentium sententiâ fuerit lucrum cessans determinatum. Si hic dixerint illud æquivalere duodecim aureis numeratis aut tredecim numerandis, nemini faciet injuriam; qui duodecim statim a volente exigat; faceret, si tredecim statim reciperet. Vnde resolvo neminem posse totum lucrum cessans recipere statim, sed illud debere recipere cum cessat; posse tamen pecuniâ recipiendam diversis vicibus & futuro tempore vendere viliori pretio, & recipere statim.

De Damno emergente.

756 **S**i Petrus haberet paratâ pecuniâ, ut reficeret domum periclitantem, aut certò ruituram, & tamen Ambrosius tibi vellet illam mutuam tradi, deberet Petrum indemnem servare; non enim esset rationabile, quod Petrus sua contemneret, & curaret alienâ. Si tamē Ambrosius polliceretur se post tale tempus (verbi gratiâ, post annum) redditurum Petro sortem, & præter sortem reedificaturum domum vel daturum esse tãtam in compensationem pecuniâ, proportionatam tamen, est licitus contractus, & ab omni Usuræ labe immunis. Hanc positionem certiore præcedenti, [hoc est, certius esse compensationē pro damno emergente, quam pro lucro cessante] advertit bene Dicastillus *libr. 2. tract. 10. disp. 2. dub. 6. num. 186.* Eam enim admittunt ferè omnes, qui præcedentem; imò & multi, qui creduntur præcedentem negare. Eam docet expressè D. Thomas 2. 2. *quæst. 78. art. 2. ad 1.* Rebellus *lib. 8. quæst. 8.* Azorius 3. *p. libr. 5. cap. 4. & cap. 7. quæst. 9.* Salas *de usuris disp. 18.* Sotus *ubi supra*, Salonius 2. 2. *quæst. 78. art. 2. contr. 8. num. 10.* Bañez *ibidem. in respons. ad prim. concl. 1.* Aragonius *ibid. solut. ad 1.* Lessius *citatus. dub. 10.* Navarrus *in comment. de usuris. num. 58.* Reginaldus *libr. 23. num. 69.* Scotus dubitare videtur, damni enim emergentis compensationem in mutuo negat in 4. *dist. 15. quæst. 2. §. de tertio.* in venditione admittit §. *De secundo.* cum tamen una & eadem sit negandi, seu admittendi ratio.

Probatio

757 **P**robatio hujus veritatis desumitur ex Theſibus fundametalibus, quas sub initiū-disputationis exposuimus, ut quæstiones omnes substrueremus. Non est Usurarius Theſi primâ, qui cum damno proprio favet proximo, modò indemnus servetur; hoc est, compensationē accipiat. Ergò pro emergente damno potest contrahere cum Mutuario, & accipere cōpensationem.

758 Vt damni emergentis compensatio sit licita, eadem conditiones, quæ in lucri cessantis compensatione, requiruntur. I. *Vt reverà damnum illud emerſurum sit, vel reverà periculum imminet.* si enim damni instantia, periculumve fingeretur, contractus esset Usurarius. II. *Vt hoc ipsum Mutuario exponatur, ut videat an velit talem acceptare conditionem;* in Mutuo enim pecunia ipsa, quæ mutuatur, gratis conceditur, & adiacens periculum venditur, & venditio requirit quod emptor sciat quid emat, & quâ in re impendat suas pecunias. III. *Vt servetur æqualitas.* quia si imminet damnum ut quatuor, non potest exigere cōpensatione ut sex; omnia enim debent fieri secundum æquitatem. Nec semper potest accipi quantitas ipsa damni, si certum non sit. Plus valet lucrum præsens quam certò futurum, certum quam probabilius, probabilius quam minus probabile, plus minus probabile quam dubium: ergo etiam de dano pariformiter philosophare. Plus exigere poteris pro damno præſenti quam futuro, plus pro certo quam probabiliore, plus pro probabiliore quam pro probabili, plus pro probabili quam dubio.

759 **O**bjicis contra hanc doctrinam caput finale de Usuris, ubi *Naviganti, vel eunti ad nundinas mutuans certam pecuniâ quantitatem pro eo quod suscipit in se periculum recepturus aliquid ultra sortem, Usurarius est censendus,* respondet Adrianus. & arguis sic. Imminere periculum navigantibus ne perdant, imò ne pereant, certius est quam debeat ad controversiâ reduci. at Adrianus censet in tali casu non posse sine Usurâ aliquid præter sortem accipi: ergò falsum est, quod damni imminentis admitti possit compensatio.

Respondeo subscribens Laymano *lib. 3. de just. tract. 4. cap. 16. num. 13. in fine* auctoritatē Bemarij *de utilitate historie*

*libr. 2. sub init. suffulto, ibi esse apertissimè mendum, legendumque esse, Usurarius non est censendus, quod ex verbis sequentibus videtur clarè demonstrari; subdit enim, Ille quoq; qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensura reddantur, quæ licet tunc plus valeant, verum plus vel minus solutionis tempore sint valitura verosimiliter dubitatur, non debet ex hoc Usurarius reputari. Que Pontificis verba donabo Theologicâ & Grammaticâ ponderatione, utraq; mendū priorū verborum demonstrante. A R G V O Theologus sic. si sine Usuræ culpa potest fieri hoc secundum, etiâ & illud primum, est enim summa rationis paritas. Nam si hodie, cum mensura venditur duobus solidis possum sine Usuræ labe dare mutuos decem solidos recepturus decem mensuras, maxime quia cum dubitem an solutionis tempore valitura sint duobus, an medio solido, me expono periculo perdendi & lucrandi; atqui ille, qui navigaturus, recipit aliquid ultra sortem, se exponit similiter periculo perdendi & lucrandi, poterit enim vel illud præmium lucrari vel totum capitale perdere; igitur, si Pontifex hunc secundum ab Usurâ excusat, debet etiam excusare illum primum; vel si illum condempnet, etiam hunc. Habes igitur hic sublata mendum, debereque particulam non poni aut tolli utrobique. Ostendam non debere tolli in secundo casu, sed debere in primo prætermissa restitui. Si navigaturus, declarante Adriano Pontifice, ultra sortem recipere non possit, declararetur debere se exponere periculo perdendi cum certitudine non lucrandi, ac propterea declararetur stultus; quis enim gratis & ultrò vellet se talibus periculis exponere. ut igitur æquitas servetur, servanda æqualitas. Nemo tenetur periculum perdendi subire sine spe lucrandi. A R G V O Grammaticus. Est contra Latinitatis prima principia & regulas sequens periodus, *Faciens hoc Usurarius est; ille quoque qui facit illud, Usurarius non est.* Illud quoque propositiones symbolas (nèpe, vel duas affirmantes, vel duas negantes) debet connectere, aliàs enim non poneretur quoque sed tamen, aut alia ad-versativa.*

Casus

Casus primus.

760 **A**ccepisti ab Usurario mille argenteos daturus ultra sortem trecentos annuos, & inquiris, An si post sex menses illâ pecuniâ non indigeas tibi illam soluturo occurrerit Petrus, & petierit totidem argenteos mutuos, possis dicere, Hos habeo, quos tali Usurario volo solvere; dabo tibi modò server indemnis, hoc est, modò in posterû tu illi Usurario satisfacias?

Respondeo posse. nihil enim tu lucras ex mutuo, nec teneris dare gratis pecuniam, quam pretio exorbitanti accepisti.

Hac igitur doctrinâ præmissâ,

Casus secundus,

761 **S**ed difficilior proponatur. Ab Usurario mille argenteos accepisti ut antea, sed ultra sortem daturus trecentos annuos, & hos, quia ruitura videbatur domus tua, malebas enim Usuras tantas solvere, quàm domum (hoc est, quater mille aureos) perdere. Venienti ab Usurario occurrit Albericus, se mille argenteis absolute indigere ait, quia agitur de honore suo, quem omni pecuniâ majoris facit. se redditurum post annû pollicetur sortem, & additurum, quod justum videatur. Tu Alberico. Mille argenteos ab Usurario accepi pro reparatione meâ domûs, si velis trecentos ultra sortem tali Usurario solvere, & me indemnem servare, ita ut domus, si corruat, tibi non mihi corruat, sum paratus tibi favere sed cum proprio damno nõ volo; charitatis enim, quæ à seipsâ incipit, magisterio doctus, prius debeo propria curare, quàm aliena. Albericus acceptat conditionem (nempe solvendi præter sortem trecentos argenteos, & expendendi quatuor mille vel plures si necessarij sint, in domûs reedificationem, si corruat) & consulor, An sit commissa Usura? videtur enim deesse non posse ubi quinquagies plus solvitur, quàm debetur.

Respondeo contractum à te & Alberico initum esse alienum ab omni Usurâ suspicione.

In hoc casu & præcedenti subscribo Di-

castillo *libr. 2. tract. 10. disp. 2. num. 202.* Molina *disp. 314.* Rebello *libr. 8. qu. 16. sect. 6. num. 30.* Sylvestro *verb. Usura. 1. num. 20.* Emanuel Sa *verb. mutuum. n. 10.* Salas, Lessio, Aragonio, & alijs.

De tempore determinato.

762 **H**ic aut laboramus linguâ vel capite scriptores, cum tot quæstiones in re tam facili excitamus. Plurimos laborare linguâ certum est, reperio enim æquivocationes frequentissimas; aliquos laborare inconsequentia clarissimâ, cum admiserint centies, quæ impræsentiarum negant. Ego quidem claritati studens subiiciam aliquas mutuandi formulas, quarum æquitatem radicitus examinabo.

763 *Prima; Do tibi quingentos aureos mutuos, cum primû indigero, recipiendos. Secunda; Do eosdem tibi pro uno anno, repetendos tamen ante præfixum tempus si antea indigeam. Tertia Eosdem tibi concedo pro anno integro, non repetendos ante finem anni etsi illis gravissimè indigeam.* Prima formula continet purum mutui contractum, do enim pecunias, quibus ego non egeo, nec tamen volo carere, si egero; nec habere si nõ egero, quamdiu alter egeat. Secunda gravamen Mutuatario non imponit, sed favorem remittit & limitat; volo enim per annum favere sine meo detrimento: post annum nequidem sine detrimento, addens quòd post annum queras ab altero adfidentiam. Tertia imponit gravamen Mutuanti.

764 *Omissâ igitur primâ formulâ, quæ tempus non limitat, censeo propter temporis circumstantiam adsignatam in secundâ nihil posse ultra sortem exigere. Contrariam appellat Molina disp. 308. periculosam in fide, & benignus, videtur enim esse hæretica. & ostenditur. Qui diceret, ex vi prioris formulæ aliquid ultra sortem posse sine Usurâ accipi, negaret omnino Usuras, ac per consequens hæreticus esset; atque prima illa formula benignior Mutuatario est quàm secunda, & secunda benignior est Mutuanti quàm prima, ergo à fortiori hæreticus censendus, qui doceret posse aliquid ultra sortem exigere ratione temporis in secundâ formulâ adsignati. Sed omissâ assertionis censure, non posse in tali casu aliquid præter sortem*

sortem ratione temporis extorqueri afferunt constanter Doctores. Ita Reginaldus *lib. 23. num. 52.* Dicastillus *lib. 2. tract. 10. disp. 2. n. 208.* Lessius & multi alij. nec facile credam Medinam, virum alias doctum contrarium tenuisse *C. de restit. quæst. 33. vers. de usuris.* refertur à Molina, sed fortè ipse loquitur de tertiâ formulâ, quam illustrabunt sequentes Conclusiones.

765 *Prima. Qui certò scit se spatio illius anni non esse usurum pecuniâ illâ, quam juxta tertiam formulam mutuatur, nihil potest extra sortem exigere ratione temporis determinati.* Patet, quia nullum gravamen sibi imponit; & qui nullum sentit damnum, non habet cur utilitatem aliquam sentiat. Nullum sibi imponere gravamen constat evidentissimè; quia Mutuans non potest pro libitu repetere Mutuum, sed pro ratione, nimirum vel cum ipse eget, vel cum Mutuatarius non indiget. ergò in illo contractu ponitur circumstantia ex natura rei necessaria, ergò nullum gravamen adiicitur.

766 *Secunda. Qui probabiliter existimat, aut dubitat, an anni decursu uti illâ pecuniâ debeat, & tamen juxta tertiam formulam mutuatur, se exponit periculo carendi pecunijs cum egeat, & querendi & fortè non inveniendi, vel saltem non inveniendi sine usuris, ac propterea potest aliquid analogum recipere præter sortem ratione hujus incommoditatis & periculi: non tamen plus, quàm ipsismet periculi credatur valere libertas.* Patet ex his quæ diximus, cum de damno emergente disputavimus.

767 *Tertia. Nunquam licet aliquid exigere ratione temporis ab alijs circumstantijs abstracti.* Ostenditur. Quia, si liceret, maximè in casu primæ aut secundæ conclusionis; at in neutro licet: ergò. Probatur, quia in casu primæ nihil licitè exigitur; in casu secundæ, id quod exigitur ultra sortem, exigitur ratione periculi emergentis, non ratione puri temporis. ergò non licet aliquid accipere ultra sortem ratione temporis nudè considerati.

De Capitalis securitate.

768 **I**n omni Mutuo summa securitas existit, tanta ut cum illâ dubium aut probabilitas prudenter componi non possit, alias enim nemo mutuare tenebitur. Pactum servari debet, sub eisdem terminis, quibus initum est; quia si Mutuatarius sit lapsæ fidei, vel debeat omni exceptione majorem fidei iustorem dare, vel recompenfare periculum. Imò cum certum sit vix unum fidei iustorem ante iudicis sententiam solvisse; & certum etiam sit debere prius excuti creditorem quàm ad fidei iustorem veniatur, imprudens esses qui pecuniam, quam quietè & pacificè possides, velles ad lites & difficultates reducere. Igitur sit nostra

769 **C**ONCLUSIO. *Cum est periculum amittendi Capitale, vel licet sit certitudo non amittendi, si timeatur recuperandi molestia & difficultates, potest tantum ultra sortem exigere, quantum valeat periculi & illarum molestiarum carentia.* Ostenditur, quia in tali casu nihil præter sortem acquiritur ratione Mutui, sed ratione concomitantis venditionis; tanto enim pretio venditur quies, tranquillitas, securitas. Subscribo Molina *disp. 356.* Salas *tract. de usuris dub. 22. num. 3.* Medina *C. de restit. quæst. 38. vers. ad tertiam causam.* Majori in *4. dist. 15. quæst. 4. art. 7.* Cordubæ in *Summ. quæst. 78.* Petro à Navarra *lib. 3. cap. 2. part. 1. dub. 11. part. 2. dub. 10. §. tertia causa.* Valentia *quæst. 20. disp. 5. punct. 2.* Sylvestro *verb. usur. 1. q. 23.* Lessio, Dicastillo, & alijs. Navarrus *cap. 23. num. 81. & cap. 17. num. 245.* in contrariam sententiam abierat, sed in Summâ Hispanicâ veritatis pondere oppressus occubuit, & nos se expugnans propugnavit. cui similis Azorius etiam utrumq; docuit, nobis oppositus *lib. 7. c. 7. q. ult. & nobiscum consentiens 3. p. lib. 5. c. 6. q. 1.* [De conditionibus non occurrit speciale, quod addam, easdem enim quæ in periculo damni emergentis aut lucri cessantis (hæ enim universæ quæstiones sunt concatenatæ) requiro.]

Sed contra nostram resolutionem Conradus *de contractib. quæst. 59.* & alij ex eo argumentantur.

vere pœnam, si qua fuerit aut lege publicâ aut privatâ conventionem impositâ. Possit enim non solum à Republicâ, sed etiam à pacto mulctari morosum solutorem tuerentur Antoninus 2. part. titul. 1. cap. 7. Medina C. de restitut. quest. 41. §. quarta causa. Dicastillus lib. 2. tract. 10. disp. 2. n. 258. Navarrus cap. 17. nu. 215. Mercadus tractat. de usuris. cap. 7. Angelus usura 1. num. 31. Sylvester usura 1. num. 10. Petrus Navarra lib. 3. cap. 2. n. 331. Reginaldus lib. 25. n. 228. Garzia de contractib. cap. 12. Toletus lib. 5. cap. 32. Emanuel Sa verb. pœna. Salon 2. 2. quest. 78. art. 1. qui existimant posse talem mulctam institui, etiam si mora non sit perniciofa creditori.

De Pignore.

780 **Q**uia in Mutuo debet esse summa capitalis securitas; nempe tanta, quanta esset, si pecunia maneret apud Mutuantem, prudenter Pignus inquiritur ad solutionis securitatem. Pignus debet esse tale, ut ejus valor minimus non obstanter rerum & pretiorum vicissitudine à valore rei mutuatae certissimè superandus non sit. cum enim augeantur & diminuuntur rerum pretia, debet hoc praevidere mutuans, quod tale sit pignus, ut solutionis tempore Mutuum ipsum excedat; aliàs non habebit capitalis securitatem, quam requirit.

Examinandum est, An liceat uti pignore? an ejus fructus præter sortem accipere? & ut clarior evadat disputatio præscindendum est à titulis lucris cessantis, aut damni emergentis, de quibus superius disputabimus; quærendum, An præcisè ratione pignoris, videatur ususfructus Mutuanti cedere? & si non, Quid ipse debet agere, si morosus sit Mutuatarius? His positissit

Dubium primum.

781 **A**N Dominus feudi possit accipere fructus cum illi in pignus à feudatario ipsummet feudum datur?

Antequàm satisfaciã suppono feudum habere duos dominos, superiorem & inferiorem (illum, feudi dominum, istum vocamus feudatarium) superior est dire-

ctus & proprietarius feudi dominus; inferior utilis & usufructuarius, cum igitur datur feudum in pignus, non datur dominium directum, sed indirectum & usufructuarium: illud enim nec dare inferior potest, cum eo careat; nec superior recipere, cum in se habeat; quæ enim habentur non recipiuntur.

I. Possit feudi dominum recipere extra sortem fructus, qui æquivalent servitio ab feudatario exhibendo, & reliquos debere computare ad diminutionem capitalis, docuerunt Adrianus in 4. quest. de Usuris. vers. occurrunt. Covarrubias 3. variar. 1. num. Gabriel in 4. dist. 15. quest. 11. concl. 4. cas. 2. Petrus à Navarra dub. 12. II. at posse sine ullâ limitatione feudi fructus accipere & nunquam teneri acceptare ad diminutionem sortis Sotus 6. de justit. quest. 1. art. 2. ad 2. Medina C. de Usuris. quest. 2. §. ad caput. & quest. 3. §. primo igitur. Conradus qu. 32. de contractib. Mercadus opusc. de Usuris. cap. 8. Molina disp. 323. utrisque videntur favere caput 1. de feudis & cap. conquestus. de Usuris. III. Sylvester verò verb. feudum. q. 29. 30. Angelus §. ultimo. Navarrus cap. 17. num. 218. Major in 4. dist. 15. quest. 31. distinguunt inter feudum gratis cõcessum, & concessum titulo oneroso. & existimant secundam sententiam esse veram, quando ab ipso initio illud gratis concessum est, non verò quando datum est sub onere alicujus servitij; sed meam ego ignorantiam fateor, & existimo potius asseri debere contrarium. mentem meam sequentibus resolutionibus perstringam.

783 Prima. Feuda dantur nonnumquam pro obsequijs præstitis, & tunc sunt remuneratoria & videntur potius ad solutionis quàm ad donationis speciem spectare: Dantur nonnumquam sub onere obsequij & servitij præstandi, & tunc habent rationem stipendij: Dantur tandem propter meram benevolentiam, & tunc verè sunt dona. Ita omnes.

784 Secunda. Feudi titulo pignoris ad dominum reverteri dominium directum & utile non cõsolidantur; nisi fortè id expressè in institutione declaratum sit. Est contra Sotum & Medinam, qui existimant hanc cõsolidationem imbibere in ipsamet naturâ contractus, & ratio-

rationem nullam ad probandum adducunt.

785 Tertia. Dominus feudi in tali casu possit sibi reservare omnes illos fructus, qui aliàs cederet feudatario ratione servitij præstandi, modo illud feudatarius servitium aut nolit, aut non possit præstare. Ita authores citati pro primâ sententiã. Ostenditur, quia omnis donatio, quæ obstringit donatariũ ad aliquid faciendum, naturam stipendij habet, & nolenti aut non potenti servire non debetur.

786 Quarta. Omnes expensæ, quæ aliàs à feudatario deberent fieri ad feudi cõservationem, possunt à fructibus feudi desumi. Ostenditur: quia utilitas est fructuum ille excessus, qui impensas superat. Ille autem qui habet pignus non debet illud expensis proprijs custodire & servare, sed expensis Mutuatarij.

Quinta. Fructus indijuria, si sine pignoris damno sint, pertinent ad dominum feudi, hoc est ad Mutuantem. Ita Dicastillus lib. 2. tract. 10. disp. 2. nu. 356.

787 Sexta. Si Dominus feudi in cõservatione, cultu & defensione feudi adlaboret, non solum potest impensas sumere, sed & suorum stipendia, & congruam pro suo etiam labore; nemo enim tenetur servire aut laborare gratis.

788 Septima. Substractis ex fructibus hisce omnibus portionibus, si quid remaneat ad Mutui diminutionem computandum est. Constat ex dictis manifestè. Contrarium tamen propter authores secundæ sententiæ est probabile.

Dubium secundum.

789 **A**N liceat Mutuanti accipere in pignus vestem & illa uti? An agrum & fructus præter sortem percipere?

Sentio esse Usurarium, qui utitur rebus pignoris. Si veste utaris, recipis præter sortem hunc usum, quem esse pretio æstimabilem nemo mortalium dubitat. Si campi fructibus etiam præter sortem uteris rebus pretio æstimabilibus. ita D. Thomas 2. 2. quest. 78. art. 2. ad 6. Salon, Bañez, Aragon, & alij interpretes ibidem. Dicastillus lib. 2. tract. 10. disp. 2. num. 300. Salas tract. de Usuris. dub. 28. Azor. 3. part. lib. 7. cap. 9. cas. 8. Garzia

cap. 40. num. 7. Rebellus 8. quest. Molina disp. 230. Reginaldus lib. 25. num. 204. 241. Medina quest. 2. de Usuris. Rodrigueiz 2. part. cap. 17. Lopez 2. part. cap. 53.

790 Si res pignoris titulo concessa, indigeant diligentia, & labore ut conserventur, nec illam adhibere, nec hunc subire tenebitur gratis. quid si vel vestibus pignoris tantum usum, vel agri pignoris tantum fructum recipiat, quantus illi labori recompensando æquivalet? Puto se posse licitè servare indemnem; peccareque, si plus ceperit quàm propter laborem debeat.

791 Si genero socer dederit agrum in pignus solvendi dotis, teneretur aliàs fructus eodem modo computare quo quicumque alius, sed caput salubriter. de Usuris eum ab hoc onere absolvit. Verba sunt. Sanè generum ad fructus possessionum, quæ à socero sunt pro numeratâ dote pignori obligatæ, computandos in sortem non credimus compellendum, cum frequenter dotis fructus non sufficiat ad onera matrimonij supportanda. Et arguo sic. Vel Pontifex concedit, vel definit. Si concedit privilegium est, & habet juris vim, & debet practicari; nemo enim dubitat posse legislatorem ferre hanc legem. Dos dator numeratâ pecuniã; quod si comparanda illa sit, pignus genero traditor, cujus ususfructus non socero sed genero, non quidem ratione mutui, sed ratione majoris dotis cedito? Si definit, saltem mihi concedent adversarij Pontificum definitiones extra materiã fidei non habere minorem auctoritatem quàm habeat opinio probabilis. Laudandi igitur authores, qui titulum, propter quem fructus pignoris ad generum spectet, examinant, carpenti qui sententiæ Pontificis probabilitati oblatrant.

792 Si viduæ mariti hæredes dederint pignus pro solvendæ dotis securitate, posse illius fructus recipere si lucrum cesset, aut damnum aliquod emergat, docent Adrianus & Medina, sed hoc nimis clarum, & ideò non inquiritur. Sed petitur, An alimentorum ratione? Videtur quod sic quia hæredes in onera defuncti succedunt, adeoque tenentur, vel alere viduam, vel illi dare suam dotem. quod ita verum.

ita verum est ut debeant per annum illam alere iudicio Angeli *verb. dos. n. 26. & 28. & verb. Usura. 2. num. 29. Sylvestri verb. dos. quæst. 14. & 23. & verb. Usura 3. q. 71. Legantur Molina disp. 322. Salon. contr. 15. Navarrus cap. 17. n. 313. Reginaldus libr. 25. num. 239. Salas cap. 30. Valentia 2. 2. quæst. 2. punct. 1. ad 5. Aragonius, Azorius, qui hanc materiam subtiliter tractarunt. Sed hoc ipsum quo jure? quâ ratione? Dicastillus illud quæsit, & se non invenisse testatur *lib. 2. tract. 10. disp. 2. num. 340.* hanc esse fortem non existimo, consultum ad consuetudinem recurrere, sed neque hæc constans, nec tam universaliter favens.*

Dubium tertium.

794 **A**N in mutuo fieri possit contractus compromissorius investigas, hoc est, An possit dari mutuû eâ conditione, ut pignus fiat creditoris, si in solvendo morosus sit?

Respondeo aut pignus valere quantum debetur, vel plus, si valeat centum aureis, & pro mutuo ceterum aureorum fuerit traditum potest celebrari contractus, ut illud vendatur & ex pretio satisfiat creditori: & si hoc, cur non posset vendi ipsi creditori, cum dicitur mutuari? Sanè subtilia hæc sunt tamen multo talia non videantur. Me juvant Conclusiones sequentes.

795 **Prima.** Sine Usura labe pactum apponitur, quod si Mutuarius tali tempore non solvat, pignus vendatur justo pretio, & satisfiat Mutuatori & reliquum Mutuatorio reddatur. Ita Molina disp. 538. Salon. Covarrubias, Reginaldus, Rebellus quibus subscribit Dicastillus *lib. 2. tract. 10. disp. 2. num. 406.* & video in omnibus Montibus pietatis practicari.

796 **Secunda.** Si pignus tale sit ut dubitetur, an plus, an verò minus valeat, quam debitum, potest fieri contractus quod si prefixo tempore Mutuarius non solvat, illud vendatur, & totum pretium decur creditori, sive quod idem est, quod illud creditoris fiat. Patet, quia aliàs nulla esset equalitas in illo contractu. exponeret enim se damno Mutuator & non lucro. Si enim vendito illo dubio pignore majori pretio deberet necessario excessû restituere, deberet etiam vendito minori

pretio reliquum necessariò recipere. Sed à quo? unde securitas, maximè cum ipsummet pignus sit fundamentum totius securitatis?

Tertia. si pignus multò nobilius sit debito, qui purè mutuam pecuniam tradit, non potest obligare Mutuarium, ut velit illi totum illud dare, si tempore statuto non solverit, bene tamen quòd debeat vendere justo pretio & satisfacere. Purè mutuâ dico. nempe pecuniam, quam possit in foro externo reperire cum voluerit, in interno cû primum vel Mutuarius non egeat, vel ipse indigeat. nam si Mutuator sibi aliquid gravamè imponat, puta non repetendi licet egeat, poterit exigere cõpensationem. Molina disp. 234. Dicastillus *lib. 2. tract. 10. disp. 2. num. 399.* Lopez 2. p. cas. 68. Rebellus *lib. 16. quæst. unic. de pacto legis commissoria. Salon. tom. 1. de contr. pign. num. 10.* & apud eum Sylvestri, Panormitanus & alij. Item Azorius 3. part. libr. 8. cas. 10. Vasquez de pignorib. & hypothecis. cap. 4. num. 8. Salas de usuris. dub. 32. Rodriguez 2. p. cap. 25. Garzia de contractib. cap. 40. num. 13. Navarrus cap. 17. num. 216. Reginaldus *lib. 25. num. 232. & 597.* & probari solet ex Jure Canonico cap. *significante. & ex Cæsareo l. 1. & ult. C. de pactis pignorum.*

Quarta. Si multò nobilius sit pignus debito, & tamen creditor accepit onus non repetendi pecuniam mutuam etsi indigeat, poterit ponere Mutuatorio conditionem onerosam quod solvat tali die sub pœnâ aliquâ, prudenter arbitrariâ. Cur non sub pœnâ perdendi pignoris? Pœnam perdendi pignoris esse licitam docuerunt Vasquez, Lopez, Reginaldus, Navarrus, Salas, Azorius, quos citat & sequitur Dicastillus *ubi supra num. 405.*

Doctrina valde necessaria.

799 **N**on est idololatria colere Theraphim, seu Heroum imagines, sed transgredi Theraphim, eisdem illustriù virorum imaginibus majorem reverentiam, quam creaturæ debeatur, adtribuendo: nec aliter, Non est Usura aliquid præter Mutuum accipere, sed accipere ratione Mutui, accipere sine novo titulo, aut transgredi tituli terminos; quod contingit,

tingit, cum habens rationem accipiendi quatuor, quinque vel plures accipit. Usura contagiosa est, & lubrica, idè que maluerunt laborare inconsequentia Authores illustrissimi, quam permittere, quod alij Usurâ laborarent. saepe enim ipsamet veritas nociva est, cum talis ut possit falsitatem protegere. Attendite. Inquiri, An numerata pecunia sit pretiosior pecuniâ numerandâ?

Respondent assertivè Navarrus (satis scrupulosus est, cui paucissimas opiniones benignas Ecclesia Catholica debet) nempe, cap. 17. num. 231. 331. Emanuel Sa *verb. debitum. num. 20.* Armilla *verb. usura. num. 50.* Caietanus *verb. usura. ad finem. Malderus 2. 2. tract. 5. cap. 2. dub. 5.* Philarchus *de offic. Sacerdot. part. 2. lib. 5. cap. 13.* Faber *de restit. in 4. sent. dist. 15. quæst. 2. disp. 47. cap. 4. nu. 113.* illam publicè docuisse Lovanij Cardinalem Bellarminum notat Lessius *lib. 2. cap. 21. num. 66.* & alij. Quorum sententiam Dicastillus *lib. 2. tract. 10. disp. 2. num. 414.* non esse improbabilem, & postea esse probabilem (oppositam enim longè probabiliorem esse dicit) existimat. Diana *part. 1. tract. 8. resolut. 49.* probabilem putat, item Azorius *part. 3. libr. 8. cap. 10. quæst. 5.* Post factum non condemnadam sentit Ledesma *summa tom. 2. cap. 33. tract. 8. fol. 475. colum. 2.* infert citatus Diana, ergo nec ante factum.

800 Ex hac sententiâ citati Authores probabiliter inferunt posse chirographicas obligationes & debita tamen securissima, si solvenda post aliquod determinatum tempus, emi minoris, si paratâ pecuniâ: item posse debitorem minori pretio, dato tamen ante tempus, extinguere debitum majus. Et postulo, An Deum communem habeamus, an privatum? Si igitur Deus noster æquè Mutuatarij ac Mutuatoris iudex est, utrûq; eadem staterâ pond erabit. Ergo si centû aurei solvendi post annum possunt hodie extingui nonaginta paratis: si Mutuâs nõ aginta dederit hodie sub onere quod centum post annum restituantur nihil adquisivit præter fortem, vel æquitas inæqualis est. Tu hanc doctrinam perpende & examina; puto

enim iudicio cõmuni decidendam, & non scio me audivisse ab aliquo se non facere majoris pecuniam præsentem quam futuram.

Sed ais, Hæc doctrinâ omnes Usuras tolli. At isti Authores possent negare consequentiam; quia Usurarius est, quicumque accipit ultra fortem: unde si nonaginta aurei parati centum dandis post annum æquivalent, qui nonaginta hodie mutuât & post annum centum recipit, Usurarius non est, quia nihil supra fortem accepit; esse tamen, si sub finem anni plures quam centenos acciperet.

De Quinque pro centum.

802 **Q**uotidie datur pecunia sub reditu annuo quinquorū vel senorū pro centenis. & quia nemo scrupulis angitur, non vis inquirere, An possit licitè sub reditu concedi; sed vis discere rationem, quæ hunc contractum ab Usurâ iniquitate excuset.

Si mercatori dederis pecuniam tali admisso gravamine, ut eam repetere non possis etsi graviter indigeas, jam habes rationem ob quam illa quinque supra fortem capere possis. non enim hunc recipis excessum ratione Mutui, sed ratione gravaminis, illa enim non petendi, etiam si indigeas, obligatio videretur tanto pretio faciendâ. Consultò etsi indigeas, addo, quia non petere pecuniam, quâ non eges, nullum gravamen est, tamen ipsum non posse petere pecuniam quâ non egeas, non videatur omninò carere gravamine.

803 Si sit vera sententia quâ dicitur parata pecunia flos esse, & majoris faciendâ quam pecunia solvenda, etiam erit verum dicere illum excessum posse æstimari ut credatur centum aurei numerati æquivalere quinque annuatim numerandis & centum numerandis tali tempore. Vel dicito. Habeam ego centum aureos recipiendos post decem annos, & quinos annis intermedijs accipiendos, erunt centum quadraginta quinque: si indigeam paratâ pecuniâ, tu ipse qui hæc leges dasesne mihi, aut scires querere aliquem mortalem qui daret 145. aureos putatos? minimè. Ergo signum est, quòd ista summa minoris valeat, si numeratâ pecunia debeat solvi. sed quanti

quanti esset faciendâ? centum, ut iudico, aureis numeratis, pretia enim rerum ex communi hominum æstimatione pendent; & vix esset, qui majoris hanc numerandam pecuniam faceret.

804 Sed esto duobus paragraphis immediatè antecedentibus nihil verum sit dictum. adhuc ingenuitas reddituum propugnari poterit, si tres contractus celebrari dicantur, in quorum primo ineatur cum mercatore societas cū lucri & damni communi periculo. in secundo ematur capitalis securitas; & in tertio lucrum incertum vendatur pro certo: quos omnes esse licitos docuerunt Bonacina *de contractibus. disp. 3. quæst. 3. punct. 11. num. 2.* qui citat etiam alios. Molina *disp. 417. Reginaldus libr. 25. num. 397. Dicastrillus libr. 2. tract. 10. disp. 2. num. 438. Lessius libr. 2. cap. 20. dub. 12. num. 110. & cap. 25. dub. 3. Fumus. vers. Societas. n. 6. Toletus libr. 5. cap. 41. num. 3. Valentia tom. 3. disp. 5. quæst. 24. punct. 2. & qu. 25. punct. 2. Sylvester verb. societas. 1. q. 2. Navarrus cap. 17. num. 255. & 256. & in comm. de iuris num. 32. & seqq. Covarrubias 3. var. cap. 2. num. 4. concl. 1. & 3. Salon tom. 2. art. 3. de societate. num. 11. Mantica de tacitis & ambiguis conjecturis tom. 1. lib. 6. tit. 6. ubi citat Soncinatem & alios. subscripsit huic sententiæ Diana *part. 1. resolut. 30. & citavit Gratianum in discept. tom. 2. cap. 360. num. 10. & 11. Sarmientum select. libr. 7. cap. 1. num. 7. & seqq. Morlam in emp. jur. part. 1. tit. 8. quæst. 25. num. 30. Nattam part. 2. conf. 403. num. 3. Rubeum in rep. cap. per vestras. notab. 6. §. 11. num. 8. Palacios de contractibus libr. 4. cap. 12. Narbonam in 3. part. Recop. libr. 5. tit. 18. l. 15. gloss. 2. num. 8. Homobonum de exam. Eccles. part. 2. tract. 9. qu. 44. Malderum in 2. 2. tract. 5. cap. 2. dub. 9. Megalam 2. 2. libr. 2. caput 17. quæst. 2. num. 25. & alios penes ipsos, contra Azorium, Sotum, Filiucium, & Parladorium.**

DISPUT. XV.

*De Ludo licito, illicito,
& invalido.*

LVDS est amica de pretio contentio; & dividitur in industrium, fatalem, & mixtum. Primus non dependet à casu, sed à ludentiū ingenio, industriâ, agilitate; secundus à solâ dependet fortunâ: tertius industriam cum arte conjungit. Si leges extrinsecas consideremus, in licitum, illicitum, & invalidum dividi potest. Licitus, honestus est, nullâ lege interdictus, quo qui vincit verum rei dominium acquirit, si acquirendi sit capax, & ludat cum personâ, quæ perdere validè possit. Ludus illicitus validus tamen, ille est, quo validè dominium transfertur, peccant tamen lutores. Invalidus, quo dominium transferri non potest, & hic concomitanter est illicitus; quia tamen leges invalidare actus possent, & conscientias liberarè relinquere, frequentius ita illos invalidant, ut conscientias in foro interiori ligent, & pœnas in exteriori imponant.

Sanè ludo honesto illi ludere de pretio possunt, qui & illud qualitercumque impendere; nimirum, veri & directi domini, aut de eorumdem licentiâ. cùm luditur dominium transfertur ex vi conditionatæ donationis, quæ subintelligitur; hæc enim verborum formula, *Decerto tecum pro centum aureis, æquivaleret huic, Donabo tibi centum aureos, si vincas; modò & totidem recipiam, si vincaris.*

Ludo prohibito non transferri dominium existimo, nimirum, si non solùm ille 806 illicitus sed invalidus sit. distinguitur ab illicito invalidus; quia ille est purè prohibitus; at verò iste ita est prohibitus, ut detur actio perditum repetendi; nemo enim tenetur in conscientiam solvere id quod perdidit ludo invalido; ita Malderus 2. 2. tract. 1. cap. 12. dub. 3. Lessius libr. 2. cap. 26. dub. 4. Aragonius 2. 2. quæst. 21. art. 7. & quæst. 62. art. 1. Ledesma in summ. tom. 2. tract. 31. cap. 2. conclus. 11. Molina tomo. 2. tractat. 2. disp. 515.

disp. 515. concl. 4. Philarchus de officio Sacer. tom. 2. part. 2. lib. 5. cap. 2. num. 11. Toletus libr. 5. cap. 27. Medina in Summ. lib. 1. c. 14. §. 29. Covarrubias reg. Peccatum. part. 2. §. 4. num. 8. & Diana 2. part. tract. 17. resol. 8. Si petas; Quinam sint ludi invalidi? ad mores patrios remittèris; ludi enim qui in una provincia proscribuntur, admittuntur in alia; qui inter milites sunt communes, sunt sæpè apud Clericos scandalosi.

807 Posse cedere jure suo ludentes ludo invalido & tunc teneri in conscientia solvere quod perdidit, putant Sotus, Azorius, Diana: Sed ego libentiùs acquiescam Rebello *lib. 12. quæst. 2. nu. 8. & Covarrubiæ jam citato asserentibus hanc legem non respicere commoditatè perdentis, sed Reipublicæ. Si enim esset favor concessus perdenti, necessariò sequeretur nefarios & scelestos homines esse melioris conditionis, quàm ingenuos; hi enim ludunt permissis ludis & tenentur solvere; illis autem, quia non obediunt Reipublicæ nec ejus decreta morantur, cõcederetur favor & privilegium non solvendi.*

808 Ludi etiam liciti, invalidi redduntur per accidens ratione personarum & instrumentorum. puta, si illæ non habeant quid possint ludere, & aliena perdant, & si illa sint adulterina.

Quoad personas attinet, puto Religiosos, sicut nec dare, sic nec posse ludo exponere pecunias; credo tamen posse omnia illa ludo exponere, quæ possunt liberaliter dare. In quæ Religiosus habeat proprietatis dominium, & in quæ non, exposui in mei Commentarij in Regulam Benedictinam *disp. 59.*

809 Asserui enim *num. 831.* in manuscripta sua habere verum dominium Religiosum. *num. 839.* magisteriale in discipulos Religioso Professore concessi. *num. 852. & 853.* Religiosi dominio actiones purè internas & externas subjeci. *num. 869.* & res unico actu consumptibiles. *num. 871.* dixi posse (nisi Antistes inhibuerit) industriâ suâ horis vacantibus servire amicis, puta pingendo, transcribendo, cælando. Ergò conse-

quentiâ doctrinæ tenebor dicere posse quemcumque Religiosum in ludo honesto concertare cum quocumque seculari, hoc pacto, quod ille pecunias aut alia quæ sua sunt exponat, talia tamen quæ possint Religioso aut Monasterio adquiri, ipse verò Religiosus exponat aliquid manu suâ scriptum, cælatum, pictum, vel aliud quaecumque in quod habeat dominium, vel possit liberaliter dare. Ludere pro orationibus frequenter videmus & laudamus; ratio enim videtur postulare, ut cùm in militante Ecclesiâ aliquam honestam recreationem capimus, aliquam etiam purganti indulgeamus. indulgemus, cùm de orationibus pro ipsarum requie decertamus legendis. Sæpè Sacerdotes pro missis legendis aut concertant aut ludunt, quod tamen incriminantur aliqui, prudentiores approbant & commendant. Matthias & Iosephus cognomento Iustus fortiti sunt Apostolatam: cur non possent fortiri uter quatuor missas vel plures esset lecturus pro animabus purgantibus? Sed major esset difficultas, si inquireret, An qui ludo lucratus est lectionem aliquot missarum, possit pro illis accipere stipendium? an ille, qui perdidit? Respondeo standum esse contractui. Cùm de orationibus aut missis pro animabus purgatorij legendis decertatur, videtur iniri concordia, quæ postulet eum, qui in certamine aut ludo victus, debere omnium ludentiū nomine illa sacrificia aut orationes Deo pro animarum purgatorij refrigerio offerre. unde liquet victorem pro talibus missis elemosynam accipere non posse. Cæterum si decertent duo, quod victus legat tot missas ad vincens intentionem, poterit victor de illis, ut de proprijs dispendere. & hoc vidi apud viros pientissimos sine contradictione practicari. Vbi certum est non dari objectionem, quæ ex paupertatis rigore nascatur: & si quis scrupulus suboritur, respicit indecentiam, sed & hanc non reperiri, si ludus sit honestus & prudens, censemus.

Placuit mihi *num. 965.* Facundes & 810 Lamas sententia asserens posse Religiosum dare quæcumque alteri filio ejusdem Monaste-

Monaſterij; quin peccet contra paupertatem; nam in hujusmodi donatione non mutatur dominium. Infero non eſſe contra paupertatem duorum confratrum concertationem, ſi de rebus ad uſum conceſſis; nam alteruter vicerit, dominium immutatum remanet penes Communitatem.

811 Cùm ludus indecens eſt [tali notâ inuro interdictum; imò & permiſſum, ſi quotidianus ſit; nemini enim non ſolum Religioſo aut Clerico, ſed nequidem honeſto & gravi ſæculari, ludere per modum officij, profeſſionis, & conſuetudinis permittitur] inter Eccleſiaſticos videtur invalidus, ſi bona Eccleſiaſtica etiam cum licentiâ Superiorum (puta Abbatis, Prioris, Epifcopi) exponantur. Et ratio videtur manifeſta. Quia bona Eccleſiaſtica ex liberali ſæcularium devotione ad Eccleſias tranſlata. nam cum Eccleſia inceperit, pauper erat; & ditari inceperit cælo & terra, quia cum primò quæreret regnum Dei, cætera ei divinitus adijciebantur. Ergò Eccleſiaſtici habemus bona, quæ à ſæcularibus accepimus; accepimus autem, non quidem expendenda pro libitu, ſed in illos determinatos uſus, ad quos conceſſa. Atqui nunquam voluerunt ſæculares ſudore vultus ſui nobis adquirere divitias, quas indecenter & perditè conſumeremus. igitur ſiquis ex nobis Eccleſiæ ſuæ divitias in profanas & indecentes uſus expendit, fur eſt; utitur enim bonis alienis invito domino. Nec juvat ad Abbatis aut Epifcopi licentiam recurrere, eſſet enim indignus miniſterio qui hanc daret; imò ſi daret, non prodeſſet. non enim illa bona conceſſa, ut in bonos uſus deſtinentur, ſi placuerit Antifiti; ſed abſolute in bonos uſus deſtinata, etiam ſi diſpliceat Antifiti.

812 Hæc dicta ſunt de bonorum Eccleſiaſticorum indecenti expenſione; ſed quia Clerici ſæculares etiam patrimonialia bona habent, de his videtur minus ſerè eſſe philoſophandum, dicendumque mutari talium bonorum dominium in ludo, etiam ſi quotidianus ſit, & conſuetudinem indecentem invexerit. Sed hanc ipſam conſuetudinem malam eſſe; ludumque hujusmodi, tametſi validum,

illicitum eſſe, aut fateris, aut cæcus es. Sed, an hæc malitia, quæ in tam indecenti ludendi conſuetudine reperitur, mortaliter peccaminosa ſit, inquiris. Aſſertivè reſpondeo: Subſcribo Rebello *part. 2. lib. 12. quæſt. 1. num. 10.* Villalobos *in ſumm. tom. 2. tract. 28. diff. 1. num. 8.* Sanchez *in opuſc. tom. 1. lib. 1. cap. 8. dub. 28. num.* Diana *part. 4. tract. 4. Micell. reſol. 183.* & alij quos citat & ſequitur Salas *tract. de lud. dub. 24. n. 2.* qui tametſi Clericum ſemel aut iterum ludis inhibitis ludentem, ſi ſcandalum ſecluſum ſit, de mortali non arguant, ſæpè ludentem ſeveriſſimè accuſant. Citatus Diana docet hanc eſſe communem Doctorum ſententiam. In ſacris Canonibus ſub graviſſimis pœnis inhiberi Clericis omnem ludendi conſuetudinem, quotidie proprijs oculis legimus; nec juvat illos de ludis inhoneſtis & ludentibus propter lucri cupiditatem exponere; Clericis enim nulli ludi, ſi frequentes & quotidiani, honeſti; & Canones non tam lucrandi aviditatem, quæ animi interna paſſio eſt, quàm externum ſcandalum & indecentiam reſpiciunt, quæ etiam reperiretur, ſi luderent recreationis cauſâ, ut optimè obſervabit Salas.

DISPUT. XVI.

De Venditione & Emptione.

VENDITIO, ut optimè tradit Valentia 2. 2. diſp. 5. quæſt. 20. 813 punct. 1. eſt contractus, quo quis obligatur ad tradendum rem alteri pro tanto pretio; & emptio eſt contractus, quo quis obligatur ad tradendum tantum pretiū alteri pro re. Multæ aliæ ſolent definitiones circumferri ex diverſis legum articulis deſumptæ, quæ quia obſcuriores, intermittendæ ſunt, ne Grammaticos agere videamur; ipſæ enim, ut eſſe bonæ demonſtrentur, debent ita exponi, ut poſitis æquivalere dignoſcantur. Nomine pretij pecuniam intelligimus, ante cujus inventionem erat rerum permutatio difficilis, & vix ad regulas æquitatis reducenda.

cenda. Non ſolum pretium, ſed & tantum diximus (& in hoc à Valentia differimus) non enim venditionem judico contractū, in quo pretium non determinatur; aliud enim eſt ſe obligare ad vendendum, aliud de facto vendere. & ante pretij determinationem non eſt dominiorum tranſmutatio, quia res indeterminatæ nullius dominio ſubſunt; nec ſubſeſſe poſſent, ſi nec determinari. Si Reſpublica rerum pretia determinaverit, non requiritur quod hæc determinatio in contractu exprimat, neceſſariò enim ſubintelligitur. at verò à contrahentibus determinanda venit, cùm aliundè non eſt determinata. Sed & contrahentes poſſunt in arbitrium conſentire, penes quem ſit determinandi pretij authoritas definitiva. *leg. 12. tit. 13. partit. 5.* Conſultò in definitionibus poſui illud alteri, ut illi dubio reſponderem, quod inquiri, An quis poſſit res proprias emere? eſt enim contra emptionis naturam quod aliquis rem emat à ſe ipſo. Ita habetur *l. in emptione. ff. de contrahentibus. empr.* Ita habent Dicatillus *lib. 2. tr. 9. diſp. 1. num. 51.* & apud eum Sylveſter, Vaſquez, Reginaldus, & apud ipſos alij. Ut igitur meliùs Venditionis & Emptionis ingenium cognoſcatur, aliquas dubitationes ſubiiciam & reſolvam.

814 *Dubitatio I.* An ad venditionis rationem ſufficiat dari aurum vel argentum pro re, an verò debeat dari metallum ſigillatum? & ſi ſigillatū, cujus caractere? emptorisne, an ſupremi Principis?

Reſpondeo in Portubello (Inſula eſt maris Oceani, ad quam ſtatutâ die omnium Indiarum mercatores appellunt) vix monetam cuſam cognoſci. Mercium traduntur farcinæ, & maſſæ aureæ & argenteæ (barræ eas nominant) recipiuntur; non enim tempus ſufficeret tantæ argenti vi numerandæ, ſi minutæ partes traderentur. barræ illæ tribus aureis millibus nonnumquam æquivalent, & facili negotio hujusmodi calculis vel maximum numerum æquabis. Antverpiæ, Amſterdam, loco pecuniæ etiam barræ tradi & recipi vidi. Sed & barræ ſigillatæ ſunt, & videntur ab alijs monetis ſolâ differre magnitudine. Reſolveo igitur, ad venditionis & emptionis rationem requiri metallum ſigillatum.

815 *Dubitatio II.* An emptionis & venditionis contractus poſſit fieri inter abſentes, per literas, aut procuratores? Videretur quod non; quia in venditione imbitur rei traditio, ergò debent eſſe præſentes dominus, qui eam tradit; res ipſa, quæ traditur; & perſona, cui traditur.

Reſpondeo dari duas præſentias, phyſicam & moralem. Phyſica eſt, quæ à nulla hominum ſuppoſitione pendet; moralis eadem quæ virtualis. quæ phyſica non eſt, ita tamen ſe habet ac ſi phyſica eſſet. Hinc ad dubitationem reſpondeo in omni emptionis & venditionis contractu præſentiam requiri; nimirum, phyſicam ſeu virtualem; illi qui per procuratores contrahunt, moraliter præſentes ſunt, ideoque contractus ſit validus. Hæc præſentiæ moralis & phyſicæ diſtinctio firmat doctrinam legis *i. §. fin.* ſubſcribunt huic ſententiæ tametſi ex alijs fundamentis Reginaldus *lib. 25. num. 248.* Dicatillus *lib. 2. tract. 9. diſp. 1. num. 10.* & apud eum Sanchez, Molina, & alij.

816 *Dubitatio III.* Petrus tradidit Antonio bovem dicens. Tibi hunc bovem trado recepturus poſt octo dies juſtum pretium. & inquiris, An contractus ſit validus? & quid juſti pretij nomine intelligendum ſit?

Reſpondeo hoc contractu vel imbiti pretium determinatum, vel illum invalidum eſſe. Primò poſſet illud eſſe expreſſum lege publicâ valorem boum determinante. Secundò conſuetudine, ſi conſtet certò quo ſoleant pretio boves vendi. Sed quia rerum pretium eſt triplex, ſummum, medium, infimum. ex vi hujus contractus ſatisfaciet emptor, ſi ſtatuto tempore infimum ſolverit, qui enim infimo, rem emit juſto pretio.

817 *Dubitatio IV.* An ſit de venditionis conceptu traditio?

Negant, aſſerunt, ſed perperam; quia quotieſcumque traditionem phyſicâ cum morali confundunt, non poſſunt quæſtionem decidere, aſſerendo aut negando. Reſpondeo igitur, traditionem omninò requiri, non tamen phyſicam, ſed alterutram, phyſicam vel moralem. Quam ob rem ſtatim poſt contractum ante phyſicam rei traditionem mutare dominium,

& gabella debetur. Ita Molina *disp.* 337. *num.* 10. & *apud eum* Bartolus & Baldus. Dicastillus *lib.* 2. *tract.* 9. *disp.* 1. *nu.* 25. & *apud eum* Lessius, Lassarte, & alij: Antonius Gomez 2. *var. cap.* 11. *num.* 30. Rebellus 3. *part. lib.* 8. *cap.* 26. & Vasquez *de restit.* §. 2. *dub.* 4. *num.* 23. unde constat gabellam ei solvendam, qui habebat officium gabellarij tempore traditionis moralis, non verò illi qui tempore traditionis physicae. Ita Authores citati.

Hinc constat rei emptæ & moraliter traditæ periculum pertinere ad emptorem, hoc est, ad dominum. Consentit Sylvester *verb. Emptio. num.* 3. Sa *verb. vend. num.* 26. Armilla *verb. Emptio. n.* 1. Covarrubias *in practic. qq. cap.* 3. *num.* 45. Lassarte *cap.* 5. Antonius Gomez 2. *var. cap.* 2. Dicastillus *lib.* 2. *tract.* 9. *disp.* 1. *num.* 89. Molina *disp.* 366. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dubit.* 12. Rebellus *libr.* 9. *quæst.* 15. Salas *de vendit. dubit.* 50. & alij multi. Cumque certum sit eum debere sentire utilitatem, qui & damnum tolerat, fructus dicti temporis adscribi emptori, hoc est, domino necessarium est. Ita Covarrubias 1. *var. cap.* 15. Dicastillus *ubi supra. num.* 115. Molina *disp.* 368. Lessius *ubi supra. dubit.* 13. Petrus Navarrus *cap.* 3. *à num.* 152. Rebellus *libr.* 9. *quæst.* 17. Reginaldus *libr.* 25. *num.* 291. & 355. & multi alij qui præter rationem hanc fortissimam quam proposui, etiam adlegant legem, qui *fundum. §. qui agrum. ff. de contrahend. empr.* & legem *Iulianus §. si fructib. ff. de actionibus empti.*

818 *Dubitatio V.* An ad venditionem requiratur scriptura?

Stando juri naturæ non requiritur; sed civiliter statutum est, aliquas res majores & præciosiores non posse nisi in scriptis commutari. quo posito dico, tales leges posse esse vel prohibentes tantum, vel dirimentes tantum, vel prohibentes & dirimentes simul. Si solum prohibeant, contractus erit validus, at contrahentes rei: si solum dirimant, erit invalidus contractus, sed contrahentes non judicabuntur deliquisse: at verò, si sint prohibentes & dirimentes simul, & illi erunt rei & ille invalidus.

819 Ex hac doctrinâ facili satisfacies casui

difficili, cujus intelligentia torfit aliquorum ingenia [Albertus Et Isabella Belgij Principes statuerunt ne daretur ultra triennium actio contra illos qui minutim apud mercatores res usui necessarias emerant, ni exhiberetur cōtractus in scriptis.] Lex erat justa & utilis. Pharmacopæi, qui alicui Principi vel Communitati serviebant, consultò permittebant octo aut plures annos elabi, & tandem exhibebant inveteratum computum, qui & examinari non posset, & ad summam notabilem adscenderet. Quis enim post octo aut plures annos sciret, an minutissimus computus fidelis & verax? quis, An omnia data & expensa? Eadem inconvenientia experiebatur Respublica in alijs quàm plurimis rebus. Prudenter igitur Archiduces jusserunt, quòd ante triennij finem omnes mercatores computum exhiberent & pecunias exigent, ut his receptis aut saltem solvendarum scriptâ obligatione quæstiones intricatæ cessarent. Stante hac sanctissimâ lege Petrus ex merâ ignaviâ aut negligentiâ permisit plures annos præterlabi, & tandem Monasterij Ciliensis Abbati exhibet novem annorum computum, & sibi satisfieri trium millium aureorum solutione desiderat. Quæritur primò, An in foro exteriori possit ille Abbas ad eorundem solutionem cogi? & si non possit, An solvere teneatur in conscientia?

Respondeo ad primū; in foro exteriori non esse de tali agendum debito; via enim omnis talibus actionibus Archiducū auctoritate præcluditur.

820 Respondeo ad secundum; in debitis duas obligationes reperiri; interiorem videlicet & exteriorem. Possent Archiduces illam exteriorem tollere interiori relicta: possent utramque. Possent enim hujusmodi mercatorū negligentiam, aut malitiam præsumptam punire, eos debitorum conscientia committendo, & omne juris subsidium negando: possent etiam eos omni jure privando, illudque ad debitores transferendo. Mentem ipsorum debemus ex verbis rimari; & quia hæc ambigua, malunt Authores primam quàm secundam opinioni adherere. Cæterum in utraque lege magna reperio inconveni-

entia

entia omninò præcludenda & vitanda. Primò enim, si obligatio fori interioris remanere dicatur, non itur obviam inconvenientibus quæ perferit Respublica, & aperitur via novis, quæ non dabantur. Hi tergiversati computus plerumque in monasterijs & Principum palatijs reperti tali legi non subsunt; cum quia rarò aut numquam ad tribunalia transferuntur, tum quia non punitur creditoris negligentia aut malitia cum solutio religiosorum timorata conscientia, & Principum conservandæ auctoritatis studio relinquuntur. certum est enim illos propter Deum & mundum, hos propter mundum & Deum debita soluturos esse; non enim coactivâ juris vi solent cogi, sed virtutis & auctoritatis ambitione cōduci. Si respicias creditores Principes & Religiosos, inutilem legem esse vides; si gregarios homines, nocivam. Respublicæ enim perniciosi bonorum alienorum retētores, nec justa lex, quæ talium hominum favet iniquitati. Nec juvat Rempublicam directè mercatorum punitionem respicere, ut hujusmodi furta indirectè tolerare dicatur. tolerat enim ea directè: ratio est; quia illa indirectè tolerari dicuntur, sine quibus esse non potest bonum, quod directè intenditur; atqui illa mercatorum punitio, quæ intenditur, stare potest sine iniquitatis tolerantia: male igitur bonorum alienorum retentio lege permittitur. Minorem probo. posset mutari bonorum dominium juxta secundam sententiam, quo mutato lex iniquitatem non foveret, nec tolerarentur in Republicâ rei alienæ fures & retentores. Secundo, si dicatur tolli fori interioris obligatio, cessant inconvenientia, quæ urgebantur hujusque, non tamen relucet legis æquitas. non enim æquum est, vel negligentia alienâ vel malitia propria aliquem ab onere solvendi debita legitime contracta liberari. Debebat mercatori Princeps mille aureos, & sine meritis proprijs aut fortè malitiâ differt solutionem & abolitionem nanciscitur? sanè ignavia aut præsumpta malitia, si Respublica bene gubernata est, non est titulus acquirendi jura & dominia.

Si me Legislator consuleres utram legem ex istis approbarem, utramque co-

narer expinguere; & si prævalere non possem, saltem primam secundâ retentâ prosciberem. Puniatur negligentia & malitia, ita tamen ut non foveatur alia malitia perniciosior. esse utilior lex; *Mercator, qui ultra tres annos computum implicaverit, partem debiti perdit; hæc ne creditori cedito, sed fisco.*

At dices nondum esse difficultatem resolutam, nec decisum quæ debeat Archiducum decretum intelligi? & respondeo leges exponi populorum praxi & cōsensu; adde me vidisse in gymnasijs defendi debita taliter contracta non posse in foro externo peti, debere tamen solvi in interiori; oppositum nunquam audivisse; unde existimo hanc fuisse Legislatorum mentem.

Dubitatio VI. An requiratur arrha? & si detur, An venditionis & emptionis contractum debilitet, an firmet?

Respondeo Castellanam legem 7. *titul. 5. partit. 5.* disponere posse contrahentium alterutrum rescindere contractum arrhâ concessâ, ita tamen ut emptor arrhâ amittat si rescindat, venditor si ipse contractum rescindat duplum solvat, hoc est, arrham & tantundem, ut summa æqualitas in contractu servetur. Hinc patet arrhâ contractus omninò debiliores reddi.

Dubitatio VII. An illa quæ emuntur alienis pecunijs fiant Emptoris, an domini datæ pecuniæ?

Respondeo neminè acquirere aut perdere dominium invitum, ac propterea res pecuniâ alienâ emptas ad Emptorem, non verò ad dominum illius pecuniæ pertinere. Dicastillus *libr.* 2. *tract.* 9. *disp.* 1. *num.* 52. hanc doctrinam plerumque veram adserit, sed existimo universaliter veram. & probo ex leg. *Si ex eâ. C. de rei vindicatione.* ita Rebellus *libr.* 12. *qu. 4. num.* 12. Sylvester *verb. Emptio. num.* 22. ita etiam Azorius, ita & alij relati à Reginaldo *libr.* 25. *num.* 342.

823 Sed Dicastillus objicit. Empta pecunijs Ecclesiæ, pupilli, minoris, aut etiam militis, non fiunt emptoris, ad dominorum pecuniæ: ergò aliquando contingit, quòd empta alienâ pecuniâ, emptoris non fiant Antecedens probat auctoritate Azorij 3.

part. libr. 5. cap. 12. & libr. 8. cap. 27. Emanuelis Sa verb. emptio. num. 15. & aliorum. Respondeo illa fieri emptoris, nam nomine domini pecuniæ emuntur, quæstionemque esse omnino diversam, nimirum, An pertineat ad Petrum an ad Ioannem domus, quam Petrus nomine suo pecunijs tamen Ioannis emit; dico enim domum ad Petrum pertinere, cumque Ioanni debere, non domum, sed pecunijs. Cum tutor minoris pecunijs emit aliquid, emit ipse ut quo, non ut quod, nam qui emit est minor, & emptio minister est tutor: ergo si illa bona fiant minoris, etiam emptoris fiunt; minor enim est emptor: & similiter in reliquis philosophare.

824 *Dubitatio VIII.* An aliquis ad vendenda sua bona cogi possit? Respondent assertivè aliqui respicientes summam auctoritatem Reipublicæ: alij negativè, respiciendo dominium proprietatis.

Ego tamen multa valde subtilia in hac quæstione invenio, quæ sublimioris metaphysicæ cognitionem expostulant; quomodo enim resolvi potest, An quis cogi legitime possit, quin sciat, quid sit hominè esse liberum, spontaneum, coactum? Sed quia hæc subtilius in Thesibus sermonem LXXXI. Melliflui Doctoris commentantibus ann. 1642. exposui, nunc illa breviter resumam.

825 Dico primò, Rempublicam posse uti cujuscumque particularis bonis, non solum emendo, sed etiam capiendo sine pretio, quotiescumque sint necessaria ad sui conservationem. unde si in fundo tuo erigenda sit aliqua munitio, nullus disputationi locus. cedendus fundus & præmium expectandù juxta mores & leges. Si enim moris sit fundum æstimare & pretium solvere, hoc ipsum prudenter expectabitur, imò & petetur; at verò, si moris sit quod fundi dominus habeat patientiam, non licet contra stimulum recalcitrare. Cum statur concordia, nemini fit injuria. concordia autem servatà omni æquitate & æqualitate bifarian fieri posset. primò, si cives convenirent omnia damna jure belli illata æstimanda esse; & ne unus aut alter obruatur, ab omnibus toleranda & sustinenda; secundò, si consideratà dam-

ni contingentia & periculo statueret Reipublicæ defensionem communem procurandam, & non esse damna particularium respicienda; Si enim hodie solus Petrus gravatur, cras gravabitur solus Antonius, perindè Ferdinandus; & ubi omnes sunt eisdem periculis expositi summa æqualitas in hujuscemodi cōtractu servatur. Existimo enim utramque concordiam esse justam; tametsi illa prior videatur benignior & suavior; nam jactura, quæ privatum destrueret, si ab omnibus sentiatur, à nemine videtur sentiri, Fundo enim perditio miser esset; quem si æstimaret & solveret communitas, singuli aliquid contribuerent, & nemo gravaretur.

Dico secundò. Si bona tua non ad necessitatem, sed ad Civitatis splendorem 826 requiruntur; ementur à Republica etiam à te contradicente. Ementur dixi, nullibi enim vidi splendorem publicum intendi cum jacturà alicujus particularis. Differt à necessitate commoditas, differt splendor. multa conceduntur differendæ Reipublicæ, quæ non concederentur illustrandæ. Ad Civitatis splendorem conducunt Ecclesia, Monasterium, Hospitale, Academia, Palatium, Domus civica. quæ quia æquè bene in uno loco quam in alio ædificari possunt, neminem necessario gravant. Non sic bellicæ munitiones; militaris enim doctrinæ leges decernunt loca fortiora, & illa haberi debent, vel civitas erit debilior. Cogi igitur potest quisque particularis ad venditionem propriae domus quotiescumque expedire credatur ad civitatis splendorem. Ita Azor. 3. part. lib. 8. cap. 27. q. 2. Molina disp. 341. Covarrubias 3. var. cap. 14. Sa verb. venditio. num. 25. Reginaldus Dicastillus & alij.

Dico tertio, in similibus casibus neminem totaliter invitum esse. Inter volentem & nolentem dari medium suadet, quia multa ipsemet facis nolens volens. Cum navis acta procellosi pelagi fluctibus periclitatur, & vis conservare vitam & divitias; prima voluntas, has in oceanum præcipitatur à secundâ retrahitur; & tandè majoris vitam quam fortunas æstimans, istas profundit volens nolens. Petrus amabat

amabat Christum & se; Christi amor confessionem inferret, ni amor pro prius obstaret; & quia in pratorio majoris se faciebat quam Christum, huic tametsi dilecto defuit, ne sibi magis dilecto deficeret. at Romæ, sibi defuit, ne defensionem faceret à Christo, quem majoris faciebat, quam se ipsum. Non aliter. Quicumque vitam communem in tali civitate agit, vult secundum leges ejusdem loci vivere, aliàs nullatenus admitteretur. Ergo est præditus voluntate obediendi Republicæ moraliter irrevocabili. Ergo si contradicit superioris imperio, illegitimè involuntarius est; illa enim virtualiter perseverat voluntas, quæ valide non potest revocari. Igitur Respublica potest emere ædes domini physicè-inviti, sed ad splendorem aut utilitatem civitatis cōducant. Non potest emere ædes hominis moraliter-involuntarij, non quod Republicæ vires remissa sint, sed quod talis homo dari non possit, ut ostendi.

828 *Dubitatio IX.* Circa personas, quæ possunt emere & vendere inquiritur, Quænam ipsæ? & sub quibus articulis & conditionibus contrahere debeant.

Respondeo debere venditorum esse directum & proprietarium rei dominum, & emptorem esse directum dominum pecuniæ, neutrum lege aliquâ impeditum; & contractum fieri cum omnibus solentibus, quas leges ad ejus valorem requirunt.

829 *Dubitatio X.* Circa materiã, quæ vendi solet, dubitatur an sacra vendi possint.

Respondet in cruce aureã reperiri materiã, artem, & significationem; hæc quæ imago non venditur; venditur tamen quæ affabre elaborata, & constans materiã pretiosã. si materiã & artem vendideris Sy moniacus non es, es tamen cum cruce quæ cruce, quæ benedictã, quæ indulgètijs privilegio cōdecoratã vendes.

De Monopolis.

830 **G**Ræci ἐμπόσιον emptioem appellant, πώσιον venditionem, unde μονόπωσιον emptioem quæ unus omnia emit; μονοπώσιον venditionem, quæ unus vendit omnia. In Rebus publicis qualibuscumque male audiunt mononeses & monopoleses; imò in mul-

tis lege expressã damnantur. An autem semper ipsæ injustæ sint, inquiris, & si non semper, Unde proveniat quod malitiã aliquando inquinantur, & aliquando non? & ego veritatè ad paucas Cōclusiones reducã.

Prima. Non semper dantur tria pretia in rebus venalibus: nimirum, summum, medium, infimum. Et probo. Sæpe contingit res venales pretio determinato vendi: ergo sæpe contingit eas non habere tria pretia. Antecedens ostenditur multarum gētium moribus; & ut alias omittas, observo in fere omnibus Hispaniæ civitatibus carnes omnes bovinas vendi uno & eodem pretio statuto à Republica, uno & eodem vervecinas; uno omnia vina; uno & eodem triticum. igitur ubi imponitur taxa à Republica tria pretia non dantur. Respondent aliqui leges cavere ne exorbitanti pretio res necessariae cōmutentur, adeoque pretia summa determinasse, ultra quæ, quidquid accipiat, restitutioni sit obnoxium. quod clarè conspici volunt in tritico, cujus mensura, [quæ apud nostras *carga* hoc est *onus* dicitur, quod credatur tanta, quæ majorem equus ferre non posset,] septem taxata scutis, duobus vel tribus venditur, si annonæ liberalitas mediocriter faveat; ille enim summi pretij rigor solummodò in penuriã observatur. Hæc tamen responsio insufficientis est, quia non semper sic procedit Respublica. Fateor eam sæpe summum pretium determinare, fateor illam posse determinare infimum, sed & unicum posse præmissã probatione suadet. Vina ordinaria multis locis ejusdem civitatis venduntur, & tamen ubique eodem pretio, nec Anopolæ alicui liberum minoris vendere; si enim aliquis minoris venderet ditaretur cum reliquorum detrimento, nam cum omnes adiret, & minus lucrans à singulis, plus haberet ab omnibus; majorem enim multas unitates numerum, quam pauca binaria constituunt. Sed & in Belgio, nulli cerevisiæ braxatori, aut minori pretio illam vendere, aut plus materiæ imponere permittitur ob eandem causam: igitur sapissimè cōtingit res venales non habere tria pretia.

Secunda. Nemo, etiam volens, potest rem vendere pretio minori minimo; nec emere majori maximo. etiam ubi hoc non cavetur lege publicã.

publica. Consultò illud, *etiam volens*, ad-
jungi, ut omnem fraudem proscriberem;
certum est enim neminem posse decipi &
defraudari; sed quia volenti & permit-
tenti injuria non fit, videretur difficilis
nostra doctrina, ni explicaretur & corro-
boraretur. Ponatur ergo casus, qui totam
questionem dilucidet. Equum, quem cer-
tò scis valere centum aureis aut ultra,
vendis Antonio quinquaginta, & ni lege
hoc caveatur, contractus iste stabit: ergò
potest res vendi pretio minori minimo
cum placuerit proprietario domino. Vt
ego resolvam casum positum admitto cō-
tractum non esse invalidum ex sua na-
tura, adeòque esse validum, ni lege ex-
pressà invalidetur; nego tamen equum
vendi quinquaginta, sed assero centum
eum aureis vendi, teque Antonio centum
aureos daturò quinquaginta donare. unde
ille contractus ex venditione & donatione
mixtus, duplex aut cōpositus est. Ita Diana
5. part. tract. 14. resolut. 39. & apud ip-
sum multi Authores. Eodem modo de em-
ptione philosophor; nam si mihi pro equo
centum scuta postulanti sciens & volens
ducenta offerres, præsumerem te velle
equum justo pretio emere, & reliquum
mihi donare. Vt iste justitiæ contractus
imbibere alium gratuitum (emptio &
venditio ad justitiam, donatio ad gratiam
pertinet) præsumat, præsumi debet esse
voluntarius & liber qui damnum patitur:
sed & ipsius libertas unde præsumeretur?
Lessius & alij quatuor Authores apud ci-
tatum Dianam hanc ipsam libertatem ex
contrahentium consanguinitate aut sal-
tem amicitia præsument: cur non potius
ex obligationibus, puta si ille qui rem aut
minoris vendit aut majoris emit, sit alteri
ob aliqua beneficia devinctus? cur non
clarius, si dicat, se bene scire equum valere
centum aureis, velle tamen aut vèdere tri-
ginta, aut quadringentis emere? sed fortè
notitiam tam clarà non voles vocare præs-
umptione. sed si non est præsuptio, præs-
umptione omni certior & utilior ipsa est.

Casum positum debuisse sic resolvi per-
suadeo. Nam ille contractus legitimus est,
& in conscientia tutus; at si esset vendi-
tio pura, non esset validus nec tutus: ergò
non est pura venditio, sed & aliquid do-

nationis importat. Probatur minor. Quia,
ut æquitas in venditione aut quacumque
commutatione servetur, requiritur quòd
detur æquivalens; atqui quinquaginta au-
rei non æquivalent centum: ergo si esset
pura veditio, non fuisset æqualitas, adeò-
que nec æquitas servata; atqui æquitas
servata fuit, non fuit igitur veditio pura.

Tertia. *Quodcumque ex tribus pretijs est* 833
justum. Ita omnes: & clarè ostenditur; quia
injustum pretium non habet terminum
magnitudinis, fortè nec parvitas; atqui
summum & infimum termini sunt: ergò
non injusti pretij, sed justij. Probatur ma-
jor; quia pretium minus justo semper po-
test esse minus & minus usque ad unita-
tem, quæ fortè sine termino divisibilis est;
& majus justo semper potest esse majus &
majus sine termino.

Quarta. *Pretium justum crescit & dimi-* 834
minuitur. Pretia rerum mutari certum
est; & ita certum, ut in probabilem con-
troversiam reduci non debeat. at dignum
examine, cur, quantum & qualiter ipsa
mutentur?

Causa plurimæ, enumerari solent, sed 835
ego unicam solam cognosco, & dico unã
& solã emptorũ multitudinem augeri pre-
tia, diminui solã raritate. Bonacina *disp.*
3. *quest.* 2. *punct.* 4. *num.* 22. Vasquez
opuscul. de restitut. cap. 5. §. 1. *dub.* 10. *num.*
61. Diana *part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 23. Tur-
rianus *in* 2. 2. *tom.* 2. *disp.* 57. *dub.* 61.
num. 5. Emanuel Sa *verb.* *Emptio. num.* 4.
in fin. & alij hanc mutandi pretij causam
admittunt, non tamen solam esse conce-
dunt; ostendam ego nullam esse adsigna-
bilem, quæ ab emptorum multitudine
præscindi possit.

Primò ob lucrum cessans, ob damnum 836
emergens, propter periculum amittendi
pretium, aut patiendi difficultates & faci-
endi expensas in recuperatione, docent
omnes citati Authores posse rem majori
pretio vendi quàm aliàs venderetur; nam
si equus vendendus erat summo pretio,
hoc est, centum aureis. Ioanni pecuniam
numeranti, posset vendi ducentis Anselmo
fortè soluturo post annum, fortè ante ju-
dicis sententiam non soluturo. Sed aut ego
rem non intelligo, aut Authores citati.
Aliud est, pretium equi crescere, aliud &
omniò

omniò diversum, diminui valorem
pecuniæ. in dato casu equi valorem non
crevisse est clarius luce meridianã, nam
si ducentis ipse aureis valeret, non An-
selmo modò, sed & Ioanni pecunias
numeranti posset ducentis vendi; cum
igitur ducentis numeratis & certis ven-
di non possit, ducentis incertis & post
longum tempus numerandis possit, cer-
tum est ducenta sic incerta non esse ma-
joris valoris, quàm centum certa & nu-
merata. Periculum igitur, damnum
emergens, lucrum cessans & similes con-
siderationes non augent rerum pretia, sed
diminuunt pecuniæ valorem; illa enim
respectu pecuniæ numeratæ determi-
nantur.

837 Secundò aliqui affectum considerant
& docent posse rem pluri vendi propter
affectum, quem quis habet ad illã. Sed nec
hoc admittã, quia vel ille affectus est ven-
ditoris, vel emptoris; neuter mutare pre-
tia potest: ergò. Nam si forum sit plenum
mercibus aequè bonis, quid mea quod
Petrus magis diligat suas? an ideò pre-
tiosiores? & si non pretiosiores, vendi
cariùs non poterunt: ergò affectus ven-
dentis pretia non auget. Sed neque affe-
ctum ementis, quia pretia sunt univer-
salia, & respectu omnium: ergò non est
dicendus equus, qui matutino tempore
valebat centum aureis, valere vespertino
ducentis, quod tibi placuerit; hoc enim
ipsi equo extrinsecum accidentale, &
nullo modo universos concernens. Vel
aliàs candidè Lector, Vsuræ illicitæ non
sunt. Petis centum scuta mutua ab avaro,
& ipso mortuo debes restituere filio
prodigo. igitur, si affectus computandus
est, siquidem majoris avarus parens cen-
tum; quàm prodigus filius mille faciebat,
non jam centum, sed multò plus debe-
res restituere, quod nemo mortalium ex
bonis fundamentis concedet.

Cum affectum non esse rationem augè-
di pretia assero, privatum intelligo, non
communem; scio enim majoris ea facien-
da quæ majori omnes vel saltè plures co-
nati & affectu desiderant, tametsi hic ipse
affectus ex causa privata suboriatur. Sed
& tunc videtur dari nescio quæ civilis
Simoniam, simillima Spirituali & Ecclesia-

stica; tunc enim non tã rei substantia quàm
aliqua civilis circumstantia illi valoris &
pretij augmento correspondet. Vbi enim
videmus Regum aureos annulos, torques,
redimicula exorbitanti pretio vendi, aurũ
communi, at illam concustantiã notabili
vendi pretio dignoscimus; anulum enim
Regis fuisse, suis manibus gestatũ, aliquid
politice divinitatis auro addit, quàm ma-
joris metallo facies, & tamè sine Simonie
politice culpã nõ vedas: ni fortè dicas, po-
litica politice tractãda, adeòq; apud poli-
ticos crimen fore in talis Simonie crimen
non incurrere; videretur enim autoritas
regia cõtemni ni crederetur vel solo cõta-
ctu aut affectu pretia valorẽq; rerũ auge-
re. Sed & per accidens aliquãdo continget
pretia ipsa verè crescere obmerũ Princi-
pis contactum aut affectum; nõ quòd hic
aut ille sit ratio formalis hujuscemodi au-
gmenti, sed quòd occasio sit ex quã resul-
tet rem illam à pluribus desiderari.

Tertiò etiam nonnulli penuriam ipsã 838
pecuniæ causam esse ob quam viliori; ab-
undantiam, ob quam majori pretio res
vendantur, contendunt. Sed nõs hoc
non negamus, & tamen nostram conclu-
sionem tenemus: quia penuria pecuniæ
emptorum numerum diminuit, abun-
dantia auget. unde si idem maneret em-
ptorum numerus; tametsi pecunia esset
rarior, pretia non minuerentur.

Quartò aliqui itidè mercium penuriã 839
& raritatẽ producunt tanquam formalẽ
causã diminuendi & augendi rerũ pretia;
sed & pretia augeri in rerũ raritate sen-
tio, at propter raritatẽ augeri non admit-
to. Cum raræ merces, plures emptores
sunt, & horum numero multiplicato, ad
meam fundamentalẽ Positionem reditur.

Sed objicis. Cum merces rariores tunc 840
etiã pretiosiores sunt, atqui tunc non cre-
scit emptorũ numerus: ergò pretij auctio
& diminutio ab emptorũ numero majori
vel minori non pendet; vel si pendeat, sal-
tem poterit dari emptorũ eodem numero
perseverante. Majorẽ paragrapho ante-
cedenti admisi; minorem probas. quia si
dentur in hoc regno mille lapillorũ em-
ptores; manente eodẽ emptorum numero
sint pauci lapides, quis dubitat? pretiosio-
res erunt: ergò ipsa mercium raritas, non
quidem

quidem concomitanter, sed formaliter adauget pretium.

Respondeo ipsum emptorum numerum non debere considerari personaliter nec arithmetice, sed quantitative & geometricè; & hos terminos explicando ipsam etiam fundamentalem quartam Conclusionem, quam impugnas, expono. Numerantur emptores personaliter, quando personarum numerus ad computum; numerantur quantitative, quando mercium quantitas, quam emere volunt, ad libram & pondus reducitur. Exempli causa. Sinto in foro mille mensuræ triticæ, & sinto quatuor mille emptores, qui desiderent emere quadringentas: dicam esse emptorum raritatem. Sed si centum soli essent, qui vellent emere quater-mille, tunc dicerem magnum numerum emptorum esse. Igitur, cum agitur de emptorum numero, non respicitur personarum ipsarum multitudo, sed mercium, quas emere ipsi volunt, quantitas. Stantibus centum emptoribus qui quater-millibus mensuris indigerent, supervenirent decem mille mensuræ, jam illi, qui respectu quater-millium multi erant, respectu quatuordecim millium essent pauci; quia hæc comparatio debet fieri geometricè; nam tametsi emptorum numerus arithmetice maneat ipsissimus, geometricè alteratur: ille enim, qui respectu mercium erat major, respectu illarum, si augentur, erit minor.

842 Sed istas. Gemma illa in thesauro Regum Hispaniæ celebris, quæ *Solitaria* dicitur, tanti pretij propter raritatem ipsa est, ut soli potuerit Regi vendi: ergo raritas pretium adauget. Respondeo admittens esse raram, parvitamen faciendam, si pauci aut nulli essent emptores; fuerunt multi qui illam habuerunt parvi; tandem incepit cognosci & magni fidei; si vanalis exponeretur, milleni essent qui thesauros effunderent, ut acquirerent, & tanti ipsa faciendæ, quanti ab emptoribus fieret; nam qui dicunt tot ipsam auri millionibus valere quot nullus daret, non jam gemmæ pretium determinant, sed affectum.

Objicies secundò. Valor est aliquid

morale in ipsis mercibus: ergo quando pretia mutantur, aliquid in mercibus mutari debet: erat enim verum, eas raras habere magnum valorem; at eas auctas & frequenter retinere illum primum valorem non est verum. atqui mercium abundantia & penuria est aliquid in ipsis mercibus; emptorum numerus, vel minor, non est in ipsis mercibus: ergo.

Respondeo concedendo antecedens, & primam consequentiam. subsumpti syllogismi majorem distingo; concedo mercium raritatem & abundantiam esse aliquid physicum in mercibus; nego esse aliquid morale. minorem distingo similiter; concedo emptorum numerum majorem vel minorem non esse aliquid physicum in mercibus; nego non esse aliquid morale. emptorum enim multitudo dicit quantitatem, physice-afficientem emptores, & moraliter-afficientem merces. illos intrinsecè-physicè, istas intrinsecè-moraliter. Et ostenditur hoc ultimum; quia de primo dubium esse non potest. Quia non potest dari forma extrinseca alicui subjecto, quæ alteri intrinseca non sit; sic emptorum numerus physice consideratus afficit intrinsecè emptores ipsos, extrinsecè merces; ergo si consideretur moraliter erit moralis quantitas, & debet habere subjectum intrinsecum; non est aliud assignabile præter merces: ergo has afficit intrinsecè-moraliter.

843 *Qualitas* & modus hujusce mutationis triplex proponitur, & quis illorum sit verior inquiritur. *Primo* enim posset dici pretium medium semper immotum remanere. *Secundo* medium etiam mutari, & extrema (summum, infimum) ab illo æquidistare. *Tertio* mutato medio omnia geometricè mutanda. Exemplis doctrinam ipsam illustremus. Stando primo modo, si mensuræ tritici medium pretium sit quatuor florenorum, minimum trium & medij, maximum quatuor & medij. Si summum cresceret, deberet infimum diminui, aut arithmetice, aut geometricè arithmetice quidem si maximum ad quinque florenos ascenderet, minimum ad tres descenderet:

deret: geometricè verò, si tres termini essent 3. 4. 5. $\frac{1}{3}$ transirent in 2. 4. 8. vel 1. 4. 16. Sed iste modus omninò displicet, quia supponit semper minimum pretium minui cum summum crescit, quod absolute est falsum; quia crescente summo & medio & infimum etiam crescant, ut experientia quotidiana persuadet. Stando secundo modo, si termini essent 3. 4. 5. crescerent in 4. 5. 6. vel 5. 6. 7. decreverent ad 2. 3. 4. vel 1. 2. 3. Stando autem tertio non possunt designari termini 3. 4. 5. quia 4. non est medium geometricum & proportionale inter 3. & 5. igitur utendo majoribus numeris, si termini sint, 3000. 4000. 5333. si medium creverit ad duplum, erunt 6000. 8000. 16666. si ad subduplum decreverit, termini erunt 1500. 2000. 2666. & existimo uno aut altero ex istis modis media succrescere & decrescere. Sed utro? videretur mihi quod geometrico.

844 *Quantitatem* augmenti non tam facile designare, quam experiri poteris; in foro enim videtur communi consensu procedere, qui alias nec sibi loquuntur, nec consulunt. Cum aliquis necessitate compellitur, & querit qui suppellestem aliquam emat, vix esse emptores existimandi sunt, alias non quererentur, & idè rem vendendam vilescere. Ita Ioannes Medina *Codice de rev. restitut. quest. 31. numer. 3. §. Deinde demus.* Azorius *parte 3. libr. 8. capite 21. quest. 6.* Bañez *de justit. quest. 77. art. 1. dub. 1. conclus. 1.* Ioannes de la Cruz *in Directorij part. 1. præcept. 7. quest. 3. dub. 1. conclus. 1.* Ledesma *in Summ. part. 2. tract. 8. cap. 32. conclus. 6.* Turrianus *tomo. 2. disput. 57. dubio. 6. num. 5.* Navarrus *libr. 3. cap. 2. dubio. 5. num. 30.* Vasquez *de restitut. capite. 5. §. 1. dub. 10. numer. 61.* Pitigianus *in 4. Sententiarum tom. 2. distinct. 15. quest. 2. artic. 3.* Si quantum ipsamet vilescat, inquiras, rem difficilem postulas. dicoque esse varias Scriptorum sententias; res enim, quæ ultroneæ sunt & vendendæ offeruntur, vilescunt tertiâ parte teste Caietano *in 2. 2. quest. 77. artic. 1. Lef-*

sio lib. 2. cap. 21. dub. 4. num. 33. Ioanne Salas *tract. de empr. & vendit. dub. 25. num. 3.* Bonacinâ *de contractib. disp. 3. quest. 3. punct. 4. num. 21. 23.* Emanuele Sâ *verb. emptio. Fausto in specul. Confess. disputat. 6. quest. 10. numer. 2.* Filiucio *tomo. 2. tractat. 35. capite. 4. numer. 70.* imò & mediâ, teste Palacios *in Summam Caietani verb. Emptio. capite. 2. quem sequitur Bartholomæus à S. Fausto in specul. confess. disput. 6. quest. 10. numer. 9. & de contractib. disp. 6. quest. 10. num. 9.* Rebello *part. 2. lib. 9. quest. 1. num. 36.* Megalâ *in 2. 2. lib. 2. cap. 6. quest. 2. num. 47. & seqq. & num. 138. & fuse consil. 93. n. 3. & alijs.* Vtrumque probabile putat Diana *1. part. tract. 8. resol. 23. 53. & 78.* cui, quousque suppetant rationes clariores, subscribe.

Hinc patet, bona illa quæ, ut loquuntur Hispani, *se compran en lance*, tunc mediâ parte valoris communis emi posse, & tamen emi iusto pretio; quia illa emptorum raritas ex modo vendendi proveniens in causa, ut mediâ aut saltem tertiâ parte minus valeant.

His positis ad monopolium redeundo (omnia enim dicta sunt, ut illud clarius intelligatur) aliquot casus breviter proponam, ex quorum decisione omnes alij, qui accideresolent, dependant.

Primus Casus.

846 **I**N subhastatione publicâ erant aliqua merces quæ arridebant Petro, & ipse rogavit amicos ne quis ultra tantum pretium offerret, ut emptorum penuriâ emeret illas pretio infimo, iusto tamen, & petitur, An peccaverit contra iustitiam? & si peccavit, Cui nam fuerit injurius, amicis, Reipublicæ, an soli venditori?

Contra iustitiam peccasse & ad restitutionem teneri existimat Mengala *in 2. 2. libr. 2. cap. 6. quest. 5. num. 146.* & injuriam putat fieri venditori, quia alij parati erant plus dare, & Petrus impedit ne venditor illud plus consequatur.

Sed hæc ratio non placet; quia illud plus quod volebant dare, non debebant; igitur non facit venditori injuriam impediens ne illud plus, quod erat indebitum recipiat.

847 Sed dices Petrum peccare quidem, non quidem contra justitiam, sed contra charitatem. Et ego te jam Megalæ deferere sententiam, & nihilominus non supponere veram doctrinam. Effet Petrus invidus, si impediret quod venditor lucraretur, si id posset fieri sine positivo aut negativo damno proprio aut suorum, aliàs non; charitas enim incipit à se ipsâ. Igitur cum impedit, ne venditor lucretur indebita, ut ipse & amici sui retineant quod non debet dare, sanctè procedit & bono proprio & proximioris consulit. Imò cæteris paribus, ordo charitatis postulat, ut Petrus primò faveat sibi, secundò amicis, tertio concivibus, ultimò peregrinis; & venditores plerumque peregrini sunt.

Respondeo tamen Petrum nec contra justitiam, nec contra charitatem peccare, & subscribo Dianæ *part. 1. tract. 8. resolut. 76. Reginaldo in Praxi tom. 2. libr. 25. cap. 2. 2. nu. 379. Villalobos in summ. tom. 2. cap. 43. cas. 3. Bonacinae de contract. disp. 3. quæst. 2. punct. 5. num. 10. Rodriguez in summ. tom. 2. cap. 84. num. 1. Aragonio in 2. 2. quæst. 77. art. 4. Petro à Navarra de restit. libr. 3. cap. 2. n. 84. & 85. substruo ratione, quam respondendo Megalæ expendi.*

Hæc doctrina, ut optimè notat citatus Antoninus Diana, est universalissima; & non solum ad merces, sed ad officia, & vectigalia emenda extenditur.

Sed quid, si non solum Petrus defectu emptorum merces pretio infimo emeret, sed adhuc minore? Puta, si in foro hesternum infimum pretium fuerit quatuor aureorum, & ipse emerit tribus. Respondeo rerum pretia mutari, & non esse contra justitiam cooperari, ut rerum pretia remittantur, sed emere eas injusto pretio. Sanè si ille mercator defectu emptorum alijs dabat aut daret merces tribus aureis, dicendum esset eas hoc foro non valere plus, posseque à Petro eodem pretio emi.

Casus secundus.

EX præcedentis resolutione nascitur alia difficultas intricatior. Conventerunt centum mercatores, qui empturi erant tabacum, verbi gratiâ, & præter quos vix aliquis alius videretur empturus, quod tale forum nemo adiret duabus diebus integris, tertiâ & ultimâ die adiret unus & tabacum emeret solus pretio minori minimo currente. Petitur, An peccaverint, & ad restitutionem obligentur? Consulto posui illud *pretio minori minimo*, quia si de minimo ageretur, cessaret omnis difficultas ex dictis casu præcedenti.

Cum audis pretium minus minimo, statim injustitiam concipis, & existimas peccatum & restitutionem necessariò admittendam, ego autem timidior non audeo præcipitare sententiam, & contrariù assererem si me tam munitum Authorum testimonijs, quam rationum pondere & gravitate crederem. Fave igitur amice lector meo scrupulo, & me adjuva ut singulas circumstantias examinemus. Puto primò illos centum mercatores non teneri illud tabacum emere, posseque vel non emere, vel alibi emere, vel aliàs: ergò nulla injustitia in hoc quod duobus diebus subhastationem illam suâ non cohonestaverint præsentia relucet. Quòd die tertiâ veniant, aut non veniant, nihil mali. Quòd nò omnes personaliter navim ad-eant sed còmunem procuratorem mittant, cur vituperè, cù eos impingere in aliquâ legem divinam aut humanâ non videant. Ergo eos hucusque non peccavisse dico. Sed & addo hoc posito dari mercatorum carentiam, & merces vilescere juxta superius tradita. & subjungo merces sub finem fori vilius vendi quàm sub initium consentiente Dianâ. *1. part. tract. 8. resol. 53.* Ergo si venires ad forum tertiâ die, verè diceres tabaci pretium decrevisse, ergo si decrevisse etiam diceres posse emi pretio quod pro tunc currente sit, & tamen minus minimo illic usque currente: ego si tu id posses, cur non ille mercatorum vicarius? Considera, da disparitatem, & pro tuâ prudentiâ resolve. sed hoc præ oculis posito, quod ubi sit verum dicere, *Dedi justum pretium*, non est verum

est verum dicere, *Peccavi & teneor ad restitutionem*; item, aliud esse cooperari, ut res minori pretio valeat; aliud cooperari, ut minoris, quàm valeat ipsa, detur. Sed & hujus casus resolutio pèndet ex magna parte à resolutione sequentis.

Casus tertius.

850 PRæcoces emptores illos dicimus, qui Italicè *Rigatteri*, Hispanicè *Regateros* vocantur; illos scilicet, qui anticipatè merces emunt, ut carius postea vendant. Petitur, An ipsi possint merces anticipatè emere? & si faciant, An ad restitutionem teneantur?

Casus frequens, & cum magnâ attentione solvendus. Si detur lex invalidans horum emptorum anticipatos contractus, ipsi invalidè emunt, tenebunturque repetere suas pecunias, & merces mercatoribus reddere; sed hæc lex, non videretur prudens, quia esset exposita gravioribus difficultatibus. quid si venditores per multas leucas discessissent? quid, si emptor jam merces revendidisset? Quid? Confusum chaos. Leges debent esse prudentes & faciles; & talis procul dubio illa non esset. Si detur lex, non quidem contractū invalidans, sed prohibens, peccaret talis emptor (moraliter aut pœnaliter secundum qualitatem legis) non tamen magis teneretur ad restitutionem, quàm si lex humana non esset; ergò considerandus est contractus stando juri ipsi naturæ.

Respondeo igitur illos qui anticipatè emunt infimo pretio, ut postea revendant medio vel summo, non teneri ad restitutionem; si autem emerent pretio minori minimo & venderent majori maximo, deberent restituere illi, à quo merces habuerunt, quantum à pretio infimo abstulerunt; deberent restituere illis, quibus vendiderunt, quantum supra summum pretium receperunt; & possent sibi retinere differentiam summi & infimi. Hanc doctrinam non esse improbabilem, vel esse probabilem (utrumque idem est, unde Diana *1. part. tract. 8. resol. 27.* docet Rebelli sententiâ hanc opinionem esse probabilem, & Bonacina de contract. *disp. 3. quæst. 2. punct. 5. nu. 5.* à Dianâ citatus asserit Rebelli sententiâ hanc opi-

nionem non esse improbabilem) docent Molina *de just. tom. 2. disp. 345. num. 5. concl. 3.* Filiucius *tom. 3. tract. 35. cap. 8. num. 214.* Lessius *libr. 2. cap. 21. dub. 20. num. 150.* Rebellus *de oblig. just. p. 2. lib. 9. quæst. 18. sect. 3. num. 38.* Bonacina, Diana, & alij.

Sed tamen si hæc facilia sint, dabo verba Bonacinae, ut ex illis casu præcedenti respondeam. *Revenditores*, inquit, *excusantur à mortali & ab obligatione restituendi, etiam si caritatem inducant.* Ergò si non est contra justitiam inducere caritatem, sed emere aut vendere injusto pretio; non erit contra eandem virtutem industriâ inducere pretiorum vilitatem, & postea vili rem pretio, currentè tamen, emere. Ergo bene resolvi casum secundum præcedentem.

Casus quartus.

852 Importabantur Bruxellam Parisijs tales merces, quibus allatis earumdem pretium remitteretur; at Paulus, ut quas habebat, intensiori venderet, egit ut illæ non jam Bruxellam, sed Londinum ferrentur: & petitur, An peccaverit, & an restituere aliquid debeat?

Respondeo cum Dianâ, Filiucio, & Lessio citatis, negativè, modò id purâ Paulus industriâ, non fraude, minis, aut violentiâ obtinuerit.

Infero. Ergo, si suâ industriâ potuit licitè facere ne esset Bruxellæ copia mercium, etiam suâ potuit industriâ facere ne esset copia emptorum. ergò potest benignè casui secundo responderi.

Sed instas. Quid si violentiâ impedierit, ne illi mercatores Bruxellam venirent? quid si fraudibus eos in Londinum coegerit? Respondeo omnem violentiam esse malam, & quinto Decalogi articulo oppositam: nego tamen esse furtum. ac propterea vim inferentem teneri satisfacere eodem modo, quo satisfaceret alteri iter agenti, cujus iter fraudibus aut vi impediret. Addo posse Bruxellæ hujusmodi mercatorem vendere merces pretio currente, nec teneri ad restitutionem.

Casus quintus.

853 **C**onsiderans Ambrosius cautè itinerum difficultatem, prævídít anno sequenti tales merces importandas non esse, & quas aliás erat venditurus retinuit, ut carius tunc, cum solus, venderet, sicut de facto fecit. Et inquiritur, An fuerit alicui iniurius?

Respondeo negativè cum Reginaldo tom. 2. libr. 25. num. 330. & Dianá part. 1. tract. 8. resol. 27. & addo saepe huiusmodi homines prodesse Reipublicæ. Iosephus in Egypto populum suá providentiá à faucibus mortis liberavit; oportet enim aliquando parcius exponi, quæ si liberalius exponerentur, expenderentur paucis diebus, & postea absolute deficerent.

Casus sextus.

854 **A**ntonius, cum charta propter abundantiam vilissimo pretio venderetur, universam emit, & postea charissimè vendidit; interrogas, An teneatur ad restitutionem.

Vt respondeam præmittam verba Petri à Navarrá de restit. libr. 3. cap. 2. nu. 84. & 85. quæ citat & approbat Dianá part. tract. 8. resol. 76. dicentis, *Non enim meo iudicio quodcumque monopolium mercatorum, ut non nisi certo pretio emant, est iniquum, si revera illud est iustum pretium.* Ergo isti Authores sentiunt, potuisse Antonium emere pretio infimo, quæ venderet maximo. quibus ego subscribo.

Casus septimus.

855 **L**aborabas pecuniæ necessitate, & Anselmum mercatorem adiens mutuatam postulas & cautionem sufficientem pro securitate polliceris. Ille offert tibi merces, quia vult favere, & ille modus sufficit; recipis summo pretio, sed vendendas minori. Tunc ipse postulat, an ipsi velis vendere & emit pretio infimo. & cum videas te hoc contractu gravari, interrogas, An poterit iniri? & An mercator teneatur ad restitutionem?

Respondent communiter Authores non teneri ad restitutionem; quia res emitur & venditur in utroque contractu iusto

pretio. Ita Homobonus de Bonis in exam. Eccles. part. 2. tract. 9. cap. 3. quest. 5. Laymanus in Theol. moral. libr. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 16. num. 16. Lelsius libr. 2. cap. 21. dub. 16. numer. 130. Reginaldus libr. 25. num. 296. Toletus lib. 5. cap. 31. num. 30. Salas tract. de empt & vendit. dub. 37. num. 2. Navarra de restit. libr. 3. cap. 2. num. 17. Rebellus libr. 9. quest. 7. num. 7. quibus subscribit Diana 1. part. tract. 8. resol. 20. & alij.

Sed inquiris, Quale sit infimum & summum horum contractuum pretium? Respondeo dari duas emptiones. & in primâ summum pretium esse summum currens; in secundâ infimum esse mediam aut tertiam partem infimi currentis; quia cum tu quæras emptorem, merces tuæ vilescunt mediâ aut tertiam parte, juxta ea quæ diximus ante casum primum num. 844.

Inquiris secundò. An possit iniri pactum de hac secundâ venditione? hoc est, An tutâ conscientiam potuerit Anselmus dicere; Ego dabo tibi has merces tali pretio sub onere quod vendas mihi pretio tali? Negat Diana ex sententiâ Molfesij in summ. tom. 2. tract. 12. cap. 5. num. 11. Molinæ de just. tom. 2. disp. 316. nu. 2. & allegatorum DD. Et primò si merces daretur mutuae, & non daretur lucrum cessans, nec damnum emergens, quod videtur impossibile, vera esset Dianæ resolutio. At Anselmus non mutuat, sed vendit. & hoc bonum est. Et postea vult emere, & hoc etiam bonum est. cur igitur non potest iniri ille contractus, si aliquid de summo pretio remittatur, ita ut totum pretium imbibat tot florenos & onus revendendi? Rationem ob quam ille iniri contractus nequeat quærimus, Diana non dedit; nec ego invenio, tametsi accuratè quæsierim. Ne ergò amice Lector sententiam præcipites, quousque momenta fortiorum rationum appendas.

Duo tamen in re ambigua videntur mihi valde clara. Primum teneri ad restitutionem mercatorem, qui rem tibi venderet summo pretio cum onere revendendi tibi; quia & nihil ultra summum tutâ conscientiam potest recipere; & qui summum pretium reciperet & hoc onus imponderet, jam aliquid reciperet ultra summum

summum pretium. Secundum si habeatur ratio hujus gravaminis, & prudenti iudicio taxetur, & taxata quantitas à summo pretio remittatur, nemini fieri injuriam. Rem exemplo illustrabo. Panni aurei ulna vendatur centum aureis summo pretio, minimo septuaginta. & hoc numeratâ pecuniâ, at centum decem, & septuaginta septem post annum numerandâ. Te mercatorem adeo, & quasi centum aureos mutuos exoptulo. Tu mihi; Vendam merces, inquis, pretio iusto, & illas emam numeratâ pecuniâ. & quia hoc ipsum onus quod impono, pretio æstimabile est, decem aureos in venditionis toto pretio remittam; accipe igitur tres aurei panni ulnas. His positis non jam Theologus sed Arithmeticus quærendus, qui dubio satisfaciatur. Computum incamus. Tres illæ ulnæ pecuniâ numerandâ valébant trecentis triginta aureis, & quia decem pro onere revendendi remittuntur, non jam nisi trecentis viginti. tot sunt quos debes post annum tibi solvere. Tibi vendo pretio infimo, & quia numeratam pecuniam exposulo; ducetis decem; & quia modus vendendi (quæro enim emptorem) pretium ad medietatem remittit, non nisi centum quinque. Numeras igitur mihi centum quinque aureos, trecentos viginti post annum recepturus. Sanè durus contractus; summe tamen probabilibus fundamentis innitès. Si dicam propter modum vendendi non posse mediâ partem pretij remitti, non enim quæro emptorem cum præsto es. respondebis me necessariò, si tu præsto non esses; emptorem quæsiturum, teque tantummodo velle illius quæsiti personam substituere, & potius quæri quam alium; adeoque hæc instantiâ nihil in re mutari. Sed interim Lector bene examinet, nam timide hæc seribo.

Casus octavus.

857 **R**esolutiones, quibus emptionis & venditionis ingenium, nec non monopolij naturam exposui, claudam dubio frequentissimo, cuius sit resolutio maximè necessaria.

Contingit, ut qui novas sibi vestes comparant, saepe committant sartorum fidelitati, ut panni aut serici materiam emant à

mercatoribus. Sartor A. inierat cum mercatore B. hunc contractum. Sartor se obligabat illam solam officinam adire, & mercator dare omnes materias viliori pretio quam alij cuicumque. Interim sartor accipiebat ab ijs, quibus vestes procurabat pretium currens; & jam tandem scrupulis anxius, An gravetur obligatione restituendi, sollicitus a nobis perquirat.

Respondent Authores divisi. alij asserunt, alij negant. sed & illi ita asserunt ut ad fraudem recurrant, unde si fideliter sartor egerit, ab universis absolvitur. Stat pro sartoribus Fillucius tom. 3. tract. 35. cap. 6. num. 149. Homobonus in Exam. Eccles. part. 2. tract. 9. cap. 4. quest. 6. contra quos citari solet Salas tract. de empt. dub. 45. num. 6. adlegans Molinam de just. tom. 2. disp. 363. num. 3. sed Salas revera non desentire à Fillucio docet Diana 1. part. tract. 8. resol. 26.

Ego quidem claritati studens, & horum Authorum vestigia premens, aliquibus Assertionibus difficultatem enodabo.

Prima. *Potest sartor nomine suo sibi emere à supradicto mercatore materias pretio infimo, & postea vendere illi, cui vestes præparat, pretio summo currens.* Constat ex resolutione casus tertij, sexti, & septimi.

Secunda. *Potest idem sartor sibi emere eadem materias nomine proprio & pretio maximo currens hoc inito contractu generali, quod mercator semper illi tantam aut tantam partem solutionis remittat.* Hæc videtur esse Bibliopolarum praxis. Petri officinam adis. Christophori Butkens Trophæa Brabantica in patria honorem calamo eloquenti & veraci scripta postulas. Librum ille se octodecim florenis emisit sanctè jurat, tibi tamen propter amicitiam, ut ait, septemdecim vendit; & tamen perjurus non est, & aliquot florenos lucratur. Et mysterium consistit in hac praxi. Emunt Bibliopola à Typographis aut alijs Bibliopolis libros, & facto venditionis contractu, ex vi generalis & antecedentis concordie venditor quartam pretij partem remittit. Petrus igitur tametsi librum illum octodecim florenis verè emerit, tredecim & medium solvit; quatuor enim & medium (hoc est, quartam partem) Typographus illi remittit. Ergo tametsi octodecim emerit, &

rit, & tibi septemdecim vendat, lucrabitur tres florenos & medium.

Ex hac Bibliopolarum praxi usu receptissimâ colligo in libris pretium summum & infimum se habere ut 4. ad 3. videntur enim libri vendi summo, solvi infimo. Cùm disparitatis rationes non suppetant, videtur de omnibus rebus analogicè esse philosophandum.

861 Tertia. *Potest idem sartor, qui tibi vestem comparat, emere tibi easdem materis nomine tuo pretio maximo currente, hac inità generali concordia quod postea mercator tantam illi condones partem.* Ex vi hujus contractus tibi materia emitur, pretium totum mercatori acquiritur; ipse tamen, quia utilitatem sentit, potest teneri ad dandum tantam sartori partem, ne ad alias officinas veniat.

862 Quarta. *Si sartor vestem summo pretio nomine tuo emeret, inità generali concordia quod mercator deberet quartam partem remittere, tibi illam emeret, mercatorque tibi, non sartori, illam quartam pretij partem remitteret, quam si sartor acciperet, injustè acciperet, & ad restitutionem teneretur.* Hæc assertio scrupulos Authorum dissentientium componit. Et probatur. Tibi enim acquiritur quidquid nomine tuo & tuâ pecuniâ, emitur; in tali enim emptionis contractu tu consideraris ut quod, sartor ut quo. Tu redderis mercatoris debitor, non sartor; ergo si mercator remittat quartam debiti partem, debitori & non alij remittit: ergo tibi, tu enim solus es debitor ut quod. Vbi observare oportet, aliud esse remittere, aliud donare; donamus cuicumque volumus, debita autem non cuicumque, sed soli debitori remittimus.

863 Quinta. *Si sartor has omnes subtilitates capere non possit (nec mirer; multi Theologi cum illas examinant vacillant) a te, cui vestes comparat, pretium summum, currente acciperet, mercatori infimum daret, sibi differentialem summam retineret, hoc formando dictamen; doceor à meo Patre spirituali, quod hoc sit licitum, si fiat nescio quo modo, quem non bene intelligo; est tamen mea intentio contrahere ad mentem mei Patris spiritualis, non satisfacere, & teneretur ad restitutionem.* Et ut credo demonstrativè persuadetur, quoniam contractus requirit con-

ventionem & concordiam; qualis autem hæc esset, si mercator unum modum mète conciperet, aliter sartoris confessarius, maxime cùm tu neutri subscribas, & quia subministraturus pecuniâ sis persona principalis comœdia. Si omnes, qui in aliquo casu requiruntur in mète alterius compromittant salva res est, tu tamen qui soluturus pecuniâ es, nunquam in mentem illius Patris spiritualis volentis suæ pecuniâ quartam partem licitè accrescere sartori, compromissurus es. Sartor igitur & mercator juxta tres priores modos conveniant, ut possint ditescere tutâ conscientia.

DISPVT. XVII.

De Simoniâ.

864 **Q**UAM multa, quàm levia, quàm superficialia de Simoniâ singularissimâ, gravissimâ, & profundissimâ materiâ scripta! Quàm multa supposita! quàm pauca radicitus examinata! Si scriptor scrupulosus sit, nulla erit circumstantia ab hoc contagio libera; si audentior ipsiusmet Simoniæ conceptus erit idea Platonica, ut dicitur, quæ non reperitur in rebus. Pingues mentes adloqui nunquam desidero, hic autem præcipuè omnem, qui acumine non polleat ablego. Pauca dicturus sum, sed quæ ecchyses multas parturiant.

865 Simoniâ dicitur à Simone primo Simoniaco, cujus historia in Actuum octavo legitur. *Vir autem quidam nomine Simon, inquit Lucas Divinus Historiographus, qui antè fuerat in civitate magus, seducens gentem Samaria, dicens se esse aliquem magnum, cui auscultabant omnes à minimo usque ad maximum dicentes; Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna. Attendebant autem eum propter quod multo tempore magis suis dementasset eos. Cùm verò credidissent Philippo evangelizati de regno Dei, in nomine Iesu-Christi baptizabantur viri ac mulieres. Tunc Simon & ipse credidit; & cum baptizatus esset, adhaerebat Philippo. videns etiam signa & virtutes maximas fieri stupens admirabatur. Cùmque vidisset Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniâ dicens; Date mihi & hanc potestatem,*

potestatem, ut cuicumque imposuero manus accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum, Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri. Et cùm rigorem hunc verborum subaudio, hæreo totus, & miror vel nostrates esse tam doctos, vel rã indoctos, vel tam indoctum Petrû. Piscator ille erat, hi Doctores; sed permisit Omnipotens multa reprehensione digna in verbis Doctorum, nulla in Piscatorum reperiri. An non posset Simoni Petrus vendere, non quidem Spiritum sanctum, sed honorem inde resultantem, eo modo quo locus honoratior pro sepulturâ vendi dicitur citra Simoniâ ab ijs, qui tametsi fateantur esse Simoniacum accipere pretium pro sepulturâ, negant esse, si illud pro circumstantiâ illâ honorificentioris loci; quæ æstimabilis pretio est, recipiatur? & quidem Simoni non curasse Spiritum sanctum, sed plausum & authoritatem, quam apud vulgus habere poterat, videtur ex sequentibus verbis S. Petri suaderi. videlicet, *Non est tibi pars, neque fors in sermone isto, cor enim tuum non est rectum coram Deo.* Præterea, Cur non posset Petrus abstrahendo ab Spiritu sancto, vendere laborem insumptum in concessione hujus potestatis præsentis; nam vel debebat manus Simon imponere, vel aliquem locum adire, vel aliqua verba proferre, quæ omnia physica materialia & pretio æstimabilia sunt, juxta eorum doctrinam qui docent intercedendi onus, & laborem itineris suscepti pro collatione beneficij vendi posse? Et si sine Simoniâ possimus res spirituales commutare, ut si ineamus concordiam, quæ te obstringat ad dandum eleemosynam tali pauperi, me ad conferendum beneficium; cur non posset Petrus potestatem illam tradere, & titulo eleemosynes pecuniâ oblatam accipere? Verè hæc omnia obscura & intricata sunt; quia, si potuerunt fieri, non est cur tam crudè Simon à Petro reprehendatur, maxime cùm debeamus proximorum actiones in meliorem partem interpretari. Fateor me hæere, cùm hanc historiam lego; videtur enim omnes opiniones benignas, quæ in hac materiâ sunt, destruere. Cæterum quia sacra

pagina, tunc bene exponitur, cum juxta communem sententiam & rationem, summam textus amaritudinem faccaro probabilis benignitatis condiens interpretabor, & ratione communique Doctorum consensu duce subtiles difficultates enodabo. Ut igitur omnia bene intelligas, à Simoniæ definitione incipiamus. *Simoniâ juris Divini, est contractus illicitus & invalidus, quo supernaturalia pro naturalibus directè commutantur.* Cùmque jure humano multa ad supernaturalitatem virtuales eleventur, quæ sacra seu ecclesiastica vocantur, hinc erit quod *Juris humani Simoniâ sit rerum sacrarum aut ecclesiasticarum directâ commutatio pro rebus nec ecclesiasticis, nec sacris.*

Infero primò Crucium, & quarum- 866 cumque sanctarum imaginum materiam, artem, laborem artificis, & expensas in ferendis, & conservandis factas, vendi posse sine Simoniâ. Ratio est, quia omnia hæc, quæ vendi dicuntur, non sunt supernaturalia realiter, nec virtualiter, sed purè naturalia.

Infero secundò de Agnis Dei si omni- 867 ninò albi sint, hoc est, nec picti nec coloribus aut auro infecti, eandem esse rationem. Subscribo Flavio Cherubino in comp. Bull. tomo secundo const. 2. Gregorij X. III. schol. 1. Naldo in summ. verb. sacril. numero 9. Homini-bono de exam. Ecclesiastici part. 2. tractat. 9. capitulo 5. quest. 9. Villalobos in summ. tomo secundo tractat. 37. diff. 11. numero. 4. Suarezio de religione tom. 1. tract. 3. libr. 4. cap. 14. num. 6. Bonacina tom. 3. disp. 2. questione 2. punct. 29. num. 2. Sanchez in summ. tom. 1. libr. 2. cap. 43. num. 27. * Et siquidem de Agnis istis agimus notandum Gregorij XIII. Bullâ excommunicari omnes qui illos pingunt, aut pictos vendendos conservant; non igitur, qui illos à se aut ab alijs jam damnabiliter pictos, non vendendos conservant; quia odia non sunt extendenda ultra verborum significationem. Concedunt consequentiam citatus Bonacina, Diana parte, tertia tractatu sexto, resolutione duodecima. Scortia in Bullâ Pontificis theorem. 330. Fagundez parte prima, libro primo, capite quarto, numero 25. negat tamen Rainerus in catal. cens. cap. 9.

Excom. 64. in fine De hac excommunicatione dabo verba Vincentij Filliucij tom. 1. tract. 14. cap. 6. num. 93. dicentis, *Hæc excommunicatio à multis omittitur & nescitur, ut propterea crediderim extra urbem non fuisse receptam: passim enim cernuntur Agni-Dei depicti, quos non est verosimile fuisse depictos cum licentia Papæ.* Vbi observo primò hujus Authoris opinione excommunicationem receptione indigere: secundò ex hoc antecedenti *Hoc passim fit; non bene inferri Filliucij opinione, Ergò passim peccatur;* sed potius inferri debere, *Ergò non est lege prohibitum.* Hanc tamen excommunicationem esse in viridi observantia docet Fagundez ubi supra. & tamen non esse reservatam Pontifici tanquam certum docent Barbofa de potestate Episc. p. 3. alleg. 50. n. 150. Diana citatus & post eos alij. At ego non facili negotio crederem esse excommunicationem majorem, ne quidem in ipsa urbe, non enim rationem peccati mortalis sine materiâ magnâ, neq; hanc in unius Agni-Dei levissimâ picturâ reperio; quâ ob rem prudenti lectori ponderandum relinquo, An in tali materia detur quantitas peccati mortalis: fortè Pontifex nō de uno Agni-Dei, sed de multis agit. fortè aliquem sibi gravem finem præter extrinsecam picturam præfigit: unde non satis miror Azorium tam severè contra communem Doctorum sententiam in Agnorum-Dei materiâ fuisse philosophatum, dicentem non licere ne quidem ratione materiæ illos vendere. * Sæculares, qui eos citra contemptum tangunt peccare saltem venialiter putat Azorius; at Diana citatus sequitur Sanchez, & nullam esse culpam illos à Laicis tangi existimat; & si rationem postulas ad usum recurrit, nam ex hoc antecedenti, *Passim à laicis & faminis tanguntur,* cum Azorius inferret, *Ergò non est lex mortaliter obligatoria,* inferunt Sanchez & Diana, *Ergò nequidem venialiter obligatoria,* non enim prudenter procedimus, cum peccata venialia sine causâ evidenti multiplicamus.

868 Infero tertio sepulturam quâ sepulturam non posse sine Simonia vendi, posse tamen quâ honorificentiorē. Ratio est; quia sepultura quâ talis sacra est,

illa autem circumstantia honoris non est sacra. Ita Diana parte 2. tractat. 15. resolut. 57. munitus autoritate Garfiæ, Soti, Spini, Gratiani, Laræ, Salazari, Humadæ, Ioannis de la Cruz, Rodriguez, Aragonij, Philiarchi, Emanuelis Sa, Naldi, Barbofæ, Ragufij, & Genuenfis. Quid si ex illatione subinferres, Ergò tamen Simoniacum sit vendere Episcopatum aut Canonicatum, non erit vendere honorificentiorē? Considera rationis consequentiam, & quid dicendum sit expende, mihi enim videtur & necessaria & multis periculis obnoxia, ideoque nihil volo resolvere.

Infero quartò, orationes, & actus omnes spirituales, voces capitulares, suffragia, & dignitates Ecclesiasticas (excipe beneficiorum commutationem) posse inter se liberè absque Simonia labe commutari. Isti enim contractus non sunt Simoniaci; nimirum, Elige me in Provincialē, & te in Priorem eligam; Comenda me Deo, & ego te vicissim commendabo; Lege pro me sacrum, & ego pro te Psalmos penitentiales legam; Audi meas confessiones, & ego tuas; Da mihi talem Episcopatum, & ego pro tuo patre tot centenas missas curabo dici. Ita Aragonius 2. 2. quest. 100. artic. 1. Sotus libr. 9. de justit. quest. 5. artic. 2. ad 3. Victoria in relect. de Simonia num. 17. Sanchez in opuscul. tomo 2. libr. 2. capite 3. dubio 54. numer. 5. ubi asserit ita sentire doctos Recentiores. Hanc sententiam probabilem esse putat Diana parte 4. tractat. 4. resolut. 150. credit tamen damnabilem ex alijs rationibus. Sed subornationis periculum, ubi non agitur de officijs & dignitatibus conferendis, non reperitur. * Sed si ista vera, cur commutatio beneficiorum Simoniaca? Respondeo beneficia prout sacra sunt & permutari nequeunt, esse virtualiter supernaturalia, non ex natura rei, adeò non esse sacra ex natura rei, sed jure humano; & consequenter ex jure humano, cum venduntur, Simoniam committi, veram tamen. [Nota illud veram, quia datur Simonia, talis juris fictione seu virtualiter; quæ vera non est, ita tamen se habet ac si vera esset.]

Possit

ARTICVLVS I.

An in lege naturæ condi potuerint Testamenta?

Possit Pontifex facere, ne Simonia committeretur, si tolleretur humanitatis concessam supernaturalitatem: & voluit facere quod in commutatione committeretur, tollendo illam ab altero, quâ sublata jam res sacra pro non-sacra videtur commutari: & sic intelligendus est textus in cap. *Questum de rerum permutat.* Hanc rationē altā memoriâ retine, puto enim aliter illius permutationis veram Simoniam defendi non posse. in illustrissima Vniversitate dego, & quia vivos majoris quàm Scriptores veteres à pueritiâ facio (cum quia & hodie ingenia majora esse puto quàm olim, tum quia artes altius promotæ & examinatae, tum etiam quia illorum mentes rimamur & nō semper adsequimur, isti adsunt consuli semel iterum & sapius possunt, ut sub finem Scholij in librum de præcepto & dispensatione Mellifui Doctoris adnotavi) sapè illorum ingenia periclitor, consulo, ebibo, & tamen hanc meam semper rationem retineo, alias enim judico inefficaces. nam si hoc non dicatur, in beneficiorum permutatione vera Simonia neganda est, asserenda humana in juris fictione consistens, quâ si admittas arbitrariò positam, etiam pro libitu philosophare. ceterum qualiscumq; ea sit, à superiorum voluntate dependet, nam beneficia superiorum autoritate (aut dispensante si Simonia humana sit, aut mutante materiam si divina) quotidie licitè permittantur.

DISPUT. XVIII.

De Testamento.

870 Nihil æquius dicunt Jurisconsulti, quàm adimpleri quæ ultimâ voluntate testatoris decreta; sed hæc universalis positio reducta ad limam scholasticam magnas patitur difficultates, quæ facili negotio possunt à legibus & jure positivo aut auferri aut remitti; & perdifficili stando juri naturali. adeoque examinet

Videretur alicui quod non: quia legatio vel est donatio, vel non; si non, ex vi Testamenti nihil legatarius acquireret; si sit, conditionibus essentialibus carere non potest. Ergo debet dari persona quæ donat, & cui donatur: utraque enim est æquè necessaria, & fortè necessarius prima, quia persona cui videretur in aliquo casu posse deesse, cum tamen in nullo possit persona quæ. vidimus enim legata heri edificijs, & si hæc propter homines erigi dicas, etiam brutis, ut cum miles equo, quo ultimum vitæ discrimen evasit, legat congruam sustentationem & laborandi immunitatem, quæ si male facta censeas, multorum Heroum ultimas voluntates mordebis. Sed quidquid sit de persona cui, de quâ redibit disputatio, certum est donationem sine persona quæ, intelligi non posse. ergò designandum est aliquod instans, in quo ipsa realiter aut virtualiter dicat, *Do de facto bona mea talibus;* atqui tale assignabile non est: ergò stando juri naturæ Testamenta condi non possunt. Probo minorem. Quia quando Testamentum fit non dicit *Do*, sed *Lego*, hoc est, *Dabo*; ergò asserit se daturum esse. ergò vel hæc propositio *Dabo*, falsa est, vel erit aliquando vera hæc propositio, *Nunc do*; atqui nunquam hæc est vera: ergò. Minor probatur. Non est vera in aliquo instanti ante mortem, quia ex communi Jurisperitorum sententiâ ante mortem legatario nil datur; non est vera in aliquo post mortem; quia jam non datur persona quæ donare possit; nec est vera in instanti ipso mortis, quia si hoc sit ultimum esse hominis, nullum transfertur dominium, quia nondum est mortuus, adeoque nec donatio est actualis dominij trāslatio; si autē instans mortis dicatur primū non-esse hominis, tunc homo non est nec habet dominium, nec aliquid donare potest. Hæc difficultas urgebitur rationis paritate. Dicit Petrus, *Dabo tibi centum aureos cum moriar*, dicat etiam, *Et cum*

Et 2

Et cum

Et cum moriar frangam hanc christallum; positiones sunt omnino similes, & eodem omnino modo verificandæ. Si est verum dicere *Frangam*, aliquando erit verum dicere *Frango*, & si aliquando futurum est ut verum sit dicere *Frango*, postea sive vivam sive non, erit verum dicere *Fregi*. Ergo similiter de hac positione *Dabo* philosophemur. Si Petrus mihi in suo Testamento aliquid dedit, aliquando id dedit; at nunquam dedit; ergo non dedit. Minorem probo; quia nec dedit ante mortem, quia ante mortem nulla legatio est valida; nec dedit post mortem, quia tunc Petrus non habet rerum dominium, imò nec est: nec dedit in morte, quia illud *in*, aut significat ultimum esse vite, aut primum non esse; & in hoc dare non potuit, & in illo non voluit, quia si voluisset transferret dominium, & ego haberem, etiam si superviveret.

871 Dicunt aliqui Testamentum esse donationem conditionatam, & positam conditione tenere. Nam cum dicis, *Do Paulo centum scuta, si verum est, quod Rex sit Matrini*, donationem validam facis, si Rex Matrini est; nullam, si non est. Et similiter posito Testamento, quod est donatio de futuro voluntas donandi virtualiter in testatore perseverat, quam ob rem ipse in singulis vitæ instantibus censetur dicere *Do de facto omnia mea bona talibus, si hoc instans est ultimum mea vita*. cumque hæc conditio aliquando ponatur, aliquando etiam incipit donatio esse valida. Addunt, ineptè inferri, Ergò si legator superviveret, teneret donatio, & dominium translatum maneret, quia donatio semel valida aternum erit valida, & dominium semel translatum semper manebit translatum. Addunt, inquam, male hoc inferri, quia si superviveret legator, non poneretur conditio (hæc enim est, *si non supervivam*) & non positam conditione, donatio est invalida.

872 Sed hæc omnia non urgent; & ut clarius procedamus, statuamus hominem humanitatis ex legem, hoc est, nulli juri humano subditum, actiones suas juxta Decalogum & æquitatem regulantem. Hic igitur die Dominicâ condatur suum Testamentum, & tibi viro peregrino nullo

sanguinis nexu conjuncto leget mille aureos, reliqua suo filio; die Lunæ in phrenesin incidat, in quâ tandem die Mercurij moriatur. doceri volo, quo aquæ ductu & tempore dominium illud mille aureorû, qui legantur, ad te transire possit. Sanè die Dominicâ, quâ Testamentum conditum, dominium translatum non fuit; quia Testamenta non transferunt dominium cum fiunt, sed solum dicuntur translatura: die Lunæ adhuc erat verum dicere, *iii mille aurei subsunt dominio proprietario hujus ægri*, ergò nec tunc ad te spectabant; igitur nondum erant dati; atqui postea dari non potuerunt, quia deliri phrenetici & suæ mentis impotes, cum libertate careant, nihil validè donare possunt. Ergò ex vi illius Testamenti nihil omnino adquiris. Ergò stando juri naturæ non dantur Testamenta valida.

Si dicas etiam amentes & deliros posse 873 validas donationes facere stando juri naturæ, soloque jure humano arceri, aliquid valde novum assumes, sed meam sententiâ indefensabile. quia existimo delirium non esse rationem perdendi jam antea acquisitum dominium, nego tamen posse dominium aliquod adquiri aut transferri sine usu libertatis in personam quæ transfert. donatio enim actus dominij est, & hoc sicut liberè acquiritur, sic etiam liberè transferri debet. His tamen non obstantibus sit nostra.

874 Conclusio I. *Stando puro juri naturæ possunt fieri valida Testamenta.* Et ut ipsam defendam, statuo Testamentum esse ultimam voluntatem liberam, quâ quis moraliter perseverat in hoc actu, *Legō, hoc est, Nunc de facto do Petro v. g. omnia mea bona, si hoc nunc sit ultimum meæ libertatis, reservans mihi illa solum quæ ad mortem expedero.* Hac voluntate positâ bene intelligitur, quomodo & quando transferatur dominium; & bene satisfit objectis. Et veniendo ad illum qui tibi legavit mille aureos die Dominicâ, die Lunæ privatus fuit usu rationis, & die Mercurij obiit, dico eum tota die Dominicâ fuisse illius pecuniæ proprietarium dominum, in ultimo instanti suæ libertatis tibi transfuisse dominium, dieque Martis non fuisse verum dicere, *Hi aurei pertinent ad ægrum*; addo solum Deum

Deum potuisse certo scire illam propositionem falsam, quia solus Deus sciebat certè, eum die sequenti moriturum.

875 Conclusio II. *Qui asserat illos mille aureos die Martis ad ægrum pertinuisse, debet consequenter asserere post mortem ab intestato transire ad filium, & illud Testamentum esse invalidum. Debetque addere vix aut ne vix quidem dari posse Testamentum purè naturale, quod legibus civilibus præclusis subsistat.* Sanè Athenienses prudentes erant, & ante Solonem bene gubernabantur, & tamen non cognoverunt Testamenta, hæc enim videntur à Solone inventa, ut ex Plutarcho in Solone num. 596. notavi.

ARTICVLVS II.

Testamentum Civile definitum, distinctum à Codicillo, solemnitatibus auctoratum.

876 **E**T si Testamēta jure naturæ essent invalida, possēt jure civili firmari Republicâ defectus supplente. Penes ipsam est respicere bonum publicum & mutare dominia lege, quæ si acceptetur à populo, sit valida. Favore Reipublicæ defunctus etiam post mortem potest virtualiter vivere, & hæc veritate suppositâ possumus citra difficultatem essentialiam Testamenti explicare. *Legō, inquis, Petro mea bona; hoc est, donabo.* Audio. Sed quando, inquam, donabis? in primo instanti post mortem respondes, & bene; nam tamen tunc non sis, & fortè immediatè ante delirus fueris, Respublica supremâ suâ auctoritate utendo concedit, quòd tunc virtualiter sis, & usum rationis habeas, liberèque de tuis bonis disponas juxta promissionem tenore Testamenti explicatam. Hinc bene inferitur Testamentum debere definiti, *Ultimam voluntatem, de eo quod quis post mortem suam (physicam intellige) fieri vult, cum directâ hæredis institutione, in septem testium, qui masculi puberes & sint, præsentia.* & differre à Codicillo, qui est, *Ultima voluntas, de eo quod quis post mortem suam fieri vult, Testamentum corrigens, & aliquos articulos mutans; addens, aut subtrahens, nullum hæredem instituens, quinque testes, qui possint esse fœmina & non rogati, ad valorem requirens.* [Ex

particulari privilegio conceditur militi, ut in Codicillo instituat hæredem. *L. Militis Codicillis. 36. π. de milit. Testam.* Sed si vocū fugiamus lites & dissidia, ille Codicillus verè Testamentum dicendus est, & asserendum non jam concedi militi ut in Codicillo instituat hæredem, sed quod condatur Testamentum cum minoribus solemnitatibus; sed si res ipsa pateat, de vocibus non disputemus.] Prudentes Graphiarj in Testamenti contextu solent interferere hanc clausulam. *Volumus hanc scripturam valere eo meliori modo quo possit, ut si defectu alicujus solemnitatis jure requisita valorem Testamenti non habeat, habeat saltem Codicilli;* sæpè enim contingit aliquid necessario requisitum omitti & scripturam non habere Testamenti vim, unde si nec Codicillus esset, nulla esset. Si Testamentum prætensum Codicilli vim habeat, exceptâ institutione hæredis, quæ repugnat ipsi Codicillo, in omnibus articulis valebit. nam legata hujusmodi Testamenti sunt solvenda. Et si testator careat liberis, extraneus hæres institutus si non possit adire hæreditatem poterit recipere fidei commissum, nam frater vel quicumque hæres ab intestato succedens reservans sibi quartam partem, quam vocant Trebellianicâ, tenebitur cedere reliqua alteri ceu fideicommissario. Si autem testator filios habeat, isti legitimam recipient, alter reliqua. Vide Sylvestrum *verb. Testam. 1. num. 11. Molinam disp. 132. Iulium Clarum §. Testam. quæst. 46. Lessium de just. libr. 2. caput. 19. dub. 1. num. 3.*

ARTICVLVS III.

De Testamento irregulari.

PLacet aliquot Resolutiones subjungere, quæ dubia emergentia diluant, & medullitus quæstionem exponant.

Inquiris, An irregulare Testamentum 877 factum ad piâs causas sit validum? Irregulare vocas illud quod non est secundum juris Regulas; puta, defint aliqua solemnitates in jure civili requisitæ: Dicitur ad piâs causas, quod instituit Ecclesiam aut aliquam piâ causam hæredem.

Et respondeo esse validum, si detur lex civilis expressa (non enim leges implicitæ & obscuræ

& obscuræ claras & expressas derogare & tollere dicendæ sunt) id à regula generali excipiens; tunc enim nulla illi deerit solennitas jure requisita. Si non detur lex civilis, etiam erit validum, si detur Canon obligatorius qui validè possit jus civile reformare; aliàs non.

ARTICVLVS IV.

De ijs, qui possunt testari.

878 **I**nterrogas, An omnes homines possint testari? & an dentur aliqui jure impediti?

Respondeo multos esse qui testari non possunt, illos videlicet quibus natura aut jus transferre dominia non permittit: naturâ incapaces sunt, qui nihil habent, item & illi qui usu rationis carent: jure qui aut nihil habere aut rationis usu carere præsumuntur à legibus. Dicuntur non posse testari *Primò* impuberes, hoc est, pueri ante 14. puellæ ante 12. annum ætatis completum. Ita habetur *L. Aquâ etate. 5. π. Qui testam.* ubi dicitur illud tempus censerî completum, si ultima dies sit inchoata. [*A v d i s.* Et statim dubitas, an etiam in professione censenda sit ætas 16. annorum completa, aut annus probationis completus, si & ultima dies sit inchoata? *Respondeo.* Vel Legislatorem concedere quod censeatur annus completus moraliter ille, cujus ultima dies inceperit; vel judicare & definire ita verè esse independenter ab omni cõcessione. Si hoc secundum dicatur, cessât quæstio; quia cum magni ingenij & summæ prudentiæ vir fuerit, probabilissimè defendi potest. Si illud prius asseratur, non videtur admittenda etiam in Ecclesiasticis resolutionibus secularis Principis favor. sed si examines literam, simplicem definitionem, nullamque indebiti favoris concessionem reperies. sed quia præsentis instituti controversia non est, attigisse sufficiat alio loco explicandam.]

879 *Secundò* non possunt testari intestabilitate condemnati. Crimina, ob quæ pœna hæc incurritur, sunt hæc. Persequi, capere, percutere Cardinalem; aut cooperari alijs, qui hoc facinus enorme com-

mittunt. *L. Is cui. 18. L. Cum. lege. 26. π. Qui testam.* item libellos infamatorios scribere, evulgare *ejusdem L. Is cui §. si quis.* Sunt variæ leges, quæ declarant hæreticos, eorum adleclas & fautores intestabiles, quæ recensentur communiter ab Authoribus & tamen deberent cum ponderatione referri. Sanè si hæretici testari non possunt, scabiosa sunt rerum possessiones in Europâ, quæ scatet innumeris hæreticis, & tamen singulis diebus condunt Testamenta, & si forum exterius respicimus, valida. An tenendum successorem ab intestato (frequentius & ipse similiter hæreticus est) posse retinere omnia hæretici defuncti bona exclusis legatarijs? maximè cum eadem leges, quæ testandi potestatem hæreticis negant, eosdem ab hæreditate arceant & institui hæredes non permittant. an illa bona cedunt Fisco? Respondeo leges tantam habere vim, quantam illis populus concedit acceptando; adeoque ubi hæretici impunè permittuntur, has de intestabilitate leges acceptatas non esse; & in provincijs, in quibus non permittuntur, judicandos juxta mores & speciales consuetudines in paucis provincijs uniformes.

Tertiò stando juri puro naturæ abstracto hendo ab universis legibus humanis (si in tali statu Testamenta sunt valida) filius-familias & servus testari non possunt, potest mancipium. Quoad filium-familias ostenditur, quia nihil habet quod patris non sit, & siquid accipiat accipit ad usum revocabilem, & siquid acquirit, patri acquirit, adeoque est incapax ut in vitâ aut in mortis articulo aliquam donationem faciat. De servo pariformiter philosophatur; serui enim & filij simillima subjectio est, tamen si titulus diversus; filius enim ingenuo servus ignobili obstringitur titulo: imò sæpe contingit titulum nobiliorem, strictiorem etiam obligationem inducere. ut videre est in Religioso & judicis sententia recluso, uterque enim in monasterio habitat, ille ob virtutis studium, hic ob patrata crimina, & tamen ille tenetur multò strictius. De mancipio nihil dicere potero ni ejus à servo differentia superius exposita in memoriam subveniat. Mancipium vir est violentiâ, justâ tamen, detentus; liber

tus; liber quidem, sed ne utatur libertate coactus; manu captoris inimicus; qui indirectè ob bonum publicum directè întentum occidi quodcumque potest. Hic igitur habet suorum bonorum verum & legitimum dominium, & tamen si violenter impediatur ne faciat, si de illis disponat, validè quidem faciet. Hinc constat Maurum Hispani mancipium nondum in servitute redactum si habeat Argeliæ bona, posse Matriti existentem donare cuicumque eodem prorsus modo ac si in Mauritaniâ habitaret. Cum servatur, servitute incurrit, & personam propriam exuens transit in rem possessam à victore saltè usufructuariam. bona quæ Argeliæ habebat non videntur ad servitute transire, quia nec filij ante servitute genti transiunt, & ij deberent transire, si & transirent bona ante servitute acquisita, nam est similis ratio.

881 *Quartò*, quia leges civiles fere omnes filios, saltè inadæquatè emancipant, dicendum est posse eos testari, si sint puberes, de bonis castrensibus & de quasi castrensibus. *L. Nemo r. C. Qui Testamenta.*

Quintò, si filius familias sit Clericus, & habet adventitia bona, aut acquisita ante Clericatum vel post. De illis potest testari ad causas pias cum patris consensu: de his absque patris consensu. Ita Communiter Doctores.

882 *Sextò*, Clerici beneficiarij solent habere bona patrimonialia, fructus industria, & acquisita à beneficio. solum est difficultas de his ultimis, quia universi supponunt alia posse legare etiam secularibus & ad causas profanas. Ex bonis à beneficio acquisitis testari non possunt; si stemus juri scripto, sed & hoc non viget ubicumque in eodem observantiæ rigore, imò videtur ubique vigere contraria consuetudo; nam bene observantibus Covarrubiâ & Lessio moribus receptum est, ut solis Episcopis testandi licentia necessaria sit; licereque cæteris quibuscumque Clericis testari de bonis, quæ ex Ecclesiasticis redditibus adquisierunt; imò in eisdem parentes, fratres, consanguineos intestatis succedere. Vbi notandum, esse certum peccare eos mortaliter qui Ecclesiastica bona sive donatione inter vivos,

sive Testamento in usus profanos convertunt, incertum an donatio non solum illicita sit, sed invalida. Donationem talem esse illicitam, peccareque mortaliter sic de bonis suis disponentem, sive Episcopus, sive Canonicus is sit tenent universi Doctores; esse validam asserit Lessius *de just. libr. 2. cap. 19. dub. 4. num. 44. & 46.* negat Navarrus & multi alij [Quod de Episcopis & Canonicis dicimus etiam intellige de Monasterijs: non enim in suo vigore permanens potest profanas donationes facere, nec si excidium immineret (similis Testamento hæc donatio esset) bona sua divitibus secularibus dare, ubi consequentiâ doctrinæ ductus & talem à Monasterio factam donationem certò illicitâ & mortaliter peccaminosam, & probabiliter invalidam credo. Abbates non sequuntur hanc legem; quia cum administrari Communitatis sint, siquid profanè sine Communitatis licentiâ, non solum peccaminosè, sed invalidè faciunt; si accedat Communitatis facultas, non jam certò invalidè sed probabiliter invalidè, semper tamen certò illicitè faciunt.

Sæpe legis profanis pias causas opponi, multaq; ad causas pias instituta permitti, quæ alias censeretur invalida. & desideras has ab illis discerni. Falluntur, ut opinor, qui pias putant omnes & solas Ecclesiasticas, multa enim profanè dantur nonnunquam Ecclesiasticis; quæ piè secularibus possent. Vel dicitur; commestationes & ebrietates illæ, quæ in Abbatum benedictinibus, Novitiorum professionibus, Neomystrarum festivitibus, Doctorum laureis, quomodo poterunt à profanitate excusari, si limites modestiæ excedant? Ditissimarum Abbatiarum fundatores, si reviviscerent, & suos viderent successores nudos, famelicos & castas habitantes defectu mediocritatis, quæ ipsi Ecclesiasticis genio indulgentibus, delicate, ne delitose dicam, viventibus; convivij quasi ex officio quotidiano vacantibus, palatia superba & inutilia erigentibus legarunt, putarentne suæ ultimæ voluntati satisfieri? minimè. Aut fallor, aut universos illos non solum de abusu, sed de furto arguerent; furti enim reus, qui aliena recipit bene impensurus & male impendit. Lo-

quar sincerè. Magnam sanctitatem in Ecclesiasticâ reperiri Republicâ invidus negat; debere alicubi has profanitates reformari, negent cœci, qui enim oculos habemus, non possumus. Falluntur etiam, qui omnes donationes in favorem sæcularium factas, profanas putant. Piè collegium studiosorum instituitur; piè dos puellis orphanis datur; piè pueri pauperes instituuntur; piè hospitalia pro peregrinis & ægrotis parantur; piè mechanicis qui suo labore victitantes vix oneribus domesticis sufficiunt, succurritur; piè confraternitates conservantur; & tandem piè fit quidquid in Dei servitium, profanè quidquid contra Decalogum.

ARTICVLVS IV.

De Religiosi Testamento.

884 **P**rimò extra omnem controversiam est, An Religiosus sine Summi licentiâ Pontificis condere Testamentum possit? scimus enim voto paupertatis obstringi & hoc contra donationem quamcumque militare. Tota igitur respicit difficultas Summi Pontificis dispensationem.

885 **A**ffirmat Lessius *de Iust. l. 2. c. 19. d. 4. num. 40.* citans Covarrubiam *de Testam. cap. 2. num. 17. 18.* Navarrum *Comment. 2. de Regularib. num. 58.* ubi addit hanc testandi facultatem solum posse concedi Religiosis habentibus beneficium aliquod regulare vel sæculare, vel degentibus extra monasterium & suâ indutriâ victum quærentibus, vel quibuscumque congruam annuam à monasterio recipientibus. Et sanè non ponitur hæc limitatio iure scripto, sed iure ipso naturæ, quia Testamentum condere non potest, qui nihil habet, & Religiosi regulariter sub obedientiâ in monasterio agentes, nihil prorsus habere quod alicujus momenti sit præsumuntur, & pro rebus levis momenti licentiâ imprudenter à Summo Pontifice distante, & gravissima tractante negotia peterentur.

886 **R**espondeo hanc difficultatem in fine quaestione purè nominali; aliud est enim concedere ut validè Religiosus aliquid det, aliud ut nomine proprio validè det, potest enim validè dare nomine alieno, si ille alius illi potestatem concedat. Addo

Testamentum nihil esse aliud quam donationem firmatam ultimâ voluntate cum hæredis institutione. & hæredis nomine intelligi illum, qui omnia bona adit cum obligatione solvendi legata. His positis fit

Conclusio I. *Potest Pontifex concedere 887 Franciscano ut nomine suo (hoc est Pontificis) vel vivus faciat vel moribundus quascumque donationes pias validè & licite faciat. & probabiliter potest etiam ut profanus.* Patet; quia suppono ad Congregationem pertinere, quæ neque in particulari, neque in communi habeat bona, sed utatur bonis Summi Pontificis: quorum quia Pontifex est dominus, potest disponere per se, aut per alium ministrum qualemcumque.

Conclusio II. *Id ipsum potest concedere Communitas habens bona in communi cuicumque suo Religioso.* Ostenditur; quia etiam est illorum bonorum domina, & potest illa per manus cujuscumque Religiosi expendere.

Conclusio III. *Si Pontifex Religiosum ab ordine 888 ne eximat, & voto paupertatis liberet: potest donare testandi autoritate.* Patet; quia idè Religiosus Testamentum non condit, quia voto paupertatis obstringitur: ergo si tollatur votum, tolletur & impedimentum testandi. At Communitas, quia non potest aliquem à voto solenni liberare, idè non potest testandi facultatem concedere.

Conclusio IV. *Repugnat Religiosum antequam Monachum exuat, aut veram donationem facere, aut Testamentum condere. 889 Corollarium. Cumque repugnantia non solum sint extra Pontificis, sed & extra Dei omnipotentiam, concluditur nullâ virtute divinâ aut humanâ fieri posse ut verus Religiosus veram aliquam donationem, emptionem, venditionem, aut Testamentum faciat ut quod, & in genere causa principalis.* Consulto posui illud ut quod, quia, ut constat ex I. & II. Conclusione, certum est posse Religiosum facere donationes ut quo in genere causæ instrumentalis, in quantum est Pontificis aut Communitatis minister & operatur in virtute causæ principalis, hoc est, nomine Pontificis aut Communitatis. Repugnantiam propositam ostendo. Repugnat eum aliquid dare qui nihil habet; atqui Religiosus nihil habet proprio nomine: ergo non poterit

poterit proprio nomine dare. Ergò si ipsi à Summo Pontifice conceditur, ut proprio donet nomine, conceditur ut nomine proprio præhabeat, ergò quod paupertatis voto obstrictus non sit, esse enim pauperem, hoc est, nihil habere proprio nomine, & res habere proprio nomine, sunt contradictoria positiones.

ARTICVLVS V.

De his, qui possunt institui hæredes, vel legatarij.

889 **O**mnes illæ leges quæ hæreticos, apostatas, credentes, receptores, defensores, fautores; item, quæ Cardinaliū persecutores, captores; percussoresq; & quacumque aliæ sceleratos homines potestate condendi Testamentum privant, etiam privant capacitatem passivâ, ne possint institui legatarij aut hæredes, qui vel hoc expriment, vel clarissime insinuant.

890 **S**ed statim occurrit difficultas, quæ in omnibus odiosis resolutionibus examinatur; an hæc sint leges merè pœnales, an verò definitivæ tales homines domini incapaces reddentes? nam si primum dicatur, ante sententiam non tenebuntur bona, si recipiant, restituere; secus, si secundum. Vtrumque autem videtur probabile Lessio *lib. 2. cap. 19. dubitat. 5. num. 52.*

Filij legitimi institui hæredes possunt: at spurios non posse aliquid capere à patre, sive ex testamento, sive ab intestato, sive ex contractu inter vivos; nec posse substitui vulgari nec fidei commissariâ substitutione asserit Lessius ubi supra num. 58. 59. & num. 66. existimat non videri improbabile spurium (conjugati aut Sacerdotis ex solutâ) posse succedere saltem solutæ matri. Sed filio naturali benigniores sunt leges, concedunt ut possit institui universalis hæres à suis parentibus carentibus legitimâ prole. imò & succedere matri intestatæ si ipsa aliam legitimam prolem non habeat.

ARTICVLVS VI.

Modi substituendi aliquem suo hæredi.

E Numerantur sex. Videlicet, sub- 891 stitutio vulgaris, pupillaris, exemplaris, fidei commissaria, reciproca, & cõpendiosa. Proderit terminos explicare.

Substitutio vulgaris dicitur, cum aliquis iure non prohibitus alicui hæredi iure non prohibito ab aliquo testatore iure non prohibito substituitur.

Substitutio pupillaris, aliquem loco testatoris substituit. Et locum habet in impuberi, qui defectu ætatis testari non potest; ipsi enim substituitur pater, qui ejus loco testamentum condat & instituat hæredem. *Exemplaris* vix à pupillari distinguitur, habet tamen locum in filio amentis, furdo simul & muto, aut prodigo.

Fideicommissaria contingit, cum hæres instituitur cum onere dandi aliquam determinatam hereditatis partem alicui determinatæ personæ.

Reciproca, ex duabus substitutionibus (vulgaribus, aut pupillaribus, aut vulgari & pupillari) componitur. Puta instituo hæredem Petrum & Paulum meos hæredes, & alterum etiam alteri substituo.

Compendiosa ex pluribus compendiosè componitur quoad diversa tempora, rationes & causas.

De omnibus his prout ex varietate legum civilium variantur, alterantur, mutantur, disputant Iurisperiti, quorum libri legendi volentibus hominum placita disquirere, non tamen rerum naturas essentialisque, ex quibus hæc ipsa placita pendent, examinantibus. [Vide præcipue *Dicastillum lib. 2. tract. 19. disp. 1. & deinceps.*]

DISPUT. XIX.

An iure naturæ omnia omnibus communia sint?

892 **S**VNT aliqui severissimi Sacræ Scripturæ Interpretes, qui suo sensu abundantantes asserunt omnia divina testimonia personaliter debere intelligi.

Regula est, quæ si universaliter admittatur, Catholicè defendi non potest. Omnia Sacramenta, Religionis Christianæ obidēs, corruerent; & Sacerdotalis potestas & Pontificia autoritas, primis Christianis concessa diceretur, non autem hucusq; perennare. Cæterum licet Sacræ paginæ Canones personaliter intelligerentur, citandi de uno & solo Adamo intelligi non possent. Primò quia Deus prædixerat Genes. 1. *Crescite & multiplicamini & replete terram, & subjungit, Dominamini, sed quibus? piscibus maris, volatilibus celi, & universis animantibus: qui autem? vos homines, de quibus agebat, nempe jam multiplicati, & replentes terram. Sic Divinum Canonem debere intelligi constat Regis Prophetæ Psalmo, Omnia, ait, subjecisti sub pedibus ejus. Sub cujus? non sub Adami nostri Genearchæ solius pedibus, sed sub pedibus hominis indefinitè. Fateor in Hebræo hominem dici Adam, sed Vulgatus altè concipiens hanc periodum suffulit æquivocationem. Hominem ergò indefinitè constituit Deus rerum universalium Dominus. Ergò ex vi hujus juris (seu Divinum seu Naturale dixeris) homines sunt domini Vniversi, domini inquam, in communi & sine bonorum discretionè. Investivit Deus homines dominio universalis & communi; sed quali? directo an indirecto? radicali an usufructuario? positivo an solum negativo?*

Prima Responsio.

893 **C**ensent aliqui hanc donationis formulam non continere veram & realem domini communicationem, sed debere intelligi negativè, nempe, *Dominamini*, hoc est, *Non interdico ut dominemini*; quorum si expositio admittatur, condita à Deo essent omnibus hominibus communia negativè, non verò positivè; hoc est, non essent aliena, nec pertinerent ad aliquem in singulari.

Secunda.

Alij credunt Deum fecisse homines 894 directos & proprietarios dominos totius orbis terrarum, & jure naturæ constantis & integræ omnia fuisse communia, sed hoc jus fuisse in pœnam culpæ revocatum. Huic sententiæ videtur subscribere Scotus in 4. *distinct. 15. quæst. 2. artic. 1. conclus. 1. & 2.* unde jure naturæ lapsæ non sunt omnia communia.

Sed hoc assertum subsistere non potest, 895 in opinione eorum, qui dicunt jus naturæ esse irrevocabile & perpetuum; quoniam si tale est, abrogari non potuit. Cæterum cum in meâ jus naturæ sit actus liber Dei eodem modo de illo ac de reliquis liberis Dei actibus philosophabor. Nota quæ dixi *Commentarij in Reg. Benedict. num. 19.*

Displicet tamen hæc opinio, quia 896 universaliter affirmat omnia futura fuisse communia si Adamus non peccasset, quod demonstratur esse falsum. Primò, quia etiam in statu innocentia, imò & naturæ puræ, Petrus esset suarum actionum particularis dominus, ita ut illis dominaretur solus exclusivè quibuslibet alijs. Secundo, esset etiam particularis dominus substantiarum quas de novo produceret; puta, filiorum, quos gigneret, animalium, & metallorum quæ de novo produceret industriâ artificiali. Tertiò, quia nullâ lege tenerentur homines in statu innocentia agere vitam communem, possentque dominia dividere majoris commoditatis gratia: & fortè erant facturi, si culpa non prostravisset naturam rationalem.

Tertia.

Sanctus Clemens I. Epistolâ 5. ad fideles qui erant Ierosolymis (habetur cap. *Dilectissimis. 12. quæst. 1.*) putat Deum homines constituisse rerum Usufructuarios, aut Feudatarios si mavelis; hoc est, non tradidisse rerum dominium, sed solum usum, & istum ad placitum suum revocabilem. Cæterum statuit

tuit Protheoremata simillima ijs, quæ jam impugnavimus. Dabo formalia verba. *Communis usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse debuit; sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, & alius istud; & sic inter mortales facta est divisio.* Sanè si agamus de primis creaturis à Deo sine hominum concursu naturali aut artificiali (quia has ad suas causas singulariter pertinere asseruimus) omnia quæ asseruntur sunt possibilia. Primò potuit Deus concedere homini mundi usum fructum, hoc est fructuum dominium, dominio directo reservato. Secundo multa bona ex iniquitate sunt divisa, & potuerunt omnia. Fortè Nembrot voluit reliquis dominari, unus & solus omnia habere; fortè hoc in causa, ut ceteri libertatem defenderent, dividendo provintias, armenta, pecudes, & similia; dividendo quidem, ut melius defenderentur à tyrannide: fortius enim campi defenderentur, si unicuique forte aut conventionione designaretur defensor proprietarius.

Vera Sententia.

VT igitur certa à dubijs & minus certis distinguamus, substruam Theses clarissimas, quibus doctrina vera fundabitur.

898 **THESIS I.** *Intellectualis persona est domina omnium effectuum, quorum est principalis, libera atque directa causa.* Probavi discursu uberrimo toto hoc secundo secundi Libri capite. Hinc constat totius mundi Dominum Deum esse; & Petrum non habere dominium naturale in res quas non produxit.

THESIS II. *Deus rerum omnium terrestrium, quæ ab hominibus producta non fuerant, dominium & usum homini tradidit negativè, hoc est, non interdixit, non negavit.*

Hæc assertio est clarissima; quia non est lex divina aliqua, quæ homines domini rerum terrestrium declaret incapaces, aut illis earundem usum neget; vel qui dissentis, illam exhibe.

Hæc Thesis non solum est vera de homine sumpto indefinitè, sed etiam de homine quocumque in singulari: nulli enim interdicitur divinitus habere do-

minium; nulli indicitur ne terrenis utatur.

Subscribunt nobis Mahometani & Idololatræ, & quotquot libris Canonicis non concedunt infallibilem auctoritatem: hæc enim conclusio esse vera cognoscitur lumine puro naturali.

THESIS III. *Deus, vegetativa & sensitiva, quæ ab hominibus producta non sunt, homini concessit positivè.* Hoc est; Deus constituit positivè hominem usufructuarium globi terreni. Rationibus id probari non poterit, neque Ethnico vel Mahometano persuaderi. Iudæus autem contradicet mihi, quin etiam ipsi Moyfi & Davidi. Usufructuarium dicimus, qui utitur re alienâ & salvâ illius substantiâ est omnium appendicium dominus. Ergò homo constitutus divinitus usufructuarius Orbis Terræ, dicendus est habere verum dominium in Telluris accidentia vegetativa, & sensitiva. Vegetativa homini concessa fuisse lego Genesios 1. 29. ubi *Dixit Deus; Ecce dedi vobis omnem herbam asserentem semen super terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui.* De sensitivis paulò ante, *Benedixitque illis Deus, & ait; — Dominamini piscibus maris, & volatilibus celi, & universis animantibus quæ moventur super terram.* Et sub finem octavi Psalms; *Quid est homo quod memor es ejus; aut filius hominis quoniam visitis eum? Minuisti eum paulominus ab Angelis.* (Hebr. paulominus à Deo.) *gloriâ & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus: oves & boves universas, insuper & pecora campi; volucres celi, & pisces maris qui perambulant semitas maris.* Ex his ego. Verba Sacræ Scripturæ intelligenda sunt in sensu perfecto & rigoroso, nisi fortè necessitas nos cogat ad sensum translaticium recurrere. Atqui hinc nulla necessitas cogit discedere ab expositione propriâ & positivâ; ergò dicere debemus dominium verum & positivum in vegetabilia & sensitiva hominibus concessum esse. Huc respiciebat Clemens I. cum dixit, *Communis usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse debuit.* Epistolâ superius citatâ.

900 Hæc Dei donatio non se extendit ad omnia vegetabilia & sensibilia, sed ad illa solum, quæ sine industriâ humanâ sunt producta; ratio est, quia producta humanâ diligentia pertinent ad ipsum productorem tâquam ad causam naturalem, juxta ea quæ diximus; nec dicendus est Deus voluisse privare solertes & diligentes homines industriæ fructibus, ut daret ignavos; nisi velimus esse stupidiôres Atheis; expediret enim negare Deum, quam illum adserere ingrâtum, imprudentem, tyrannum.

901 Si agamus de speciebus animalium, reperiemus veterum errores notabiles; errores dico, si loquuti sunt, ut citantur. Fuerunt statim in primitivâ Ecclesiâ aliqui qui nihil dicebant debere asseri aut teneri quod in Scripturis expressum non esset: idè negabant homini dominium in cete, balenas, & bestias illas, quarum non fit expressa mentio in verbis Domini citatis.

902 Nulla afferenda sunt, quæ neget sacra pagina, sed non omnia in sacris libris sunt denota, multa enim solerti studio investigantur. Sed esto nihil rationi deferamus, negentur omnia quæ ab scripturis Canonicis non affirmantur; an idè homini negandum venit dominium in cocodrilos, serpentes, aspides, cete, tynnos, balenas, feras, & alios ferocissimos naturæ partus? An quodpiam istorum dici poterit nec esse pisces, nec esse avis, nec esse animal quod movetur super terrâ? convincit absolute hæc ratio, quæ roborare poteris alijs quas expedit Basilius Hom. 10. in Genes. ex quibus concludit Homines esse Dominos universarum animantium, *His sanè argumentis elucescit, ait, ab ipso Deo vim ceteris omnibus imperandi delatam esse homini ubi vis gentium constituto; atque hinc factum est ut balena, omniaque maris monstra, vel solis nominibus horrenda sub hominis ditionem atque dominatum subiecta & substracta sint.*

903 Quieverant universi edocti à Basilio & maris monstra subditi domino humano sentiebant; Theodoretus errorem obsoletum ex lethæis abyssis excitavit, dicens; *Non igitur dominatur homo cete illis grandibus, neque bestijs, quæ fortasse ab initio non propter ipsum creatæ sunt.* Probat frigide

ex Genes. 1. & Psal. 8. fortè aliter scripturus, si legisset Basilius prisca ævi oculum, & excellentissimos nostri sæculi expositores.

THESIS IV. *proprietas in elementa nulli mortalium dedit Dominus.* 904

De **I G N E** certum est; primò quia non constat evidenter dari hoc quartum elementum, imò illud doctissimi viri negarunt. *secundò*, quia licet daretur, non est aptum ut subsit hominis arbitrio: nec occupari; nec perdi, nec acquiri potest.

A E R I S elementum est notum naturæ beneficium & necessarium; dominio hominum subest sed indirectè, quicumque enim territorium aliquod possidet, est per accidens dominus supersidentis Aëris. **D o m o s** erigimus, & spacijs aularum, quæ non nisi aërea sunt dominamur. Erigendis turribus nullus terminus à naturâ præfixus ratione dominij; brevis propter difficultates. Si benè examinetur ædificia superba pignorum instar vilescunt, si conferantur cum Atlante aut alijs montibus elatis: hi autem aërem ipsum non superant, quamobrem dicere oportet gygantæas turres ultra primam regionem aëris humanitatis extolli non posse.

T E R R A M potuit Deus submittere humano dominio positivè: potuit etiam non facere. Inquiris, utrum fecerit? ero rationis expertus si præteritam decidere à ratione, dubium, quod solummodo pendet à factò. Conferens autem paginæ sacrae auctoritates reperio Terræ & Aquæ directam proprietatem nunquam hominibus fuisse concessam positivè.

Primò, Genesios 1. 28. asseritur dixisse Deus hominibus; *Crescite & multiplicamini & replete terram, & subjicite eam; & dominamini piscibus.* &c. **D o m i n i u m** conceditur in pisces, in aves, in pecudes, armenta, feras, & si vegetivorum meminerim, in arbores, & herbas universas: reliquam in terram non conceditur, sed dicitur *replete terram*, hoc est, ita multiplicemini ut occupetis eam. Additur; *subjicimini eam.* Non dixit Deus; *Ego constituto illam vobis subditam, vestro arbitrio subiectam;* sed potius, *subjicimini eam;* hoc est permitto vobis ut illam subigatis vestro imperio, & subiectatis vestræ privatæ auctori-

authoritati. Ecce terrarum divisionem sacra litera insinuat, communionem autem non probat: videtur enim Deus potius consuluisse terræ divisionem, quam indulgisse dominium in communi. **F a c u l t a t e m** igitur concessit Deus unicuique homini ut sibi adpropriaret territorium, quod non esset alterius.

907 Confirmatur hæc assertio ex Hebræo originali. Ibi: *Replete terram, & subjicite eam:* à radice **שָׁבַע** cabas *subjicere, subigere, subjugare, vi & violentiâ occupare;* ut exponit Sanctes Pagninus à Mercero recognitus, & probatur ex Zachariæ 9. 15. **וְיִשְׁבְּעוּ** quod exponit R. Ionah, *subjicient inimicos suos lapidibus explosis fundâ Thargum Onchelos Replete terram & roboramini super eam.* aut ut Fagius apud Merfennum transtulit. *& fortes estote super eam.* Seniores septuaginta dixerunt, *Replete eam, & κατακυριεύσατε αὐτῆς & dominium adquirite in illam;* non igitur dominium illis actuale contulit, quibus *adquirite dominium* dixit.

908 **M A R E** posse hominum dominio subjacere non dubitarunt Veneti qui illud ab Alexandro III. Romano Pontifice petierunt, subscripsit illud concedens Alexander. Historiam narrat Sab. *libr. 7. Decad. 1.* asserens hunc Pontificem timètem minas Friderici I. Imperatoris confugisse ad Venetos asyli causâ. Isti navalem classè exornant, præficiunt Ducem Sebastianum Ciamum, contra Othonem Imperatoris filium Adriaticas oras instantem. Solvit è portu Dux, Othonem adoritur, superat, & triumphans revertitur ad patriam. Victori congratulatur exul Pontifex, annulum aureum porrigès & dicens; *Accipe, Ciane, & me auctore ipsam mare hoc tibi pignore obnoxium redde, quod tu cuique successores quotannis stato die servabis; ut omnis posteritas intelligat maris possessionem jure belli esse vestram.* Quæ solennitas traducta ad Gentilitias rubricas annis singulis ipso die Ascensionis celebratur.

910 Esto subjacere possit: inquiris an Adamo & reliquis hominibus ex Dei dono subjaceat? An Deus maris Dominus maria ipsa subjecerit dominio humano? Negativè debemus respondere, qui sincerè

resolvere dubium velimus, non enim in sacra pagina existat litera quæ favere videatur. Homines ergò non receperunt à Deo dominium in mare positivum. Ipsi non est interdictum mari præesse: ergò superest, ut in id vel dominium naturale habeant, vel nullum habeant positivum. Sed quia hæc controversia est hodie celebris propter duos libros, quorum alter inscriptus *Mare clausum*, alter *Mare liberum*; addam aliqua excerpta ex excursu brevissimo ante annos aliquot scripto, cum ab amicis de maris dominio consulere.

Utrum Mare sit physici dominij capax?

Licet ex his, quæ de terræ dominio supra diximus, controversia præsens facillimo negotio dissolvatur, placuit presentem difficultatem controversare in eorum gratiam, qui eruditioni insudant.

Nomine *Maris* non solum vastissimum Oceanum intelligo, sed etiam freta & copias aquarum mediterraneas; fluvios quoque huc referas, quorum dominium indirectum ratione littorum acquiritur, directum verò ut Pelagi & Maris.

912 **D o m i n i j** capax illud dicitur, quod subjici potest dominij praxi aut usui: praxi quidem cum destruitur, usui cum uni soli serviens ceteris hominibus clauditur. **D e s t r u c t i o** duplex; **Phyfica** & **Moralis**; **Phyfica** diceretur mare destrui, si vel totus Oceanus, vel ejus aliqua pars industriâ humanâ siccaretur. **Moraliter** destrui diceretur, si hominum potentia ita clauderetur, ut peregrinis non pateret.

913 His positis fit prima conclusio. *Totum mare non est capax dominij Physici.* Prob. primo dominium **Phyficum** in totum mare Principes non habent nec habituri sunt, id enim ad unam causam efficientem spectat, Deum scilicet; Principes enim Oceanum non produxissent certum est. **Virtuale** dominium **Phyficum** in totum Oceanum viribus naturæ hominibus negandum est, quorum potentia non est tantâ ut omnia maria servare possit & hoc titulo in servitute subigere; illud destruendo aut siccando. Si de parte Oceani procedat quæstio, oppositum statuendum est. Sit igitur

914 *Secunda conclusio. Pars Oceani deterrata*

minata potest subijci homini ut virtuali, & forte tanquam physico Domino. Ostenditur, physicus rei dominus ille, qui rem liberè produxit, quàm non producere etiam posset; atqui potest Princeps maria producere: ergo & habere physicum dominium in maria. Vt minorem persuadeam supponamus Vlisingsensem Insulam, quæ Zelandorum potentiâ à maris tyrannide defenditur, eorundem autoritate aggeribus fractis inundari; assero illos futuros hujus novi maris veros physicos aut saltem virtuales dominos, & efficacissimè persuadeo. Iure dominiij physici res pertinet ad physicum ipsius Authorem; sed maris, quod Insulæ submersæ superest, Zelandi sunt Authores physici: ergo & physici domini. Minorem probo; physicè & realiter loquendo est verum dicere, Hoc mare, quod inundat Vlisingsensem Insulam, antea non fuit, & physicè nunc est: ergo qui disruptis aggeribus terram inundationi permiserunt, novi maris dicendi sunt physici Authores.

915 De dominio physico indirecto est minor difficultas, partes enim Oceani etiam notabiles singulis diebus destruimus, & in habitabilem terram convertimus, testor Herculeam Belgarum pertinaciam apud quos hodie urbes illustres ubi heri nauticæ excipiebantur classes. Ferè tota Zelandia aquis Oceani inferior est & nihilominus vel invito Oceano habitatur. Cum igitur aliquis Princeps immisis per Oceanum aggeribus aliquam telluris partem liberat ab undarum tyrannide, dicendus est & maris quoad illam partem destructor & physicus telluris Author. constat est dictis servatâ discursus analogia. sicut erat verum dicere in Insulâ inundatâ, Hic est mare, & antea non fuit, Hic non est arida, & antea fuit, sic etiam in campis à mari recuperatis, quos Belga *Polders* nominat, est verum dicere, Nunc est arida & antea non fuerat, Nunc non est Oceanus & antea fuit. Ergo sicut aggerum destructione terra in mare convertitur, sic & erectione mare in aridam: igitur vel mare vel terra, si de novo fiat, pertinebit physicè ad Authorem.

916 Dices nec terram fieri cum arcetur, neque Oceanum destrui: industria enim

humana id unum efficit, quòd terra apparet quæ antea erat submersa; non quòd producat, quæ antea nò erat: aggeribus arcetur mare, non destruitur; ergo sicut non datur ens physicum, quod antea non esset, sic nec Author physicus, ac per consequens nec dominium physicum. Vt maria nova destruas uteris discursu parallelo. Cum inundatur Regio ais, non perditur terra, quæ fuerat, sed submergitur; non gignitur aqua, quæ non fuerat, sed marina admititur: nulla igitur productio physica, nulla causa physica, nullum dominium physicum.

Respondeo breviter me consultò asse- 917
ruisse adquiri dominium physicum vel virtuale; hoc est, aridæ & maris partes aut physicè fieri, aut ita se habere ac si physicè factæ. Addo etiam me consultò à nomine *Terra* abstinuisse, & de *aridâ* habitabili regione tractasse. Vbiq; sanè sub Oceano terra, non arida. incipit esse quâ-primus Oceanus non esse, ille igitur qui aggeribus undas excludit terram non facit physicè sed facit aridam, nempe regionem habitabilem: *Terra* igitur non quæ terræ sed quæ aridæ & habitabilis asserendus est physicus dominus. Nec placebit discursus, si ad moralia recurras, quia terram esse habitabilem non est aliquid morale in ipsa terra sed est aliquid physicum, talis enim terra non dicitur quousque omnia impedimenta excludantur, quæ physicè illam inhabitabilem reddebant.

Vtrum Mare sit capax dominiij Moralis?

918 **P**rovehimur pontu & in vastissimum Oceanum ingredimur: utrum ille physico dominio subsistat non examino, suppono enim non dari Oceani humanam causam, quæ illum produxerit physicè directè aut indirectè. Inquiri, An liquidæ undarum regiones sint moralis dominiij capaces.

Conclusio. Nullus homo potest habere 919
morale dominium proprietatis in totum mare. Prob. Ille dicitur habere dominium proprietatis, qui rem non solum potest corrumpere moraliter nempe vendendo, dâdo, commutando, sed etiam physicè corrumpendo, deperdendo, ut patet in rebus quibus-

quibuscumque quarum dicimur domini. Petrus dominio proprietatis domum possidere asseritur, quam non solum vendere aut donare potest, sed etiam physicè destruere aut incendendo aut deijciendo, unde si domum destruere non posset, non jam proprietarius sed usufructuarius diceretur. Atqui altos Oceanos nemo potest destruere, nemo igitur habere potest in Oceanum dominium proprietatis.

920 Dices dominium proprietatis sufficienter intelligi cum domini autoritate res corrumpuntur aut annihilantur moraliter, mancipij enim proprietarius est dominus qui illud aut vendere aut donare legitime potest etiam si non possit occidere.

921 Tangitur hic curiosa difficultas quam superius exposui, & ex disputatis proprio loco nunc breviter ad objectionem, nego mancipia ad quempiam pertinere jure proprietatis etiam postquâ legitime servata. Cum bello iusto aliquis capitur, qui occidi potest, indirectè subditur interceptori, ab hoc occidi, ab hoc vendi, ab hoc donari potest. Si nullæ leges contrarium disposuissent & nullæ fuissent concordia interposita occidi etiam possent captivi: sed communis legislatorum resolutio interdixit ne occiderentur, qui victorum benignitate pacto implicito aut expresso servati. Ex harum legum vi mancipij aut servi dominus est quasi usufructuarius, habet dominium absolutissimæ jurisdictionis, aut si malis utile, non usufructuarius; unde qui mancipium occidere non potest, nec vitam neque substantiam mancipij potest vendere, vendit tamen mancipij operationes, quarum erat dominus; vendit mancipij libertatem, quæ sibi suberat titulo jurisdictionis. manet igitur integrum dominium moralis proprietatis stare non posse sine potentia destruendi physicè res possessas.

922 Conclusio altera. *Mare non potest subdi alicui Principi tanquam humano usufructuario.* Persuadetur. Illud cujus ususfructus ad aliquem pertinet debet cognoscere proprietarium dominum. atqui, ut constat ex precedenti conclusione proprietarium dominum Oceanus habere non potest, igitur nec usufructuarius, major est certa,

quia usufructuarius dominus investitur favore domini proprietarij.

Conclusio tertia. *Mare subditur homini tanquam divino usufructuario.* Hoc est, *Mare pertinet ad Deum, ut ad directum legitimum & usuarium dominum; ad hominem indirectè tanquam ad usufructuarium, cui Deus maris usum indulget.* Constat ex his, quæ diximus sub initium hujus disputationis Thesi III.

Conclusio quarta. *Maris illud dominium, videlicet usufructuarium & morale, potuerunt homines inter se dividere pacto communi; aut lege latâ à majoribus, si ab inferioribus acceptatâ.*

Conclusio quinta. *Aliquot maria in particulari subjecit Deus populo Hebræo in veteri lege.* Ergo ex vi hujus donationis divina, priores domini exauthorati sunt, & Hebræi substituti.

Hæc omnia vera sunt, & discursu comprehendi & claudi possunt: at omninò difficile, An nunc de facto mare ad Reges peculiare pertineat? hoc est, An mare, quod dividi potuit, sit divinâ aut humanâ auctoritate divisum, an potius liberum & commune sit?

923 Ioannes Seldenus opere illo, quod *Mare clausum* dixit, totum ferè Oceanum Anglorum Regi aperuit, alijs Regibus claudens eorundem dominium excludens: Ioh. Isacius Pontanus *Liberum mare* asseruit speciali volumine, sequutus Vasquiu Hispanum: Curiosi poterunt utrumque librum legere & conferre multas curiosas historias reperturi, sed quia neuter rationem formalem dominiij radicatus assequutus fuit, neuter veram doctrinam tenuit. at nos ex efficiente causalitate omnem proprietatem eruentes feliciter resolvere poterimus & paucis omninò verbis, quod post multa ipsi irresolutum reliquerunt.

924 Dico primò, *Non constare authenticè esse nunc Principem aut populum, qui alicujus sit maris dominus titulo donationis divine.* Scio vix ullam esse Monarchiam, quæ nò supponat revelationes, miracula, & electionem divinam; sed quia hæc omnia leviter solent adstrui, prudentissimè debent refelli. Vbi, ut verum fatear, miraculicifores fastidio, & existimo eos qui nugas reducant

reducunt ad miracula, esse in periculo ut miracula reducant ad nugas.

Dico secundò, *Dari in aliquibus parvis maris tractibus non solum morales, sed phisicos aut virtuales dominos.* nempe in illis, qui olim erant detecti, & hodie auctoritate & industriâ publicâ submersi aquis, juxta ea quæ dix supra.

925 Dico tertio, *Non posse negari Principibus dominium indirectum in maria, in quantum ipsa servare possunt ut defendantur terra, quarum habent directum.* Cùm dominium indirectum concedo, vocem expono. Indirecti dominij nomine non intelligo usufructuarium, quia de hoc statim agemus, sed illud quod nascitur ex directo. habes jus directum defendendi tuam vitam, & indirectum faciendi omnia illa, sine quibus vita tua stare non posset: & similiter Angelorum Monarchia habet directum jus defendendi illam Insulam, & indirectum faciendi omnia sine quibus Insula defendi non potest. cumque ipsa in periculo sit si mare sit liberum, negari non potest habere jus claudendi maria littoribus proprijs finitima & quoscumque peregrinos arcendi, admittendo solum amicos sub justis articulis & conditionibus.

926 Dico quarto, *Ex hoc indirecto & per accidens, nasci usufructuarium semper, & etiam aliquando usufructuarium.* Usufructuariū quidem, quia cùm possint Insulani arcere à suis maribus omnes peregrinos, majus dicendi sunt habere jus in illius maris spolia, quam peregrini haberent. ergò & posse piscari, lapides pretiosos & gemmas eruere, & uti quibuscumq; rebus in Oceano natis. Sed & indirectum usufructuarium nemo negare poterit, qui sciat illud formaliter in destruendi potestate consistere, posseque quemcumque cum moderamine inculpata tutelæ occidere in vasorem & munimenta erigere quæ utilia judicaverit. unde sequitur posse Insulanos aut quoscumque mari proximos populos aggeribus ductis tractus marinos in prata & campos convertere; nec potest campus incipere quin mare desinat.

Dico quinto, *Reges, qui habent regionum remotarum dominium posse cavere & claudere maria intermedia alijs nationibus*

propter securitatem. Periclitarentur enim Indiæ ex. gr. Si quibuscumque gentibus liceret maria nostra sulcare, nam expedit nullam classem permitti in intermedio pelago, quæ littora invadere posset, si adpelleret.

DISPUT. XX.

De Honoris humano dominio.

927 **O**STENDERE nos esse Honoris dominos, tametsi à nonnullis assertum, arduum est; præcipue cùm dominium ex sola productione oriatur, & ipse (Deus) fecerit nos, & non ipsi nos. Quæstio est, quæ longo examine indigeret: redacta tamen ad brevitatem poterit decidi supponendo honorem esse duplicem; essentialem & accidentalem; & hunc subdividi in acquisitum & hereditarium. Essentialis est moralis vita, accidentalis est moralis salus. Acquisitum nos lucrati sumus, & habemus ab alijs hereditarium. Nam sicut Apelles mutando colorum & penicilli locum, depinxit Alexandrum; unde hanc consequentiam legitimam esse asseruimus; *Apelles fecit Alexandri imaginem; ergò est dominus ejusdem imaginis*: non aliter ipsemet Alexander bellicas difficultates superando, suum nomen reddidit per-illustre, & acquisivit honorem, cujus dici debebat dominus, quia fuerat author. Honos hereditarius haberet à parentibus, patriâ, consanguineis, amicis, imò & ab ipsis inimicis. Honorificum viro est a vitâ suorum nobilitate decorari; esse ex victrice & opulenta provintia oriundum; habere fratres, cognatos, & amicos Principes; esse talem, qui potuerit illi aut alteri Regi obistere, contraire, opponi, inimicari, prævalere. Sed qualiter hunc honorem hereditarium possideamus, exponitur à paucis; sed pro resolutione

928 **DICO PRIMO;** *Hæc consequentia [est filius, ergò & hæredes.] est legitima ex naturâ rei.* Hoc non tam facile demonstraret Ethnicus; sed facili negotio Christianus. quia Paulus usus est hoc ratiocinio, ut ostenderet hominem esse cælestis regni hæredem, quia erat Dei filius: sed si hæc

si hæc illatio penderet à solo jure humano, esset argumentum inefficax, multa enim conceduntur jure humano filijs respectu parentum naturaliū quæ respectu Dei univerforū Creatoris & Domini cōcedi non possunt. Et ut alia omittam *Emancipatio* (quæ filius redditur sui juris, & incipit non esse subditus parentū) respectu Dei non habet locum; nemo enim est qui ex manu dominij ipsius possit eruere. unde qui diceret, *Sumus filij Dei*, ergò emancipabiles à dominio ipsius Dei, falsum ex assumpto verissimo inferret. Ergò ut Pauli consequentia habeat vires, non sufficit quod illud assumptum antecedens habeat à jure humano vires inferendi illud consequens, sed est opus ut has habeat à jure ipso naturæ, vel potius ab ipsa natura.

929 Igitur vivente tuo patre, habes vitæ usum, sed vitæ cujus dominium habent Authores tui; nimirum proprietatis, unus & solus Deus; jurisdictionis Deus, pater, [& etiam mater si activè mulieres concurrunt.] Tuam vitam pater impendere prudenter potest, prodigere non potest; quia non est absolutus dominus, sed condominus, & quando prudenter eam exponit & expendit, operatur nomine proprio & Dei, cujus Vicarium agit respectu suæ familiæ; cæterum si illam prodigeret, hoc est, imprudenter expenderet, nõ ageret ut Dei Vicarius, Vicarius enim nihil potest contra voluntatem delegantis, & Deus, qui illi auctoritatem hanc delegat, condemnat actiones imprudentes. Pater filij sui est cōdominus, quia fuit concausa: & quoniam in productione Petri, ejus pater à Deo dependebat, & non Deus ab eo; hinc est, quod in dominandi exercitio Deus dependeat à nemine, & omnes patres & principes ab eo depēdeat; unde & ipse, *Per me Reges regnāt*, affirmat.

930 Cùm pater moritur phisicè aut moraliter, filius hereditatē adit, & incipit suæ vitæ & honoris dominiū illud jurisdictionis aut innatū possidere, quod possidebat pater; nempe condominiū depēdens à dominio Dei. Se occidere nõ potest; tum quia dominus proprietarius non est; tum etiâ, quia si esset, non posset sine Dei licentiâ; quando enim res subsistit duorū dominio, ita ut alter in dominando ab altero depēdeat, inferior nequit illā destruere sine li-

centia Superioris: Ergò nec homo poterit suum honorē prodigere: honos enim vita moralis & civilis est, nam qui infamis, politicè mortuus.

Præterea, honos qui est in Petro, nõ solū est Dei, & parentum, sed & Patriæ, Cōsanguineorum, Amicorum; imò, ut suo loco videbimus, quodamodò etiam inimicorū; quia ex honoris ingenio & cōvictis sodalitatibus compacto, honorē nõ solum nobis, sed & nostris adquirimus: ergò sicut Petrus, tametsi haberet licentiâ occidendi se phisicè, nõ posset ex vi hujus licentiæ occidere suos Parentes, Cōsanguineos & Sodales, nec Patriâ perdere; sic similiter licet diceretur dominus sui honoris, non posset moraliter occidere Parentes, Consanguineos, Sodales, nec Patriâ moraliter perdere; atqui hoc patraret, qui se infamē redderet: ergò. Probatur minor; quia dilapidaret honorem, quæ in se Parentes, Patria, Cognati & Amici deposuerant.

DICO SECUNDO; *Homo est absolutus & proprietarius dominus honoris acquisiti; ac idè potest illū perdere & conservare;* quia illū sibi genuit optimas actiones eliciendo.

932 **DICO TERTIO;** *Honoris à patria recepti est liberrimus depositarius.* Hoc est, ita est depositarius ut possit non esse. honorem enim à Patria & alijs hominibus receptum abijcere & retinere potes. Si inferas. Ergò poterit Patriæ honorem destruere: distinguam consequens. Admittam posse illum qui est in se, non qui in Patria. Verbi gratiâ. Facis lucidissimo splendore tota aula, fulgeat. si illam adis etiam luce perfunderis; luce, inquam (ut communis opinio fert) distinctâ numero à luce facis in te tamen productâ. nihil obest quod hanc possis extinguere te à loco illuminato subtrahendo, at lucem quæ est in face, cum tua non sit, extinguere nequaquam potes. Si dicamus unam & eandem numero lucem per totam aulam diffundi, dicam; te non teneri illâ invitatus affici, non tamen posse facere quod non sit in rerum naturâ. Sic similiter de honore philosophor. moralis splendor quidam est, & legibus analogicis subditus. Si Patria verbi causâ te illustraverit honore à suo numericè distincto, illum amittere liberè potes, illa so tamen Patriæ honore, illo, qui non te, sed Patriam afficit,

afficit, cujus tu nullo modo es dominus. Si autem honos ille patrius nequidem numero distinguatur ab honore Patriam afficiente, sed ab illo Patria intrinsicè, extrinsecè denomineris, poteris legitimè facere non quidem quod honos ille non sit entitativè, quia entitas & existentia ipsius tuo dominio non subest, sed facere ne illo denomineris; non enim teneris invitus moralibus Patriæ qualitatibus affici.

933 **DICO QUARTO;** *Nemo potest sine iniustitiæ crimine facere quod Patria, Parentes, Fratres, Cognati, & quicumque alij proximi perdant auctoritatem quam ipse non dederit.* Sicut bene stat facem non extingui & tamen non illuminari, bene etiam stabit te cedere aut perdere honorè receptum à Patria, & tamen honorè qui est in Patria non extingui aut remitti. Quod si nō solū patrij honoris illam extensionē, quæ te concernit tolleres, sed ipsū perdes, injurius esses illius honoris domino, & secundum materiæ quantitatem peccares.

934 De honore à te adquisito major difficultas suboritur, nam licet tibi sit intrinsicè Patriam extrinsecus afficit, & sine ejus detrimento perdi non potest. Respondeo non omnem incommoditatem aut damnum esse injuriam, nam judex qui cogit te ut solvas creditoribus incommoditatem; & cæli rigor qui hortum tuū arefecit, damnum infert; & neuter tibi injuriam facit. Cum honorem adquisitis, in te intrinsicè, in Patria, Conanguineis, Amicis &c. extrinsecus deponis: Patria tuo honore dives, depositaria tamen, illo tuo carebit honore cum primum libuerit repetere: fortè incommoditatem inferes, non tamen illi injuriam facies, resumes enim quod suum non est, sed tuum.

935 **DICO QUINTO;** *Honos accidentalis (adquisitus aut hereditarius ipse sit) supponit ut fundamentum essentialem.* Corpus naturale vitam & robur habet, item morbos contrahit, & tandem obit. sic & morale. Hominis moralis vita, ille honos est, sine quo moraliter esse nō potest, ille quo sublato moraliter obire debet. Honores verò accidentales sunt bonæ quædā dispositiones, quibus moralis vitæ robur, vires & valetudo accrescunt. Audiunt accidenta-

les, quod adesse soleant & abesse absque subjecti morali perditione & excidio.

Honori infamia opponitur, quam eadem divisione partimur. Infamia essentialis hominis moralis mors est, accidentalis morbus. Quibus positis subjungo

936 **SEXTO;** *Nemo est honoris substantialis dominus. Sed usufructuarius.* Patet; quia ille est nobiscum natus, non industriâ adquisitus, non à majoribus hæreditariò habitus, sed Dei liberali beneficio ad usum concessus, non secus ac vita naturalis.

937 **SEPTIMO;** *Sicut nemo potest sibi mortem naturalem consciscere, sic nec moralem.* *Utramq; tamè potest homo prudenter exponere & expendere indirectè, directè bonum majus prospiciens quod aliter adquiri non potest.* Patet, quia sicut militamus cum mortis naturalis periculo ne Respublica damnum aut detrimentum grave patiat; sic etiã nonnulli sancti Religiosi sub Christi labaro merent, & quia correctionis fraternæ benignitatem non cognoscunt, Deo militant cum vitam moralem seu honorè amittendi periculo, ne sua Respublica damnum grave ex indisciplinatis alicujus particularis moribus patiat. Nam sicut militum vita bene expenditur cum in defensionem incolumitatis publicæ, sic etiam eorundem honos bene impenderetur, si in conservationem publicæ auctoritatis.

Hinc patet tam posse se infamare hominem, quam potest miles sibi mortem consciscere; hoc est, non posse directè, sed indirectè serviendo directè Reipublicæ, aut alicui majori obligationi.

938 **OCTAVO;** *Potest quicumq; cedere jure conservandi honorem acquisitum & hereditarium, non verò conservandi essentialem.* Patet, quia potest cedere jure habendi salutem non verò habendi vitam.

Hinc constat juris secreti cessionē non requiri, ut omisso correctionis fraternæ ordine crimina Religiosorum deferatur. nam si illa delatio bonum ejusdem Religiosi aut Communitatis respiciat, quod interposito correctionis ordine obtineri non possit, cessat legis aut privilegij finis, ac per consequens ipsamet lex, ipsemet favor: nulla enim subdito fertur nociva, nullus perniciosus conceditur, ut patet in naturalis vitæ conservatione, quæ non

quæ non obligat cum detrimento majoris boni; hoc est, vitæ publicæ corporeæ, aut spiritualis privatæ.

939 Hoc præmissò sententiarum delectu constat errare Caietanum 2. 2. *quest. 73. art. 2.* Sylvestrum *verb. Detraçtio qu. 3.* & alios negantes homini omne famæ & honoris dominium, errare Lessium *de Just. lib. 2. cap. 4. dub. 11. num. 59.* Sotum *lib. 4. de Just. quest. 2. art. 3.* Adrianum *in 4. quest. de Restit. circa fin. Covarrubiam lib. 2. var. c. 2. n. 8.* & alios plenum eidem dominium concedentes; nam ex dictis constat, esse honoris accidentarij dominum, & administratorem essentialis.

940 *Vt autem probes competere homini absolutum & plenum honoris dominiū arguis primò Angelici Doctoris testimonio qui 2. 2. q. 64. a. 5. ad 3. docet, Hominem licitè posse disponere de se ipso, quantum ad ea quæ pertinent ad hanc vitam: sed transitum ex hac vitâ ad aliam non subjacere libero arbitrio.* Cum autem perdere honorem, non sit transire ad aliam vitam, colligitur sensisse D. Thomam honoris possessionem & perditionem subesse hominis proprietario dominio. Sed & clariùs *q. 73. art. 4. ad 1. dicens, In cujuscumque arbitrio esse pati detrimentum suæ famæ, nisi hoc vergat in detrimentum aliorum.*

941 Respondeo tamen primò nos non profiteri Divi Thomæ scholam, adeoque ejus testimonijs non urgeri: secundò eundem Angelicum Doctorem pro nostrâ sententiâ militare. nam in primo testimonio potest dici abstrahere à rebus moralibus & agere de naturalibus quales sunt opes, salus, & vita; vel agere de moralibus etiam, & quia honorem essentialem (quem vitam moralem esse credimus) & accidentalem (quem ad salutem & divitias morales referimus) cognoscimus, existimantibus hominem licitè posse disponere de seipso, hoc est, de suâ famâ & honore, quantum ad ea sine quibus stare potest moralis vita; sed transitum ex morali vita & essentiali honore ad mortem moralem & statum infamiæ non subjacere libero arbitrio. Addimus in cujuscumque arbitrio esse pati non quidem perditionem totius famæ, sed de-

trimentum; illæso enim essentiali & necessario requisito potest diminui accidentalis.

942 Illam limitationem, quam D. Thomas posuit dicens, *Nisi hoc vergat in detrimentum aliorum*, admitto, si exponatur juxta ea quæ dixi positione 3. 4. & alijs. Videtur illa ex Augustino *lib. de bono viduitatis cap. 22* ubi lego, *Conscientiam nostram esse necessariam nobis, famam proximis; ac proinde crudelem esse qui famam negligit.* Primò enim habenda est ratio boni nominis, ne alios scandalizemus; secundò ut prodesse possimus. Scandalizare autem proximum nūquam possumus, prodesse semper tenemur, si ille mediocriter indigeat, & nos sine proprio detrimento possumus; aut si ille extremè indigeat, etiam cum rerum ordinis inferioris detrimento, aut tandem si ratione officij illi teneamur præstare obsequia quæ nō possemus utiliter, si negligemus honorem.

Arguis à ratione & ais. Non potest restitutionem condonare, qui non est rei ablatae dominus; at homo potest condonare famæ restitutionem: ergò est honoris proprij dominus.

943 Respondet Adrianus esse inefficacem hæc rationem, laborat enim, ut putat, majoris falsitate; quia nec homo est suorum membrorum dominus, & tamen potest mutilationem condonare. Sed ut bene notat Lessius *ubi supra* vim objectionis non fuit adsequutus Adrianus. Nam inter honoris detractionem & membri mutilationem est summa differentia; ille restitui potest, hoc non potest. & si hoc posset restitui, condonari non posset. Cum igitur mutilationem condonare asserimur, condonamus injuriam, & fortè aliquod pretium quod deberemus judicis sententiâ, aut parium concordiam recipere, non ipsamet mutilationem; quod etiam facere poterimus honoris irrecuperabilem jacturâ passî; nam debemus condonare injuriam, & poterimus condonare pretium si detractor quæ ad æqualitatem non potest restituere, velit rependere bona fortunæ aut alterius ordinis donando.

944 Ego autem solidè respondeo majorem concedendo, & minorem si agat de famâ essentiali negando, si de accidentali di-

stinguendo, concedendo si non sit obstricta alteri homini, aliàs negando. Pro illius minoris discussione multa attuli; & quia puto non sufficere adhuc aliqua adjungam, & laudo ingenij Leonardi Lessij tranquillitatem, qui hoc assumptum multis difficultatibus laborans universalliter sumptum putat se demonstrasse, quia dixit *Certum esse*. Dico igitur hominem non posse condonare restitutionem famæ primò essentialis & ad vitâ communè præcisè necessariæ; secundò nec accidentalis, si vel partialiter ad proximum pertineat, non enim condonare posses totam summam furi, qui pecuniam tibi & Petro communem fuisset furatus. *Addo* accidentalem meam pertinere intrinsecus ad proximum cum ad aliquem ut ad purum depositarium pertinet; item quando ego illam illi devinxi admittendo vivendi conditionem cui sine tali honore satisfacere nequeam: tandem quando proximus est in extrema necessitate cui aliter quam conservando meam famam favere non possum. Nam si extremâ labore fame, ero crudelis, si totum triticum inutiliter consumpsero (non laborat extremè probabiliter ab alio stipem recepturus) si innocens sit, & videatur injustè condemnandus si officio Præsidis cessero, crudelis censebor si cedam: & sic similiter, si mea instructione extremè proximus indigeat, crudelitatis crimen incurram si illi desim, adeòque si non posuero omnia media præcisè necessaria, quorum præcipuum est honoris & autoritatis conservatio; non enim bene verbis instruit, cujus vita scandalosa est. Vbi obiter notandum, quòd licet non semper proximum adjuvare teneam, teneor nunquam eum scandalizare. quæ omnia videntur lucem dare & recipere illustri Sacra Scripturæ testimonio, Ecclesiastici 41. ubi indicitur cura boni nominis, cum tamen sepe cura pecuniarum condemnetur.

945 *Arguis iterum*. Quia in multis casibus nos infamare possumus. *Primò* in confessionis tribunali ad obtinendam peccatorum veniam; *secundò* cum petimus rerum agendarum consilium; *tertiò* ad humiliationem, ut cum D. Augustinus confessiones suorum peccatorum scripsit, & latro,

cujus meminit Climacus Grad. 4. peccata sua atrocissima publicè & constantissimè confessus est; *quartò* quando injustè honorem detraximus, debemus enim illi famam etiâ cum nostrâ infamiâ restituere.

Sed omnia ista non probant nos habere aliquod proprietatis dominium in honorem, omnia enim possunt componi cum Cajetani & Sylvestri sententiâ. Dico igitur me majorem libertatem in honorem concedere, quam evincit præmissum ratiocinium, tametsi Lessius illo tanquam robusto utatur. & ostendam omnia posse admitti etsi hominem nullum dominium habere in honorem dicamus. Nam *primum* non urget, in confessione enim sacramentali honos non perditur, peccata enim cõfitemur non homini sed Deo, & nihil potest ex illâ confessione resultare, uti enim confessionis scientiâ est illicitum. Sed esto. admittatur assumptum alias falsum; nonne Deus famæ & honoris dominus sicut & vitæ? Baptismum sanguinis instituit ad peccatorum remissionem & tamen qui sic baptizatur non dicitur suæ vitæ proprietarius dominus tametsi illam expendat: ergò similiter si Christus instituisset Sacramentum in quo honos perderetur, non censeretur honoris dominus qui illum perderet ut hoc reciperet. *Secundum* eodem modo dissolvitur, quia non perditur honor in consultatione, sed sæpe acquiritur humilitatis opinio; soli enim prudentes consuluntur. Sed si perderetur, idem esset; quia nec vitæ sum dominus, & tamen cum vitæ dispendio possum adire magistrum, cum extremè indigeo ejus doctrinâ, puta, ut instruar in materiâ fidei, aut aliâ simili. *Tertium* non urget; quia cum omnes sumus imperfecti, grandius nonnunquam ab imperfectionibus laudamur. Obijt optimus meus amicus Reverendissimus D. Bernardus Campmans, & in funereâ pompâ eum ab imperfectionibus laudavi, & placui; laude enim dignissimû est solum leves habere, & ille pientissimus vir, si nimietatem in ceremoniarum Ecclesiasticarum observantiâ, quæ nonnunquam in imprudentem zelum vergere videbatur, excipias, non homo, sed Angelus fuit. ergò Augustinus cum minutissimas negligentias & peccata

peccata expendit, neminem scandalizat; levia enim enumerat; & si aliquando gravia, nulla quæ infamiam inferant; sumus enim in sæculo, in quo ob depravatam hominum dictamen multa dantur peccata gravia, quæ ignominiam non ingerunt. Et ut rem fatear cum Augustini confessiones, & Theresiæ vitam lego, ubi ipsos sincerius suas negligentias condemnantes video, ibi eos majori laude dignos censeo. De illo latrone publicè peccata confitenti quid dicam? si latro erat, publicus etiam peccator erat, & honore subinde destitutus. cui non ignominiosum sed gloriosum esset, vitam illam relinquere & ad meliorem frugem mediâ publicâ confessione transire. congruè enim est, ut publicè pæniteat, qui publicè scandalizavit. *Quartum* pro nobis militat; nam qui debet alteri tenetur restituere etiam cum proprio detrimento, & tamen in dato casu restituit bonis minoris ordinis. Majus enim jus habet homo ne infametur propter illa quæ non fecit, quam propter illa quæ secretò fecit: majus ne infametur propter illa quæ secretò, quam propter illa quæ coram uno aut altero fecit. Ergò si Petrum infamasti ipsi aut crimen falsum imponendo, aut secretum manifestando, quid dominij relucebit in restituendi actione, maximè cum de detractione & calumniâ graviter suspectus sis qui juridicè non agis contra quem clandestinè obmordes. Præterea si innocentem te calumniâte condemnatum teneris defendere etiam cum certissimo mortis periculo, tametsi non sis propriæ vitæ dominus; cur asserendus eris honoris dominus, quòd innocentem cum proprij honoris jacturâ defendere tenearis? sumus depositarij vitæ & essentialis honoris; nec vult Deus, qui deposuit, illa sibi in proximi innocentis perniciem conservemus. Vbi, tametsi dicta sufficeret, etiam notari velim primò non semper per famæ restitutionem deperdi honorem, potest enim ita rerum series disponi ut detractoris honore illèso satisfiat innocenti: secundò posse gravem honorem detractum levi jacturâ restitui, si Petrus aut se fuisse ab alijs, neminem nominando, deceptum, leviter credidisse, & secundum dictamen

processisse asseveret, jam tamen aliunde illos fuisse detractores deprehendere; sed de hoc redibit sermo, cum in Decalogi Præcepto V. de honoris restitutione tractabo.

Sed inquiri. Possitne Deus præcipere Paulo, ut se reddat infamem? Si bene expendatur, non potest. Sed non præcipites adfensum, quousque meam sententiam exponam. Paulus homo fragilis commiserit peccatum aliquod enorme, cui adnexa sit infamia: indicat Deus, ut hoc revelet. Dico & Deum posse hoc indicare, & Paulum obedire debere: nego tamen ob hanc confessionem factam ex Dei præcepto Paulum fieri infamem; quia præceptum erat de re difficili & ardua, & Deo in arduis & difficilibus exactè obedire gloriosissimum est: aliàs etiam pænitentes confessarijs infames essent; & ipse D. Petrus, qui Christo perfidus, ab omnibus haberetur infamis. Quapropter

DICO NONO. *Potest Deus jubere Petro ut crimen alienum revelet. Petrus obediens Deo infamiam non incurret, faciet tamen meritorie, ut ille cujus revelatur crimen, reddatur infamis.*

Hæc de dominio vitæ naturalis & politica, hoc est, vitæ & honoris; sed statim inquiris, qui debeat honorem detractor restituere? difficilis resolutio est. Debet honorem detractum restituere, quantum possit, & eo modo quo possit. Et quia vix unquam bene potest, vix unquam fit honoris injustè detracti restitutio, quæ dicatur ad æqualitatem.

Sed postulas iterum; An damnum in res superioris ordinis (puto animæ & honoris) illatum per res inferiores ordinis præcisè & per se loquendo resarciendum sit, quando aliter fieri non potest? Respondeo affirmativè. Rationes dubitandi curiosè & acutè Authores nonnulli discutunt, at censeo etiam posse dari æqualitatem moralem ante judicis sententiam & publicam æstimationem, si adsit partiû concordia judicantium. utramque rem (nempe honorem ablatum & pecuniam datam) esse ejusdem valoris.

DISPUT. XXI.

De Dominio morali Dei.

950 **D**OMINIUM morale proprietatis fundatur in productione virtuali liberâ, & in hoc à dominio physico distinguitur, quod illud productionem physicam & realem supponat. Productionem realem & physicam dixi frequentissimè, actionem veram, quâ agens suos effectus producit; productionem verò moralem, illum actum, ob quem terminus ita se incipit habere, ac si realiter illud attributum haberet, quod ipsi dicitur communicari. Verbi causâ: Esse physicè Hispanum depêdet à matre naturali, quæ te in Hispaniâ peperit: esse moraliter Hispanum, seu hispanizari, dependet à matre morali seu Republicâ, quæ per se vel per Regem, juxta consuetudinem Patriæ, concessit diploma, cujus virtute, licet natus in Græciâ, ita te habes ac si esses natus in Hispaniâ.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deus habeat dominium morale seu virtuale rerum?

Virtuale (sive quod idem est Morale dominium) illi competit, qui ita se habet ac si produxisset realiter rem illam cujus dicitur dominus.

Sententia negans.

951 **H**is positis, prima sententia negat Deo dominium virtuale & morale, & solummodo concedit physicum, & nititur his fundamentis.

Primum. Non potest dici virtualiter albus, qui verè & formaliter habet albedinem: ergò non poterit vocari virtualis aut moralis dominus, qui est dominus physicus & realis: atqui Deus est physicus & realis mundi dominus: ergò non potest vocari dominus moralis virtualis. Minorem probat, quia creavit mundum actione verâ & reali.

952 *Secundum.* Tunc quis incipit esse virtualis sive moralis dominus cum ex liberalitate domini physici incipit ita se habere ac si dominus physicus esset; atqui

cum Deus sit princeps & verus dominus, cui physicè subduntur universa, nihil ab hominibus accipit: ergò dominium morale ipsi competere non potest.

953 *Tertium.* Si dominium Dei esset morale, esset commutabile; atqui Deus non potest transferre suum dominium in creaturas: ergò non habet dominium morale. Minorem probat; quia ita est rerum dominus, ut non esse dominus non possit. Et confirmat. Non potest esse creatura, quæ à Deo non sit facta & divinitus non conservetur: non potest intelligi creatio, generatio, productio libera sine dominio. ergò sicut non potest intelligi creatura, quin intelligatur Deo subdita; sic etiam intelligi non potest creator quin intelligatur esse dominus.

Sententia asserens.

Standum est pro parte affirmativâ, dicendumque dari in Deo multarum rerum dominium virtuale aut morale; nempe tale, ut redderet Deum earundem dominum, quamvis illas non produxisset: quod potest multifariam exponi.

954 *Et primò.* Potest Deus virtualiter abdicare à se dominium physicum alicujus rei, conferendo illam Ioanni; ex cujus abdicationis vi remanebit Deus ejusdem rei verus realis & physicus dominus, carebit autem dominio moraliter sive virtualiter, hoc est, ita se habebit ac si realiter careret dominio. Quid si tunc Ioannes dictæ rei dominus eam sacraret Deo & largiretur iterum collatori? Ex vi istius collationis inciperet Deus habere dominium morale & virtuale in eandem rem, quo ante caruisse asseretur. Et probò; quia donationis ingenium tale est, ut ex vi illius Deus fieret hujusmodi rei dominus etiam si nõ creavisset illam. Ratio est, quia si eadem conferretur Paulo esset sub dominio Pauli: ergò si confertur Deo erit sub dominio ipsius Dei novo titulo, nempe titulo donationis aut consecrationis.

955 *Secundò.* Homines etiâ producunt suos effectus quorû sût veri domini. Petrus auri, quod arte suâ produxit physicè, est verus & naturalis dominus: ipsû aurû quoq; subest dominio Dei, qui illud etiâ produxit. Deus & Petrus sunt domini in solidum ejusdem

ejusdè auri domini, inquâ, physici & naturales. Stâdo juri naturæ quis interdiceret ut Petrus aurum Deo consecraret, & Deo totum illud dominium naturale quod in aurum habet offerret? An non Deus, qui ab productione primâ illius metalli ejusdem erat physicus & naturalis dominus, ex vi consecrationis & donationis hujusmodi inciperet esse ejusdem auri virtualis & moralis dominus novo titulo, cum verum sit donationem puram tantæ esse efficaciam, ut sufficeret reddere Deum moralem auri dominum, etiam si Deus illud non produxisset. Quod si transformationes chymicæ chymicæ appareant aut metallorum distinctio substantialis non sit ut doctiores existimant; bene poterimus exempla firmiora reperire. Pro auro arte Petri producto substitue Ioannem filium Petri, qui si Deo consecratur & donetur à patre suberit Deo duplici titulo, nempe suberit quâ domino physico & naturali, utpote productori; & suberit iterum ipsi Deo quâ domino jurisdictionis moralis, titulo donationis. Si in filiorum dedicatione & consecratione novæ difficultates occurrant, substituamus doctrinæ facilioris gratiâ argenti libram à Petro emptâ. Hic expeditius faciliusque philosophabimur. Illa argenti libra subest dominio Dei physico titulo creationis, & dominio morali Petri, jure emptionis. Quid si Petrus, illam deducet & donet uni Deo? suberit quidem Deo sed duobus titulis, jure creationis, physicè; & jure donationis, moraliter.

956 *Tertiò.* Sæpè contingit Deum habere virtuale & morale dominium, quale physicum habere non potest. Verbi gratiâ: Adoptio paternitas virtualis est, ejus virtute adoptatus ita se habet ac si verè & realiter esset filius legitimus & realis; adoptans, ac si esset verus & naturalis pater. Deus, qui hominum Pater naturalis esse non potuit, esse moralis voluit, & communicando gratiam plurimos adoptavit.

Argumentis satis.

957 **E**X dictis non erit difficile argumentis partis contrariæ satisfacere.

Ad primum neganda est assumptio, quia

non implicat unam & eandem formam competere subjecto physicè & moraliter. Cur non poterit idem Petrus esse physicè & moraliter magnus? cur non physicè & moraliter candidus? & ne ex materiâ, quam tractamus, egrediar; cur non physicè & moraliter dominus? vel discurre me prævio. Si in tuâ civitate dives, habeas multa, quæ produxeris physicè & realiter, quorû sis verus & realis dominus. Obsideatur hæc civitas ab Alexandro bello justo, & tandem expugnetur. Illa omnia, quorum es naturalis dominus, pertinebunt ad Alexandrum jure belli; quid si ipse te restituat in bonorum tuorum possessionem? eris herculè bifariam dominus physicus & moralis: physicus quidem, quia illa produxisti operatione physicâ; moralis autem, quia eadem recepisti ab Alexandro, qui belli titulo erat moralis dominus.

958 *Ad secundum* condono majorem; condono inquam, quia etiam alijs modis adquiritur morale dominium: minorem nego, quia etiam creaturæ multa offerimus, consecramus & dedicamus Creatori, ut constat ex his quæ dicebamus.

Ad tertium distingo majorem, Si dominium Dei esset morale, esset commutabile moraliter, concedo; esset commutabile physicè, nego. Atqui Deus non potest transferre suum dominium in creaturas, distingo minorem. non potest transferre suum dominium morale, nego: non potest transferre suum dominium physicum subdistinguo; non potest transferre realiter concedo, virtualiter aut moraliter nego.

959 *Ad confirmationem* concedo non posse esse creaturam, quæ realiter non sit producta à Deo; sed dico posse dari quæ virtualiter & moraliter non sit producta à Deo; quia potest Deus ita se habere ob aliquem nobiliorem finem, ac si realiter non produxisset illam, abdicando moraliter à se illud dominium quod ei debetur titulo productionis. Sed de abdicatione & translatione dominij in sequenti controverfiâ tractabo.

ARTICV:

ARTICVLVS II.

De domini morali abdicatione & translatione.

Potest Deus virtualiter abdicare & exuere non solum creaturarum dominium, sed etiam suam omnipotentiam & reliquas omnes perfectiones. Videtur hoc colligi ex varijs locis Sacre Paginae. Dabo unum testimonium, ex cuius notitia evadent reliqua delucida, conspicua & clara.

960 Init pactum cum Abrâ Deus Genesios 17. & ait, *Ambula coram me, & esto perfectus; ponamque fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis. — crisque pater multarum gentium. — faciamque te crescere vehementissimè, & ponam te in gentibus, Regesque ex te egredientur — daboque semini tuo omnem terram Chanaan in possessionem aeternam.* Ac si diceret. Ego sum Dominus Deus tuus, qui physicè produxi te. Possum tibi negare gratiam superstiti, & deviventi gloriam, absolutus universalium rerum Dominus. Cæterum ex hypothesi, quod ambules coram me & perfectus sis, ita me habebis ac si carerem potentia quæ te destrueret, autoritate quæ tibi posset negare lauream sempiternam. Multiplicabo te vehementer nimis, investiam nepotes tuos diadematis Regijs, & successoribus tuis regionem Chanaanæorum concedam; in quarum omnium rerum executione ita me habebis, ac si carerem libertate, quâ possem decernere contrarium.

961 Ecce Deus qui physicè loquendo infinite potens & infinite liber est; ex vi huius fœderis privatur potentia & libertate, non quidem physicè, sed virtualiter, quoniam ex vi stabiliti fœderis ita se habet Deus, ac si careret omnipotentia & voluntate, quibus posset contrarium aut efficere aut velle. Ergo Deus potest suam voluntatem, omnipotentiam & alia attributa non quidem physicè, sed virtualiter & moraliter exuere & abdicare.

962 Vt hæc altius atque perfectius percaleamus notandum est *Abdicationem esse duplicem, nempe cum translatione, & sine translatione.* Cum dominium transfertur

Donatio est, cum non transfertur Abdicatio. Donatio est duplex; absoluta & hypothetica. Illa absolute & simpliciter dantur, quæ gratis: illa hypotheticè quæ posita aliqua conditione. Hypotheticam translationem reperio in Iustitiâ commutativâ, nempe in emptione, venditione, mutatione: item in distributivâ quæ meritis præmia, & demeritis poenas adscribit. Proderit eadem latius explicare.

963 Dominium abdicare dicitur qui dominium exuit, & dominium ad alium non transfert. Hoc autem videtur impossibile. **Q**uia dominium est accidens morale: ergo requirit subjectum cui inest. Ergo sine subjecto esse non potest. Ergo non potest egredi ex uno subjecto quin transeat ad aliud. Confirmat hoc analogia omnium rerum. Corpus quod est in loco non potest unum ubi perdere, quin adquirat aliud, res quæ sunt in tempore nequeunt fuisse in uno instanti quin sint in alio; ergo dominium nequit egredi ex una personâ quin ad aliam transeat.

964 Vt huic argumento respondeant alii qui confugiunt ad Sacramentum Eucharisticum, ut ostendant dari posse accidentia physica sine actuali subjecto: & hac ideâ intendunt debellare positas consequentias. Arguunt sic. Tunc philosophamur bene, cum agimus moraliter de moralibus, ut de physicis physicè; atqui accidentia physica possunt esse sine subjecto: ergo & moralia. dominium igitur esse sine subjecto poterit, quia est accidens.

965 Sed hæc ratio præmittit majorem certam, quæ est basis totius moralis Philosophiæ; quam qui non admiserit, de moralibus disputare non potest. subsumit minorem distinctione indigentem: Accidentia physica possunt sine subjecto esse, non quidem naturaliter, sed miraculosè: ergo idem dicendum est de moralibus. Hæc igitur ratio solum probat dominium posse miraculosè carere supposito, non autem probat posse carere naturaliter. Ergo vel dicendum est abdicationem sine morali miraculo contingere non posse; aut aliter præmissæ rationi esse satisfaciendum.

966 Solutio vera totum primum syllogismum admittit; concedit dominium sine subjecto

subjecto esse non posse, subjectum autem bene posse esse sine dominio: exemplo est lux, quæ perit cum corpori non inest, hoc autem illam exuit & lucis expers perseverat. Cum quis dominium abdicat, non est dicendum, hoc esse sine subjecto, quia non est: in rerum enim naturâ talis rei dominium virtualiter non datur, hoc est idem ac moraliter non esse.

967 Instas directè contra solutionem. Si dominium excidit & moraliter corrumpitur, res abdicata nullius erit: quod negari non potest. Infers; Ergo moraliter erit Deus. Probas consequentiam. Si Petrus verè & physicè nulli subesset naturaliter, esset physicè Deus: ergo quod nullius dominio subest, moraliter est Deus. Paritas non admitti non potest: assumptum probas. Si Petrus verè & physicè nemini subesset naturaliter, à nemine fuisset productus, alias enim subesset productori: ergo esset à se: ergo & Deus.

968 Aliqui ut satisfaciant, distinguunt independentiam positivam à negativâ. Nam linea composita ex semper dividuis potest carere ultimis punctis, & remanere infinita negativè, ablatione autem punctorum non redderetur positivè infinita. Sic creatura ablatâ dependentiâ remaneret à se negativè, hoc est, non ab alio, ac propterea non esset verè & physicè Deus, quia Deus debet esse à se positivè. Hæc autem solutio non satisfacit, quia ut notavimus num. 101. Deus non est à se positivè, quia se non creavit nec genuit, ut opinabatur Lactantius Firmianus. Deus est à se negativè, hoc est, non est ab alio, & hæc est prærogativa æternitatis. Sanè si res abdicata est à se negativè, moraliter æterna est, vel designato principium; quod si quis posuerit, ipsa non potest à se dici: quæ æterna est, & à nemine esse participat, cur non & Deus in eodem sensu nominabitur? Cæterum admittamus non esse Dei caractericum independentiam: adhuc solutio non satisfacit, quoniam chimærica est. Nihil moraliter debet asseri sine scipione physico. Repugnat dari præter Deum physicum ens naturale quod nulli subest naturaliter. ergo & repugnabit dari ens

morale, quod non fit moraliter Deus, & tamen nulli subest moraliter.

Respondeo igitur res desertas, dimissas, abdicatas nullius hominis esse. Infers; Ergo moraliter sunt Deus: sed nego consequentiam, quia remanent sub dominio Dei, & licet nulli puro homini subsint, subsunt tamen, quod autem subest, non est Deus.

Accedit quod etiam subsint homini, si inventæ; & si non, quod subesse possunt; quorum utrumque Deo repugnat; ipse enim dominium habere non potest. Res autem perditæ, si ad aliorum manus deveniant, inventori subsunt iuxta ea quæ superius diximus à num. 263. & si non deveniant, quia venire possunt, etiam posse subsistere dicendæ sunt.

1969 Accedit etiam, quod supernum dominium amissione & inventione inter ejusdem regni limites mutari vix possit. nam si Madriti auream catenam habeas, habes subditam supræmo dominio Regis. & si amittas, ad cuiuscumque manus ipsa veniat, Regi subest, & Dominum supremum non mutat. Memini me apud Authorem nescio quem legisse, puero ob amissum scyphum aureum Alexandri anxie & amare flenti Alexandrum dixisse. *Tametsi scyphum amiseris, nil perdidisti, nil amisti, ubicumque enim ipse sit, Alexandri est.* quod quidem verum esset, si & Alexander totius orbis terrarum esset dominus.

Ex quibus omnibus clarè conspicitur, res amissas aut perditas non esse dicendas à se moraliter, subsunt enim multorum dominio actuali aut potentiali. quæ tametsi à primo proprietario excidant, ad alios transire solent, & tamen primo domino supræmo cõmuniter subsunt, & semper Deo.

Petis ut hoc melius intelligamus supponi abdicationem fieri à Deo. Vt tuæ petitioni satisfaciam, suppono (utrum hypothesis sit possibilis examinabitur inferius.) Deum abdicare à se dominium morale unius creaturæ: illa igitur dicenda esset *moralis Deus*. Patet, quia supponitur nec Deo, nec creaturæ subesse.

970 Occurro tamen dicens, idem esse physicè creaturam non dependere à Deo, ac non esse; unde moraliter loquendo, quæ dicitur non dependere à Deo, annihilata fuit moraliter; quæ autem annihilata est, Deus non est, & interim non habet præsentiam quæ dependeat à Deo. Quia si ratio convinceret, omnia præterita essent Deus in communi sententiâ, quæ affirmat illa non dependere à Deo. Ergò dicendum est moraliter non esse creaturam, cujus Deus abdicasset dominium morale.

Inquiris tamen, ne quidpiam non subsistat examini, An Deus possit abdicare dominium alicujus rei.

971 Si agamus de rebus physicis respondeo affirmativè: quia quoties rem corrumpit abdicat à suo dominio naturali existentiam illius rei, quam iterum sibi subijcit cum rem corruptam reproducit. Si agamus de moralibus major erit difficultas. An possit aliqua res esse quæ moraliter non pertineat ad Deum? & si hæc datur, An talis res possit subesse creaturæ? Proderunt sequentes Conclusiones.

972 Prima. *Dantur creatura, quæ subsint uni Deo.* Ostenditur, quia supremus Angelus inferioribus non subordinabatur: suberat uni & soli Deo. Confirmatur in rebus humanis; quia Adamus non fuit alteri homini physicè aut moraliter subditus: Angelos habere in homines morale dominium non constat: ergò physicus Adami dominus fuit unus Deus. Si creaturas irracionales imò & inanimatas considerem, videtur probabilius cælos, platenas, & translunaria corpora subesse dominio morali solius Dei: possent tamen subesse morali dominio aut Hominis aut Angeli, si alterutrum Deus investivisset dominio in Lunam aut in Solem.

973 Secunda. *Non repugnat dari creaturam, quæ virtualiter non subsit Deo.* Si consideremus infinitam Dei omnipotentiam, nihil est quod entitativè & physicè ejus dominium & activitatem subterfugiat: nihil divinum aut humanum, quod Deum cogere possit ad abdicandum suum dominium. Cæterum

Deus, qui dominium physicum physicè abdicare non potest, virtualiter potest. Verè non potest physicè; quia si influere cessaret, terminus inciperet non esse. Virtualiter tamen abdicare dominium reale & physicum potest: quoniam sic abdicat, qui revera retinens promittit ita se habere ac si non retineret. Dabo exemplum. Petrus filium exhæredans, quid facit? perditne dominium actuale quod habuit? minimè, quoniam æternum erit verum dicere quod Petrus genuerit illum filium. Paternitatis respectus physicus (hic est verè dominium naturale habituale) non perditur, nec humanitus perdi potest; nam post exhæredationem manet Petrus physicè-pater, ut antea. Quis ergò est abdicationis effectus? exponam. Abdicationis vi incipit pater virtualiter pater non esse. hoc est, ita se habere erga illum, ac si eum non genuisset. Hæc doctrinâ suppositâ probo Deum posse dominium physicum abdicare virtualiter, imò de facto abdicavisse. Promisit æternam durationem hominibus bonis & malis: justi enim in æternum vivent; peccatores æternâ poenâ cruciabuntur, nunquam tamen morientur. Absolutâ potentiâ universa annihilare posset, stando promissioni virtualiter non potest: hoc est, promissionis virtute ita se habet ac si necessariò teneretur hominum immortales animos æternum conservare. Ecce dominium usufructu, hoc est corruptivum, in animos nostros habet physicè dominus, virtualiter tamen non habet. Discurremus igitur per omnes dominij differentias, ut hoc liquidius cognoscamus. Sit

974 Tertia Conclusio. *Potest Deus abdicare virtualiter alicujus rei dominium physicum directum.* Hoc est, potest promittere se, quando rem actualiter producat aut conservet, ita se habiturum esse ac si illam nec liberè produceret nec conservaret: aut qui neget, ostendat repugnantiam rationem, quam non dari probatur. Animos racionales æternos esse ex promissione Dei, non repugnat ipsis animis nec Deo; imò dari divinam promissionem de animis

animis non annihilandis de fide est, quia aliàs nõ esset fide tenendum beatos æternum futuros esse felices, si non esset de fide, ipsos victuros esse æternum. Ergò ex vi istius promissionis ita se habebit Deus ac si necessariò conservaret illos, imò ac si necessariò produceret, quia conservatio ipsa libera productio est. Hic ego; quo sensu non operatur liberè, eodem non est operationis dominus; atqui Deus virtualiter non est liber in conservatione Sanctorum: ergò virtualiter non est dominus ipsorum vitæ. Sed conservatio est entitativè ipsa productio; ergò virtuale dominium in Sanctorum vitam virtualiter non competit Deo.

Hæc doctrinâ præmissâ satisfacio multis difficultatibus, quibus aliàs non possumus, cum vel Theologicè agimus de satisfactione, merito, sacrificijs & oblationibus; vel juridicè de occupatione provinciarum.

975 Sanè dominium virtuale morale est, quod à promissione seu pacto recipit, ut præstet quidquid præstaret dominium physicum & reale. Dominus physicus ablegando dominium virtuale remanet virtualiter non-dominus, hoc est, remanet ac si non produxisset illam rem quam physicè & liberè produxit. Dominus moralis incipit virtualiter esse author physicus rei; hoc est, talem se gerere, qualem gereret si physicè & verè rem eandem produxisset.

976 Quarta. *Potest Deus abdicare virtualiter sua attributa.* Patet in libertate, de qua paulò ante ostensum, virtualiter à promissione tolli, quia hæc posita remanet Deus agens physicè liberum, sed virtualiter necessarium: nempe talis qualis si rem promissam deberet necessariò facere.

977 Quinta. *Potest Deus virtualiter abdicare aliquod attributum quin alicui illud concedat, nequidem virtualiter.* Patet in exemplo posito; quia Deus, cum abdicat virtualiter suam libertatem, nulli creaturæ eam tradit: quia cum racionales animi dicuntur necessariò virtualiter conservari à Deo, non dicitur aliqua creatura dominari virtualiter divinæ libertati.

978 Sexta. *Non potest Deus virtualiter abdicare aliquod attributum intrinsicum subijciendo dominio creato virtuali.* Consultò de virtuali id assero; quia jam persuasi divina non posse subijci domino physico aut divino aut humano. (Vide nu. 100. &c.) Conclusionis ratio est, quia dominij translatio supponit dominij præexistentiam; atqui nulla persona creata aut increata fuit Dei dominus physicus aut entitativus: nullus igitur potuit conferre alteri dominium in Deum.

979 Cæterum licet hæc ratio à priori sit, debet propugnari contra rationem scriptam, quæ muniuntur contrarij. Potest Deus dicere homini; *Faciam hoc cum volueris.* imò de facto similia Eliæ Prophetæ dixerat, ut constat ex tertij Regum decimo-septimo. Laborabat provinciæ Galaadia sterilitate & siccitate: cæli inclementia adscribitur severitati Eliæ; ejus animum Achabus Rex sollicitat, sed frustra; quoniam Prophetæ Regi. *Vivit Dominus Deus Israel in cujus conspectu sto, si erit annis his ros & pluvia, nisi juxta oris mei verba.* Ergò perjurum Eliam ages, si existimes talia dixisse leviter & sine divinâ & clarissimâ revelatione, quæ hanc promissionem includeret. *Non concedam pluviam nisi juxta verba oris tui.* Ergò ex vi hujus promissionis Deus non remanebat liber, ut pluvias concederet cum vellet, sed Elias manebat dominus divinæ libertatis, quæ saltem virtualiter voluntati Eliæ subijciebatur. Elias igitur fuit in dato casu virtualis aut moralis dominus divinæ voluntatis.

980 Scio esse excellentissimos Theologos, qui admittunt Deum mutari, incipere, succedere, carere, superfluere, ac per cõsequens etiam subijci virtualiter, quia in virtualitate nulla imperfectio, ut aiunt, sublatet: sed ego hanc consequentiam non admittam primò in sensu positivo; quia nec Deus ipse est positivè naturaliter sui arbitrij dominus quod non produxit, & sine productione non stat dominium naturale. Dicitur Deus suæ libertatis dominus nempe negativè, quoniam ejus libertas non sub est alteri; & in hoc sensu bene

possimus dicere Eliam fuisse virtualem divinæ voluntatis dominum, ipsa enim non suberat virtualiter creaturæ alteri. Cæterum sicut nec Deus est physicè & positivè suæ voluntatis dominus; sic nec Elias positivè-virtualiter. Dicendum igitur est in tali casu Deum habere virtualiter voluntatem creatam Eliæ, hoc est, ex vi hujus promissionis ita se habere ac si careret voluntate intrinsecâ & æternâ, & vellet voluntate Eliæ. Ergo promissio hæc non subdit ne quidem virtualiter Eliæ divinam voluntatem; sed eam tollit virtualiter, & donat Deum virtualiter humanâ voluntate, divinitus tamen directâ.

981 Septima. *Potest Deus abdicare virtualiter dominium physicum alicujus creaturæ, quin id communicet alteri.* Ne egrediamur limites exempli positi. Afferuimus Beatorum vitam physicè subesse Dei dominio; addidimus eandem virtualiter non subesse. Abdicavit virtualiter à suo dominio Deus beatorum vitas, qui tametsi possit illos annihilare, ita se vult habere ac si teneretur eos conservare in æternum: sed peto, eorum vitas virtualiter à suo dominio abdicatas, cujus dominio subdidit nullius sanè. aut dato creaturam, quæ habeat in beatorum vitas dominium virtuale: hoc est creaturam, quæ ita se habeat ac si animos beatos produxisset; creaturam, inquam, quæ illos possit corrumpere.

982 Octava. *Potest tandem Deus dominium alicujus rei abdicare virtualiter alteri conferendo.* Potest enim promittere se ita habiturum esse ac si non produxisset illam creaturam: permittit ut ille cui confertur virtuale dominium, ita se habeat ac si revera produxisset. Probatur, quia in abdicatione nulla est repugnantia, ut constat ex conclusionibus hucusque expositis: in donatione nulla etiam repugnantia, quia de facto multa dedit Deus hominibus, quorum sunt domini virtuales, ut patet ex Genesios primo (28.) ubi ipse nostris Protoplastis *Dominamini*, ait, *piscibus maris, volatilibus cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.* In transmutatione domini nulla relucet repugnantia, quia qui potest rem à se abdicare, & rem alij conferre, cur non poterit al-

teri dare abdicando à se ipso, aut à se abdicare alteri conferendo?

Petis, An de facto Deus dominium alteri transulerit? hoc est, An detur quispiam, qui sit virtualis dominus rei à Deo abdicatæ? Alterutra pars non facilè demonstrari poterit, neutram enim censo positivè probabilem; deberemus enim ad revelationes authenticas recurrere, quæ in præsentem non dantur.

Nona. *Confert sæpè Deus dominium aliquarum rerum Homini vel Angelo, sic ut à se non abdicet illarum dominium.* Sed occurrunt statim objiciendo legem, *Si ut certo. §. Si duobus. ff. commodati.* quæ (ut præter Iuriconsultos Vasquez 3. part. disp. 8. cap. 4. num. 39. notat) asserit non posse dari duos, qui sint ejusdem rei domini in solidum: ergo ejusdem rei dominium directum non potest competere simul Deo & creaturæ: igitur non poterit Deus conferre homini dominium alicujus rei, si illud sibi retineat.

Nihilominus certum est Deum & Apellem fuisse naturales dominos picturæ, verbi gratiâ, utrumque in solidum, quia uterque eam liberè produxit, dominium naturale idem quod producere est. Eadem res potest deberi duobus titulis. Patet in Paschatis die, in quo teneris audire missam jure solennitatis, & jure diei dominicæ; non tamen teneris audire duas missas, sed unam. Non minus eadem res potest ad duos pertinere in solidum, quam ad eundem duobus titulis.

Arguit citatus Vasquez. Duos habere unius rei dominium in solidum idèò impossibile videtur, quia si quisque est dominus rei habet jus utendi illâ in sui utilitatem, solo suo consensu etiam altero invito aut inconsulto: ergo alter non videtur rei dominus. Patet, quia si equus pertineret in solidum ad Tytium & Sortem, posset illum Tytius occidere etiam Sorte invito: quomodo ergo Sortes asseri posset dominus equi, qui licitè occiditur contra ipsius voluntatem?

Respondéo bene posse dari duos dominos in solidum subordinatos; esto, non subordinati non possint. Sortes & Tytius possent in solidum equum illum possidere, si subordinaretur alter alteri: nempe si Tytius posset

posset equum occidere inconsulto Sorte, & Sortes non posset interdicens Tytium. Quæ doctrina dilucidat totam difficultatem, quia in casu posito illa pictura erat Dei & Apellis, Apellis tamen subordinati Deo.

ARTICVLVS III.

Utrum creaturæ aut competat aut competere possit morale dominium in Deum quâ Deum?

988 **S**uperius num. 100. &c. ostendi Deum quâ Deum nullius dominio physico subesse; & nunc analogam controversiam excito de dominio virtuali. Ago de Deo quâ Deo, quia de Verbo æterno quâ homine multa concedam ratione humanitatis, quæ non concederem ipsimet Verbo subtracto ab humanâ naturâ.

989 Ex Doctorum consensu æquâ ratione confirmato quatuor modis acquiritur dominium in personas. *Primus* est jure belli justis: *Secundus* jure nativitatis: *Tertius* justæ condensationis: *Quartus* ratione emptionis. Idèò apud Græcos *Δεσος servus* dividitur in *Αρχιδοσλον*, *Δελογοσλον*, *Ζημιδοσλον*, & *Ωνητοδοσλον*, hoc est, in Marte servatū, conditione servilis nativitatis subditum, emptum, & sententiâ damnatum; quibus alij adjungunt *Αδδαιρετοδοσλον* seu servum voluntarium.

990 Nullo ex his modis potest Homo aut Angelus acquirere dominium in Deum. Et primò non potest jure belli; quis enim contra Deum bellum gereret? Creaturæ vires finitæ sunt, & idèò contra Deum bellum gerere, aut Deum vel injusto bello vincere impossibile est. Sæpè hostiles exercitus contra æquitatem Christianos causam Dei defendentes superant, nunquam Deum; cujus vires, quia infinitæ superari non possunt. Quod si tam audax sis, ut ipsum Deum ad certamen provocas, qualis Iulianus Apostata Christianomastix infensissimus, arguam, te de atheismo, & in hac controversiâ à me vincèris prius quàm classicum clangas contra Deum. Qui Deum ad duellum provocas, Deum non provocas sed ens aliquod finitum quod vocas Deum; si enim in illo ente, quod Deum nominas,

infinitatem esse crederes, non ita auderes. Iulianus ergo Apostata bellum Deo indicens, atheus erat; vocabat enim Deum personam finitam & à se superabilem. Igitur, quia nemo potest Deum occidere, nemo potest ipsum servare, nemo servando servum reddere; ergo Deus dici non potest *Αρχιδοσλος*.

Secundò, *Δελογοσλος* dici non potest, qui cum æternus sit à Patre æterno æternum nascitur, non tamen à muliere quâ Deus.

Tertiò, Nec Deus peccare potest sibi impositam legem temerando; nec si peccaret subesset creaturæ alicui judicandus: ergo *Ζημιδοσλος* non est, qui condemnationis jure nullius dominio subdi potest.

Quartò, Emptio, ut teneat, debet esse justa, nempe à venditore legitimo, & justo pretio: quoniam si venditor illegitimus sit, materialiter aut formaliter rapina & furtum erit, non contractus: si pretium minus justo, in donationem transit, quæ commutatio debuit esse. Sanè qui Deum venderet, deberet esse Dei dominus ante contractum venditionis: ubi ergo persona creata aut increata, quæ tali prærogativâ fulgeat? & semel concessio hoc impossibili, & admisso dari saltem increatam personam quæ Deum venderet, quo illum pretio emeret Angelus aut Homo? quam rem commutaret pretij æqualis & proportionati, ut Deum *Ωνητοδοσλον* redderet.

Esto igitur luce meridianâ clarius Deum quâ Deum non subfuisse dominio alicujus personæ aut divinæ aut humanæ, neque subesse posse.

Petis, An saltim *Αδδαιρετοδοσλος* hominū Deus esse possit? hoc est, An implicet Deum fieri mancipium spontaneum? Et respondeo assertivè. Quia servus ex conditione & ex voluntate non distinguntur in subiectione sed in subjectionis principio & origine; substantia autem divina eum infinita & necessaria sit, nec ab agente extrinsecò, nec ab ipsomet Deo hominibus subijci potest.

ARTICVLVS IV.

De Deo quâ Homine.

992 **C**hristus Dominus, Deus & Homo est, & unitate hypostasis duas naturas toto celo differentes complectitur: increatam creatam, infinitam finitam, æternam temporalem, perfectam imperfectam; nempe divinam & humanam. Quâ Deus subesse ali non potuit: potuit quâ homo miseras humanas tolerare, & si culpam unam excipias, potuit esse fasciculus omnium miseriarum. Quam dulci calamo mellifluus meus Bernardus sapius de Christi Domini miserijs tractat? miseriarum summa illa tolerantia non fuit à necessitate & conditionis sorte, sed à patientis liberrimo arbitrio & summâ misericordiâ enata. considera resolutiones subseqentes.

993 **R**ESOLVTIO I. *Christus fuit Patri suo subditus physicè.* Verè Christus quâ homo fuit sub dominio Patris physico, ut omnes aliæ creaturæ. Se esse verè subditum Patris ostendit, cum ejus voluntati obtemperans nos redemit suo sanguine. Apostolus [*Christus factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis.*] Fuisse legi subditum constat ex quarto Epistolæ ad Galatas, ubi legitur; *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.* Ecce I. E. S. V. M. titulo creationis (hoc insinuat illud *factum ex muliere*). Patris legibus subditum.

Occurrit quæstio subtilis & curiosa. Fueritne Christus quâ homo æterni Patris servus? hoc est; An fuerit sub dominio morali Patris titulo mancipij & servitutis?

994 **R**esolvit affirmativè D. Thomas 3. p. q. 20. art. 1. ad 2. & quæst. 23. art. 4. ad 3. Caietanus & Thomistæ *ibidem*. Eximius D. Bartholomæus de los Rios *de Hierarchiâ Marianâ libri I. capite XXVI.* Paludanus in 3. dist. 12. quæst. 3. Bassol. in 3. dist. 9. arg. 1. Durandus & alij, quibus subscribit Suarius in 3. p. disp. 44. sect. 1. Ut hæc veritas ostendatur, opus est meminisse illius periodi, quam veræ humilitatis indicem admiramur quotidie, quâ in obedientiæ promptissimæ tesseram Ma-

ria potulit ab Angelo Gabriele salutata. Hic Virgini: *Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen ejus I. E. S. V. M.* Virgo Cælesti Paranymphe; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* (Luc. 1. 38.) & postea Elisabethæ, *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* His positis argumentor sic.

Qui humilitatis causâ mentitur, mentiendo in peccatum labitur qui ne peccaret humiliabatur: ergo vera humilitas fucum non amat, neque mendacia tolerat, sed ideò vera dicitur, quod amet sinceram veritatem. Atqui Virgo-Mater se *Dei Ancillam* nominat, & hoc ex verâ humilitate: verè igitur ancilla fuit. Fortè, quia omnes creaturæ Deo ancillantur, aut fortè nobiliori aliquo titulo alibi explicando. Christus Dominus filius fuit Mariæ Ancillæ, unde in afflictione constitutus & pro hominibus patiens teste Poëtâ-Rege Psal. 85. [*Tristis est, ait, anima mea usque ad mortem; In die tribulationis clamavi ad te, domine Deus, quia exaudisti me: In ligno regnaturus sum, respice igitur in me & miserere mei, da imperiū tuum puero tuo & salva me filiū Ancillæ tuæ.*] Ergo dicendum est Christum quâ hominem fuisse domini servum jure nativitat.

Hoc in personâ Christi expressit Psal. 996 *tes in Epigrâmate citato. dixerat vers. 2. Salvum fac servum tuum Deus sperantem in te. & vers. 16. subjunxit, salvum fac filium Ancillæ tuæ.* Si simul connectamus, *salvum fac servum tuum, filium ancillæ tuæ.* Quod & resumpsit Christus apud Davidem Psalm. 215. *O Domine, quia ego servus tuus & filius Ancillæ tuæ.* Quod videtur respexisse Bernardus cum sermone IV. in Epiphaniæ octavâ, resumit verba Apostoli, quarti ad Galatas, & uno aut altero verbo dissentiens à vulgato, sic ait; *Misit Deus filium suum in mundum, natum ex muliere, factum sub lege.* Afferit Christum legi esse subditum; sed postquam dixerat ex muliere esse natum; ac si servitus & subjectio illi competeret jure nativitat.

RESOLVTIO II. *Virgo Maria habuit naturale dominium in Christum-Dominum quâ*

quâ hominem. Patet, quia ipsum genuit, & peperit, & ipsi debent competere omnes prerogativæ quæ alijs matribus.

997 **R**ESOLVTIO III. *Maria & Iosephus habuerunt morale dominium in Christum.* Constat ex Lucæ secundo. *Disce homo obedire,* ait Bernardus Homiliâ I. de laudib. Virginis-Matris, *disce terra subdi, disce pulvis obtemperare. De auctore tuo loquens Evangelista.* Et erat, inquit, subditus illis, *haud dubium quin Maria & Ioseph. Erubescere superbe cinis: Deus se humiliat, & tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori?* Erat quidem filius familias, & propterea moraliter subjectus patri & matri. Ratio est, quia si Maria non fuisset naturalis Christi mater, adhuc ei esset ipse subditus non minùs quàm Iosepho, cui non subfuisse physicè sed moraliter tenemur omnes Catholici concedere; imò & tenebuntur assentiri omnes illi hæretici, qui affirmant Christum non fuisse ex copulâ matrimoniali natum.

NOTA I.

998 **O**bservandum est hanc propositionem, *Christus est servus Dei*, esse quidem veram, non tamen in omni sensu, unde ut pretati locum veritas tribuat, & testimonijs Conciliorum & Patrum hic asserentium, & alibi negantium reverentiam, majoris claritatis gratiâ illam semper distinxim & explicavi. Christus quâ Deus est servus, nego; quâ homo subdi-

CAPVT III.

De Lege Jurisdictionis Moralis aut Virtualis.

1001 **I**N hoc dominium Usurarium ab Utile distinxim, quod illud rei substantiam respiciat, hoc fructus appendices solummodò. Proprietarius enim & directus dominus potest rem destruere aut conservare, at utilis rem ipsam destruere non potest; & quia directè est fructuum dominus habet jus indirectè ut omnia illa serventur, sine quibus fructus stare nequeunt. ergo & jus ut res ipsa, cujus fructus percipit, conservetur; eâ enim destructâ, fructus etiam deberent excidere

& cessare. Jurisdictio dominio utili similis, non dominatur rei substantiæ (non enim illâ potest destruere) sed fructibus: differt ab eodem dominio utili, quod id ipsomet effectus respiciat, hæc autem operationes liberas, nihil aliud. Res factæ & operationes præteritæ, si infectæ reddi nequeunt, jurisdictioni non subsunt, subessent si infectæ reddi possent. Illis effectus ipsos adnumerata, qui non sunt liberi, sed necessariò sequuntur positam liberam voluntatem. ipsi enim quia non in se sed in causâ sunt

sunt liberi, non jam in se sed in causâ jurisdictioni superioris sunt subditi.

1002 At jurisdictio duplex: alia physica, alia moralis. Illa potētissima est, & si causas respiciat liberas, soli Deo cōpetit, qui solus potest prædeterminare physicè & infallibiliter actus liberos; moralis non jam soli Deo, sed etiam cōpetit homini, Angelo, & cuicumque creaturæ intellectuali. Cū Princeps (divinus aut humanus sit) lege morali aliquam actionem interdicit, illas libertate subditi necessitat actiones quoad modum, nimirum, necessitat ut interdicitæ, aut non eliciantur, aut si eliciantur, malæ & peccaminosæ sint; necessitat ut interdicitæ, non possint sine merito fieri, nec sine demerito intermittere: non tamen necessitat aut infallibilitat ut sint.

1003 Dominium proprietatis à dominio jurisdictionis distinguitur, & separari potest. videmus enim alios habere proprietatem rerum, alios jurisdictionem, seu usum. Consultò usum cum jurisdictione conjungo, quia non reperio magnum discrimen aliquod formale inter istos conceptus. Usufructuarius ille dicitur qui potest uti re, illas substantiâ hoc est; qui est dominus operationū & effectū, & potest de illis disponere tanquam de suis. unde qui erga res inanimas aut alogas usufructuarius; erga intellectuales, nominari posset Superior aut Prælatus, & uti subdito salvâ illius substantiâ, ejus operationes ad talem legem & normam operandi coercendo.

Non quæcumque persona intellectualis potest leges morales ferre, sed illa quæ titulo insignis; non quæcumque incurrit obediendi conditionem, sed illa quæ titulo passivo obnoxia. Tenetur obedire creatura, servus, filius, famulus, vasallus, homo-ligius: mancipium (sumo nomen in rigorosa acceptione juxta ea quæ superius num. 337. tradidi) non tenetur, sed cogitur.



DISPUT. I.

De Jurisdictione Creatoris, & obligatione creaturæ.

1004 **P** R I M O Deus creationis titulo proprietarius rerum dominus est. quas enim liberè condidit, liberè conservat, & liberè destruere potest. Est usufructuarius dominus, quia potest ipsammet rerum substantiam corrumpere; est & usufructuarius, quia potest illis etiam uti illas substantiâ, in illis & ex illis & per illas operando secundum singularum à se inditam capacitatem: & quia usufructuario dominio est præditus, dominium proprietatis plenum, completum & adæquatum habet. Dirigit res non intellectuales & etiam intellectuales lege quâ vult; legem autem, quâ actiones necessarias promovet, Theologi vocarunt *Aternam*; quâ liberas aliquas præcipit, aliquas interdicit, aliquas opinioni cōcedit, vocarunt *Naturalem*; quâ has aut illas (permissivè aut prædeterminativè) infallibiliter prædestinat & ad fines nobiliores coordinat, *Divinam providentiam*. de quibus omnibus breviter impræsentiarum disputabimus.

ARTICVLVS I.

De Lege aternâ physica.

1005 **I** N Commentarij mei in Regulam Benedictinam Libro primo securissima jeci fundamenta erigendæ doctrinæ, materiam de legibus tradendo. Multa ibi breviter perstrinxi, quæ uberiore calamo indigerent; sed quia debebant potius libari quàm tractari, non potuerunt prolixius & clarius exponi. Nunc igitur (proprius locus is est) retractabuntur, & secundo calamo expendentur.

1006 **L** E G E M dico, *mensuram, normam, regulam, secundum quam aliquis inducitur ad agendum, aut ab agendo retrahitur*. Ita Suarius lib. 1. de legib. cap. 1. num. 1. ex Angelico Doctore 1. 2. quæst. 90. art. 1. **L** E G I S **A** E T E R N A E nomine intelligo *liberū Dei decretum circa creaturas*. & in effectivam & directivam

Directivam subdivido. Illa est *decretum Dei liberum circa creaturas creandas*: hæc verò *circa gubernandas ad actiones, quæ efficaciter intendit, sine intentione obligandi causarum liberarum conscientias*. Colligo ex eodem Angelico Doctore quæst. 91. artic. 1. ad 1. Alensi & alijs, quos citat & sequitur Suarius lib. 2. de leg. cap. 3. num. 3.

Legem aternam effectivam mente contemplabatur D. Gregorius Nazianzenus *Oratione 2. de Pasch.* ubi sic. *Oportebat post spirituales corporeas condere creaturam*; quæ verba resumit exponitque lib. 2. de fide cap. 12. Damascenus, & inquit, *Hoc autem vocabulo O P O R T E B A T, nihil aliud à me indicatur, quàm Opificis voluntas; hæc enim nec lex, nec sanctio aliqua congruentior imaginari aut fingi potest.*

At legem aternam directivam contemplabatur Sapiens, cū *Proverb. 8.* dicebat, *Et legem ponebat aquis ne transiret fines suos. & paulò ante, Certâ lege & gyro vallabat abyssos.*

1007 **L** E X **N** A T U R A L I S est liberum Dei decretum circa creaturas intellectuales gubernandas ad actiones, quæ intendit, cum intentione obligandi conscientias. Utramque definitionem (nimirum, legis physicae & moralis) complexus Augustinus lib. 22. contra *Fausum* cap. 27. sic ait, *Lex aterna est ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens & perturbari vetans*. Illud *vetare* & *vetare* sume physicè, & habebis definitionem legis aternæ physicae; sume moraliter & circa aliquos determinatos articulos (non enim omnem ordinem naturæ lex moralis servari præcipit; lapides enim frangi, elevari, & bestias occidi permittit) & habebis definitionem legis aternæ moralis.

1008 Hinc poterimus utriusque discrimen internoscere. Si consideremus nomina, non proficiemus, sunt enim posita arbitrariò; nam & naturalis lex, aterna est; & aterna, etiam naturalis. Obtinuit tamen usus, ut *Aterna* diceretur, quæ rerum existentias & actiones; *Naturalis*, quæ conscientias respiceret. quia tamen si aternum sint, videtur debere illa

potius aterna dici quæ prius cognoscitur, & certum est ex divinitatis notitiâ statim legem aternam effectivam & physicè directivam inferri; moralem non statim cognosci. Secunda tamen moralis sit, vocatur naturalis quasi naturalis, quod sit nobiscum nata, non verò temporis successu indicta. Si fuisset Nomenclator, quam vocamus Aternam, *Naturalem* dixissem; & quam *Naturalem, Moralem*; at quia annosi senis labium mutare impossibile est, nominibus antiquis utar, sed epitheta adjungam majoris claritatis gratiâ. Priorem dicam *Legem aternam physicam*, posteriorem *Naturalem*, seu *Naturalis moralem*. Omnis igitur nominibus, rem ipsam contemplemur, & utriusque legis characteres & proprietates exponamus.

1009 *Primo* materia utriusque varia; aterna-physica mores non respicit, nihilque præter mores concernit *Naturalis-moralis*.

Secundo varia forma obligandi. Aterna physica necessitatem rebus imponit, si necessariae fuerint; infallibilitatem, si liberae: at *Naturalis-moralis* nullum actum necessitat, nullum absolute infallibilitat; nam sæpè præcipiuntur non futura; ut patuit in Adami abstinentiâ, quæ præcepta fuit; & tamen futura non fuit.

Tertio Lex moralis debet esse cognita, at physica nec ab inanimis rebus nec à brutis cognoscitur, tamen illis imposita; nec semper ab hominibus, cū & ipsis imposita. lubet Deus se amari. Præceptum morale est, nec prius obstringet, quam sufficienter cognoscatur. Prædestinat mihi morbum tali die lege aternâ-physicâ, mihi tamen incognitâ, cognoscendâ aut ex revelatione antequam infirmer, vel post discursu naturali.

1010 *Legem aternam physicam directivam*, non solum actus necessarios, sed & liberos respicere asserui & probò; quia si per impossibile nullum Deus præceptum morale posuisset, adhuc Homo & Angelus liberè operarentur, & hoc pro voluntatis divinæ dispositione; posset enim Deus in data hypothese prædefinire certò & infallibiliter quemcumque actum li-

berum; ergo actus liberi sunt aeternae legi physicae subiecti.

Sed occurrit periodus difficilis desumpta ex Augusti libro 83. *quaestionum quaest. 27.* ubi S. Doctor, *In sola bona voluntate*, ait, *secundum legem agimus, in ceteris autem secundum legem agimur, cum lex ipsa incommutabilis maneat.* Notant Lutherani illud *sola*, & inferunt; ergo in mala voluntate secundum legem agimur, liberum igitur arbitrium inanime & passivum, non agit sed agitur cum peccat. Respondeo negando Lutheranorum consequentiam. nam illa Augustini periodus non continet omnia divisionis membra, sed praecipua, quae videbantur sufficere Scriptoris intento. Verum quidem est nos in sola voluntate bona secundum legem agere; illa tamen particula exclusiva (*sola*) non opponitur actioni, sed modo operandi secundum legem; nam in mala voluntate, agimus quidem, non vero secundum legem, sed contra legem, in ceteris autem (imò & in omnibus tam liberis quam necessarijs) secundum legem aeternam physicam agimur, nam secundum legem a nobis incognitam a Deo aeternum decretam & praedefinitam nostro consensu scientiam media praeviso, aut non praeviso, juxta diversas opiniones.

Lege aeternam physicam effectivam decreta est existentia elementis, caelis, Angelis, hominibus, brutis, plantis, metallis, &c. ¹⁰¹¹ Lege aeternam physicam directivam decretae sunt omnes actiones non morales. Statutum gravia deorsum tendere, leviam sursum, ignem habere talem colorem, hominem esse risibilem, adamantem durum, ceram mollem, ferrum solidum, aquam liquidam; quae omnia posita lege aeterna physica non contingentia, sed infallibilia, imò si eorundem naturas contempleremur, & necessaria sunt. Lex autem haec, cui creaturae necessario subsunt, est libera legislatori, qui rerum proprietates & accidentia potuit aliter decernere, & operationes aliter, si voluisset, disponere. Cur non & ignes, si substantia ab alijs differret elementis, medio ureret frigore, si Deus voluisset? An non in Babylónico camino sua activitatis obliviscitur? haec illi a lege aeterna, quae

praecipit ne in illa occasione combureret; praecipit inquam physice, aut non praedeterminando, ut aliqui existimant, aut saltem concursum subtrahendo, ut putant alij.

Lex aeterna-physica proprietates, accidentia, operationes, & existentiam rerum concernit, non essentias; haec enim ab omnipotentia qua potente producere, non vero a decreto dependent. Abstrahendo ab omni decreto certum est, Triangulum quatuor angulos habere non posse, Circulum non posse habere aliquem angulum, Hominem esse animal rationale; haec enim necessaria sunt, & aliter esse non possunt. At Authori liberum, quod triangulus sit aut non sit: & ex hypothese quod inscribi debeat, quod magnus, parvus, albus, niger, aureus, plumbeus, & accidentibus infectus sit: & sic de alijs.

Hinc intelligendus Augustinus frequenter asserens nullam creaturam posse subterfugere legis aeternae imperium. Operetur enim quisquam liberè aut necessario, bene aut male, semper correspondebit efficaci decreto aeternae istius sanctionis; quia si peccando contra legem moralem operetur, in physicam incidit permittentem arbitrium humanum liberè oberrare.

Lex divina (sive aeterna-physica illa sit, sive naturalis-moralis) ab ideis aeternis distinguitur; primò, quod haec ad Dei scientiam; illa ad voluntatem pertineat; secundò, quod ideae rerum praedicata essentialia contemplerentur, lex autem physica effectiva existentias, directiva physica naturales actiones, & moralis morales.

A naturali providentia lex aeterna-physica distinguitur nomine, non re. at a providentia supernaturali distingui debet necessario, quia illa ante omnem moralitatem intelligitur, haec sequitur moralitates.

Sed quia agimus de distinctione attributorum voluntatis divinae, obiter advertendum est, haec nomina *Voluntas, Lex physica, Lex moralis, Omnipotentia, Virtus creativa, Iustitia, Misericordia, Providentia, Praedestinatio, Decretum, Praedestinatio,*

definitio, & id genus alia, significare unam & simplicem formalitatem, quae est divina voluntas, eam ad diversa connotata comparando. Voluntas enim Dei, qua potest velle, *voluntas* dicitur; qua vult, *decretum*; qua potest operari *virtus creativa* aut *productiva*; qua omnia potest, *omnipotentia*; qua res naturales gubernat, *lex physica*; qua morales, *moralis*; qua media ad finem coordinat, *providentia*; qua finem infallibiliter intendit, *praedestinatio*, aut *praedestinatio*; qua peccata punit, *iustitia*; qua miseras sublevat *misericordia*.

ARTICVLVS II.

De lege naturali morali.

¹⁰¹⁵ Aeterna est, & naturalis dicitur, quia omnia illa, quae a nativitate habemus, frequenter naturalia vocamus. Non est lex nobis addita, sed nobis indita. Posset naturalis etiam dici, quod secundum naturam sit; sed haec acceptio pateretur suas difficultates; quia licet nihil lex divina contra rerum quiditates praecipiat, multa praecipit contra inclinationem naturalem, praecipue naturam corruptam: Patientia; Continentia; Paupertas, Veracitas, & aliae virtutes praecipuntur; cum interduntur homicidia, fornicationes, furta, mendacia; & tamen certum est hominem in hoc statu, naturam morbidam, impetum in huiusmodi peccata inclinari; imò si mala consuetudo etiampi adsit, tantum non ferri.

¹⁰¹⁶ Multi quaerunt legem naturalem in homine, nos in solo Deo. Creatam esse dicunt & temporaneam, & formaliter in humanam naturam consistentem. Omitto illorum opinionem qui asseruerunt totum hominem esse naturam legem, quia nec ipsis favet Paulus, nec ratio aliqua gravis momenti. Citant haec verba, *Gentes quae legem non habent; naturaliter ea quae legis sunt faciunt: ejusmodi legem non habentes; ipsi sibi sunt lex.* Desumpserunt ex Epistola ad Romanos secundo. Sed illa dono ista periphrasi. [Gentes quae leges humanas non habent divinae voluntatis absolutae legislatricis indices, naturam duce ea faciunt, quia lex naturalis moralis indicit, & humanae debe-

rent: quoniam viri huiusmodi, licet legibus careant, sibi ipsis sunt lex nempe, ita operantur, ut vita cujuscumque posset esse alijs exemplar atq; moralis lex.] Omissa igitur hac opinione, quam carere omni probabilitate judico, alij constituerunt legem naturalem moralem, non jam in tota natura humana, sed in aliqua ipsius formalitate aut consideratione. Omnium placita radicatus examinabimus.

SENTENTIA I.

Legem naturalem moralem in natura humana qua corporea consistere.

¹⁰¹⁷ Animam rationalem qua potentiam passivam physicam esse legem naturalem siqui docent, debent dicere illa omnia esse bona moraliter, quae entitati naturae conveniunt physice; esse autem moraliter mala quae sunt disconvenientia.

Eandem rationalem animam qua potentiam activam esse legem naturalem si defendis, teneberis consequenter asserere actiones malas nullas dari, quia causa efficiens nunquam potest operari contra inclinationes naturales, haec enim non sunt ad omittendum: debebis asserere omnes omissiones esse malas moraliter; quia sicut non calefacere est contra caloris naturalem inclinationem, sic etiam esset contra animae rationalis naturam ommittere operationes naturales.

Eandem animam qua formam esse legem naturalem, qui affirmant, non debent admittere alia peccata aut morum dissonantias, quam homicidia: ratio est, quia anima qua forma solum respicit materiam ut actuandam, & contra hunc actuandi appetitum solum ille militat quae mortis aut morbi sunt causa.

Sanè in entitate physica formaliter non potest consistere regula morum, sed quaerendus est nobilior ordo cui moralia aptius adscribantur.

Animum qua rationalem contempleremur, & speculemur quae illi conveniunt intentionaliter considerando. Primò ipsi conveniunt tales mores potius quam tales. Secundò ipse cognoscit quinam convenientes sint, & quinam sint disconvenientes.

SENTENTIA II.

*Eandem legē in naturā humanā consistere quā
subjectum & fundamentum honestatis.*

¹⁰¹⁸ **V**asquezius 1. 2. disp. 150. cap. 3. naturam ipsam rationalem considerat prout est fundamentum honestatis & turpitudinis & hanc docet esse legem naturalem; quod Vasquezij discipuli sic explicant. Natura humana, ut entitas physica est, petit ad suam conservationem calorem & alias qualitates, & talia accidentia, quibus positus est in statu connaturali, sublatis in violento. Sic similiter eadem prout entitas intentionalis est, conservatur honestate & elegantia morum, vim patitur cum inficitur moribus disconvenientibus. Ratio est, quia homini quā entitati physicae convenientia sunt aliqua accidentia, & alia sunt disconvenientia, & per consequens homo quā intentionalis habebit accidentia intentionalia, quorum aliqua ingenio suo congruant, & alia opponantur.

Vtrum actiones secundum se sint male?

¹⁰¹⁹ **S**upponit hæc sententia dari actiones intrinsicè malas & bonas: homicidium non esse malum quia prohibitum, sed prohiberi quia malum: & sic in alijs. Intrinsicam rerum malitiam communi decreto Theologorum admitti, docuit Suarius libr. 2. de leg. cap. 5. num. 2. Cæterum, ut probet hanc, quam vocat communem sententiam, assertit auctoritates quæ potius persuadent contrariam. Citat primò illud quarti ad Romanos, *Vbi non est lex, nec prævaricatio.* & infert, Ergò dantur actus ex se mali moraliter. Fortius autem inferret, Ergò non dantur actus ex se mali moraliter, sed tota actuum malitia provenit à lege. & probat consequentiam; quia ubi non est lex, ibi nec prævaricatio: ergò ubi prævaricatio est, lex est. Ergò qualis lex fuerit, talis prævaricatio erit: prævaricatio physica oritur à lege physica, prævaricatio igitur moralis à morali.

¹⁰²⁰ Secundò idem Suarius probat res esse intrinsicè bonas aut malas verbis Augustini qui 22. contra Fauctum 37. definit

peccatum esse *Factum, dictum, aut concupitum contra legem Dei.* An non videbunt cæci his verbis assumptum Suarij non solum non probari, sed condemnari? si actiones, verba, aut placita, ideò peccaminosa sunt, quia contra legem Dei, constat peccaminosa ipsa non fore, si legi non opponerentur. Ergò non jam ex se sed ex lege oritur actuum malitia.

Tertiò citat Ambrosium lib. de Paradiso octavo, dicentem, *Non consisteret peccatum, si interdictio non fuisset.* Sed torquere videbor Ambrosium, si cum Suario in sententiam contrariam vel invitum inducam. Clarè enim colligitur Mediolanensem hunc Antistitem subscripsisse veriori sententiæ, & asseruisse omnem malitiam ab interdictione dependere, quā sublata etiam homicidium & ea omnia, quæ dicuntur esse mala moraliter, mala non essent. Constat igitur male citari pro contrariâ sententiâ Paulum, Ambrosium, Augustinum, qui clarissimè docuerunt actiones esse malas quæ prohibita, & ante prohibitionem omnes esse ambiguas & indifferentes moraliter.

Videntur hujusmodi sententiæ defensores sibi non esse sperandum auxilium ab Scripturâ aut Patribus, conantur nos ratione convincere. Argumentantur sic. Odium Dei non est ideò malum, quia ratione malum esse censetur, sed ideò malum esse judicatur, quia antè malum fuerat: sic similiter non est censendum malum, quia prohibitum; sed prohiberi justè dicendum est, quia erat malum. vel qui asserat odium Dei esse malum quia prohibitum, concedetne illud futurum esse bonum si præciperetur? an non potius dicendum est odium Dei ex naturâ suâ ita esse malum ut esse bonum non possit?

Vt difficultati satisfaciant aliqui Iuniores affirmant in odio Dei sublata omni morali lege nullam intelligi deordinationem: & probant, quia odisse est fugere. Fugere autem Deum, si contra præceptum culpa est; si secundum præceptum, actio laudabilis; & probant pluribus exemplis. *Primo*, quia Protoplasti nostri post peccatum fugiebant faciem Domini (Geneseos tertij octavo) nec hoc ipsis fuit crimini, quibus

quibus non erat indictum accedere. Cainus (quarti decimo quarto) in fratricidij pœnam proscribitur; à facie Dei absconditur, & profugus vagatur per terram; non tamen in hoc peccasse dicitur, quia Deum fugiebat exul, & qui legalem pœnam suffert non est dicendus contra rationem operari. Exodi undevigesimo jubet Deus ne ad se Israëliticum vulgus adpropriet. In Sinaj Moyse dominus; *Constituens terminos populo per circuitum, & dices ad eos. Cavete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius; omnis qui tetigerit montem, morte morietur.* Ita versu 13. & versu 24. *Populus ne transeant terminos, nec ascendant ad dominum, ne forte interficiat illos.* quod & resumit Paulus inscriptæ Hebræis 12. 18. Omittunt alia Sacra Scripturæ testimonia, quæ meminerunt eorum, qui cæsi sunt, quod accesserint ad dominum contra decretum legis; veniunt ad Christi historiam, ubi auctor, quem diligebat IESVS (Ioan. 13.) notat Christum fugi à Petro; qui cum primum cognovit voluntatem Dei, permisit se à Christo lavari: *Exi à me Domine,* inquit Petrus, *quia homo peccator sum.* Fugere igitur & repellere Deum laudabiliter potuerunt sancti; accedere non licuit peccatoribus; quoties his accessus, illis recessus calitè interdicebatur. Ergò Deum fugere ex se malum non est, quia alias sine culpa nec fieri, nec dici posset. Nec valet dicere hanc fugam fuisse bonam, quia erat corporea; sed odium Dei esse malum ex se quoniam est fuga immaterialis. Non valet, inquiunt, quia sicut corporea fuga, cum sit ex præcepto, exprimit quoddam materialis respectus & reverentiæ genus; sic spiritualis fuga potest præcipi causâ cultus & observantiæ immaterialis. *Sed hæc solutio displicet*, quia odium Dei non in omissione, sed in positivâ voluntate consistit; in odio multi primariò fugam ipsam intelligunt, sed secundariò desiderium invidum sitiens alterius perditionem. In odio hominis uterque effectus reperitur, vel non; at in odio Dei uterque reperiri non potest. Pompeium Cæsar oderat; cum non solum à corde repellebat, sed persequabatur; non solum illi mala optando, sed in-

figendo. Cum autem Deus sit mortis incapax, incommodatum expers; cum homo fugere potest; ipsi mala optare aut imprecari potest qui didicerit desiderare impossibilia. Si Petrus non potest desiderare sibi irrationalitatem, qui poterit optare mortem creatori; cum clariùs constet mortem Deo, quàm Petro irrationalitatem repugnare? Censeo in odio Dei fugam positivam reperiri posse, invidiam non posse; quia sicut appetere non potes quaternarium quinque unitatibus compositum, quia id impossibile est; sic nec mortem Deo, hoc enim magis impossibile est.

Si speculatio quam sub initium præcedentis paragraphi Iunioribus adtribui, placeat, dicito odium Dei nunquam esse bonum, quia sonat fugam Dei interdicitam; sublata autem interdictione non manere odium Dei, sed odij subtractum, nempe fugam Dei, quæ ex se est indifferens, ut sit bona vel mala. Et quidem futuram bonam si mandetur, malam si interdicitur. Sed quia hic modus exponendi naturam odij aliquid videtur adstruere; quod philosophicis principijs non consonat, malo asserere odium Dei dicere pro materiali positivam fugam, & pro formali, non quidem interdictionem, sed invidiam, nempe desiderium conditionale interimendi Deum. Ut hoc bene percalleas

¹⁰²⁵ Nota PRIMO malitiam esse duplicem physicam & moralem. Malitia physica est realis & vera deordinatio uniùs respectu alterius. Sic cervum insequi, persequi, venari, occidere, actio mala physice est, respectu hujus bestia cui melius esset non occidi. *Obijcis.* Cervus non est vitæ suæ dominus; ergò ipsi non est inæqualis qui eum occiderit. *Respondeo,* cervum pertinere ad personam quæ produxerit: unde hoc humanitè considerando, si quis illum produxerit physice & liberè, erit ejus dominus, juxta ea quæ diximus *superius*; quod si nemo eum produxisset, esset ipse cervus dominus-negative sui ipsius; hoc est non esset alicujus. Venator igitur, qui illam animantem occidisset, fuisset injurius physice domino naturali illius aut positivo aut negativo. Cervus autem

autem non esset injurius positivè, sed violentus. Cervicidium malum physicè est, non tamen ex se peccaminosum; quia malitia moralis est deordinatio actûs respectu legis moraliter-obligatoriæ. Sic non audire sacrum die feriali malum moraliter non est, quoniam nullâ lege indicitur audire missam tali die: missam non audire die Paschatis peccatum est, quoniam est contra Pentalogum Ecclesiæ.

1026 Nota SECUNDO. Malitiam actuum physicam esse ante omnem legem moralem, non tamen ante omnem physicam: nihil est malum-physicè quia morali aliqua lege prohibitum, sed quia physicè est deordinatum, hoc est, quia militat contra legem physicam & naturalem. Ratio est, quia sublatâ morali prohibitione adhuc physica malitia remaneret. *Sed obijcis.* Malum morale est dissimilitudo actûs & legis moralis: ergo malum physicum erit dissimilitudo actûs & legis physiciæ. Patet consequentia, à pari. Atqui nulla entitas est mala physicè & realiter: ergo. *Respondeo* dari duplicem bonitatem physicam, aliam transcendentalem & commu-

nem, aliam particularem, & hanc subdividi in Dominicam passivamq; & Dominicam damno & injuriæ opponi. Bonitas transcendentalis est similitudo actuum & legis æternæ quæ physiciæ. Hæc bonitas transcendentalis debet dici, quia nulla reperietur aut actio aut entitas cui non conveniat. Cum lupus ovem adortur, occiditque; hæc actio transcendentally mala non est, quia est consentanea physico decreto conditoris: lege physicâ ab æterno inditum erat illi lupo ovem rapere, ergo illa rapina fuit juxta terminos æternæ legis: igitur bonitatem transcendentalem habuit. Si eandem actionem passivè-physicè consideremus, hoc est, respectu ovis occisæ, mala fuit, quia ovi melius esset vivere juxta illud verissimum axioma, *Omne ens appetit suum esse.* Si domini naturalis illius ovis memineris, malum, hoc est, damnum physicum est, nempe ipsi domino qui dominio suo spoliatur invitus; & si à personâ liberâ ovis illa occideretur esset injuria physica, quia esset actio humana dominio naturali opposita. Considera catagorema.

MALITIA { *Transcendentalis*, quæ est dissonantia operationis & æternæ-physiciæ legis.
 { *Particularis* { *Passiva*. Reperitur in passio actionis physiciæ. Et *violencia malitia* nominabitur.
 { *Dominica*, est excidium aut detrimentum rei invito domino { *Dammum*. & hoc recipit rei dominus à necessario agente.
 { *Injuria physica*, hanc infert qui contra dominiû alterius operatur. } *affectiva*
 } *effectiva*.

1027 Bonitas igitur *transcendentalis* legem physicam sequitur, & omnes actiones sunt bonæ hoc sensu, quoniam omnes æternæ legi obediunt, cui nec una reperitur dissona; si autem reperiretur quæ physiciæ legi divinæ contradiceret, mala esset. Malitia *particularis* particulari legi opponitur, & ideo est mala. *Violencia* opponitur illi principio physico, *Omne ens appetit suum esse naturale*. quia naturalis appetitus rebus necessarijs est lex. Ergo lignû comburi est contra appetitum innatum li-

gni, cui bonum esset non comburi: ergo contra legem necessariam particularem. Si bene consideres, non opponitur combustio innato appetitui ligni, quia mala; sed mala solum est, quia opponitur: nam combustio secundum se caloris intentionis excessus est, non tamen malus in se, sed malus ipsi ligno. unde si ligno conveniret, ipse malus non esset, ut neque malus est igni elementari. *Dammum* & *injuria* mala sunt, quia domino physico opponuntur unde, si non opponerentur, talia non essent:

essent: talia non sunt, cum dominus invitus non est, quia volenti & permittenti injuria fieri non potest; jubere enim ovem propriam occidi, est occidere virtualiter, permittere autè est abdicare dominium. Dominiû ergo est particularis lex libera, quam fert, qui sit dominus.

1028 Hinc ergo satisfacio objectioni, admittendo paritatem propositam, & negando antecedens. Quia sicut mala moralia talia sunt, quia opposita legi morali, sic etiam mala physica talia sunt, quia legi physiciæ & naturali contrariantur. unde cum dentur multæ leges physiciæ, quibus opponi possunt, sic etiam dabuntur multæ malitiæ physiciæ & naturales, omnes tamen ex lege.

1029 Nota TERTIO, Omnia præcepta moralia dicere bonitatem physicam & moralem. Legirupionis temeritas est mala physicè & moraliter: homicidium enim est malum physicè, & si fiat contra legem est malum moraliter.

1030 Hinc collige in odio Dei dari duas malitias, physicam & moralem. Non potest fieri, quod odium Dei physicè deordinatum non sit; posset tamen auferri deordinatio moralis, si Decalogus abrogaretur. Homo, qui in tali casu exosus esset Deum ipsi opponeretur physicè non moraliter, quia obligationes morales supponuntur non esse. Doceri vis qualis sit ista malitia physica, quâ inficitur odium Dei, etiam Decalogo sublato: Respondeo illam non esse transcendentalem, quia ille ipsissimus actus transcendentally est bonus, utpote correspondens æternæ illi legi quæ ipsum hominè physicè & infallibiliter prædeterminavit. Malitia passionis aut violentiæ non est; quia Deo violentia non infertur, utpote passionum & accidentium incapaci: damnum Deo inferri dici nequit, quoniam nihil ab illo adimitur, quia nulla res ipsi nocere possunt. Superest igitur ut sit injuria physica, hoc est damnum invito acceptum atque liberè illatum: hanc dividis in affectivam & effectivam. Effectivè nullus sufficit nocere Deo: ergo vel dicendum est in odio Dei Decalogo sublato non remanere formalitatem aliquam, quæ physice opponatur Deo; aut si qua opponitur,

solum opponi physicè affectivè.

Obijcis; Præcepta legis primæ moralis, sunt principia per se nota & ex ipsis terminis conspicua; & consequentiæ evidenti necessitate ex eis deductæ: Atqui harum veritas nascitur necessariò non ex aliquâ lege libera aut decreto Dei, sed ex veritate principiorum; quæ necessaria est ante omne judicium intellectûs, non solum creati, sed etiam divini. Ergo moralis actionum bonitas aut malitia non dependet à lege. Principiorum veritatem non dependere à voluntate probas, quia necessaria est, non minus quam veritates physiciæ.

Respondeo negando præcepta moralia esse principia per se nota; talia enim sunt non à necessariâ terminorum cõnexionè, sed à libero decreto Dei. Subinde hæc propositio *Mendacium est malum moraliter* non est propositio necessariæ veritatis, quia sit malum moraliter à causâ liberâ, nempe à liberâ prohibitione, quia si illud Deus non prohibuisset, remanisset malum physicè, nempe malum menti cui opponeretur, & non esset oppositum legi, quæ supponitur non lata, aut abrogata.

Instas iterum, & obijcis verba Augustini, qui *libr. 2. de Serm. Domini in mont. cap. 12.* ait adulteria, supra, & similia non posse bono animo fieri. Et *libr. 1. de liber. arbitr. cap. 3.* tacite approbat verba Evodij dicentis, adulterium non esse malum, quia prohibitum, sed e converso. Obijcis etiam Aristotelis auctoritatem qui *2. Ethicor. cap. 6.* sic ait, *Sunt affectus nonnulli, qui continuo nomine suo, sunt cum pravitate connexi, ut malevolentia, imprudentia, invidentia; & actus identidem, ut adulterium, furtum, homicidium; hæc enim universa, & talia dicuntur, quia ipsa sunt prava.*

Respondeo Aristotelem, Evodium, Augustinum egisse de legibus humanis, quæ certum est interdicerè adulteria, furtum, supra, & similia, quia alias sunt mala, sicut enim divinitus interdicta. Nunquam Doctor aliquis, quem non liceat explodere, expressè asseruit res prohiberi lege æternâ morali, quia ex se erant non solum malæ physicè, sed & malæ moraliter: hoc nunquam Augustinus, nunquam hoc Aristoteles,

stoteles, & si hoc nunquam dixerunt, non sunt dicendi contra nostram sententiam militare.

Resolutio contra Gabrielem Vasquez.

¹⁰³² **P**ersuasi nihil esse ex se malum physicè aut moraliter, sed omnem malitiam à lege oriri; nempe malitiam physicam à physicâ, moralem à morali: hæc doctrinâ suppositâ opinio Gabrielis Vasquez stare non potest, ut ab ipso principio videbamus.

SENTENTIA III.

Eandem Naturalem-moralem legem in dictamine rationali consistere.

¹⁰³³ **V**ix est quæstio, quam non tractaverit curiosè Abulensis Episcopus, non solum sui sæculi, sed & nationis nostræ decus. Agens *Matth. 19. quæst. 30. de lege naturali affirmat eam formaliter in dictamine & ratione consistere. Adsonat Sotus libr. 1. de just. quæst. 4. art. 1. Viguierius in infl. cap. 15. §. 1. vers. 1. qui putant sibi favere. D. Thomam qui 1. 2. quæst. 90. art. 1. (teste Beyerlinckio verbo Lex.) asserit legem esse dictamen rationis practicæ. Adsonat sibi S. Doctor *ibid. quæst. 94. art. 1. & 2. & in 4. dist. 33. quæst. 1. art. 1. Subscribunt doctrinæ juris periri, specialiter Albertus Bolog. tract. de leg. jur. & equit. numer. 25. & 26.**

¹⁰³⁴ Verùm hæc sententia non potest subsistere; quoniam ut defendatur, debet supponi res quæ prohibentur ex se esse malas, quod esse falsum clarè vidimus in præcedentibus. Ergò fundamenta invertentes argumentemur sic. Omnia sunt moraliter indifferentia ante legem moralem-naturalem: ergò hæc lex non consistit in humano dictamine. Patet consequentia; quia si consistat formaliter in ipso, hoc erit aut liberum aut necessarium. Si liberum, erit mutabile ad nutum cuiuscumque: si necessarium, dictabit omnia esse licita, omnia esse indifferentia. Probo consequentiam. Ante legem naturalem omnia sunt moraliter indifferentia; atqui lex naturalis formaliter consistit in rationis dictamine: ergò ante

hoc omnia sunt moraliter indifferentia; hoc est nec bona, nec mala. Sed recta ratio (talis dicitur, quæ fallacijs non subest) debet judicare de objectis ut sunt in se, nempe ut sunt ante ipsum iudicium: ergò debet judicare omnia esse indifferentia & ambigua, errabitque quoties hoc asserat bonum aut malum. Ne igitur asseramus quæ universorum resolutioni contrariantur, oportet contradicere paucis illis qui affirmant naturalem legem formaliter consistere in iudicio prudenti & rationali.

Argumentaris contra. Lex naturalis, inquis, non est in Deo, quia temporanea & creata est: non est extra homines, quia non est scripta in tabulis, sed in corde: non est ipsa natura humana quæ corporea, quia corporis inclinationes sæpius naturali legi adversantur: non est ipsa humana natura quæ spiritualis, ut contra Vasquez fuit ostensum: ergò superest quoddam consistat formaliter aut in intellectu aut in voluntate. Non in hæc, quia non pendet ab humano arbitrio, sed id regit, obstringit, obligat: ergò ponenda est in humano iudicio.

Respondeo negando primum assumptum; quia lex naturalis est formaliter in Deo tanquã in legislatore summo & libero, & est lex æterna & increata, obligans creaturas in tempore: quia sicut hodie obligamur legibus humanis ante nostram genethliam latis, cur non obstringemur & legibus quas Deus ante mundi constitutionem tulit, gubernaturus homines, quos volebat creare. Accedit, quod æternitas sit tota simul, quia sicut Deus æternum me cõservat hodie, ita ut illud æternum afficiat duratione divinã, illud hodie humanam, ita & æternum interdicat Petro hodie mentiri, illud enim æternum afficit Deum, hominem illud hodie.

Arguis secundo. Naturalis lex causat suos effectus, isti proveniunt à dictamine: ergò illud est lex. Probatur minor; quia tunc quispiam peccat contra legem, cum contra dictamen operatur.

Respondeo legem naturalem causare suos effectus ut cognitam, quia non peccat qui invincibiliter legem ignorat. Si nomine dictaminis intelligas legem quæ cognitam,

cognitam, facili negotio admittam operari contra dictamen esse peccatum formaliter; non admittam, si intelligas ipsam cognitionem. hæc enim non est lex sed notitia legis. Furtum v. g. est peccatum cum liberè sit à cognoscente legem, quia Deus legem tulit cum intentione obligandi illos, qui legem cognoscerent & liberè contra eam operarentur. Ideò humana cognitio non se habet ex parte legis, sed se habet ex parte subditi, quia illis, qui eam non cognoscunt, non est lex posita formaliter. Confirmatur; Ecclesia jubet ut habentes viginti & unum annu jejunent, ætas autem hæc non est ratio operandi legi, sed est conditio quæ ponitur ex parte subditorum, quæ posita incipiant obligari: sic humana notitia est ratio distinguens eos quibus lex naturalis indicitur, ab illis quibus non est indicita, quos non obstringet quamdiu non cognoscatur. Legis notitiam non se tenere ex parte legis constat, quia Deus est absolute dominus, & quos comedentes venena ex ignorantia invincibili condemnat morte naturali, posset si vellet condemnare æternã, quoties temerarent Decalogu etiam lege & periculo ignotis. Patet, quia ut probavi superius potest Deus quemcumque æternum reprobare sine causã. Tenentur hoc admittere, quotquot cum D. Thomã affirmant dari reprobationem malorum positivam ante prævisa merita: quod & videtur persuadere infantum sine baptismo discedentium calamitas, qui in multorum (falsã tamen) sententiã æternis cruciatibus torquebuntur omnis actualis culpæ expertes. De illis hæc lex; *Qui baptizatus non fuerit, non salvabitur.* decernitur poena æterni damni aut fortè etiam sensus, omittenti baptisma licet ignoret legem; imò licet usu rationis careat. Sed poena damni si ob transgressionem actualem legis incognitæ inferretur, non esset poena strictè vocabulo sumpto, sed poenalitas, damnum, miseria, & infortunium.

Arguis tertio. Legis character est auctoritas regendi & dominandi; hæc conveniunt rationi: ergò ratio est naturalis lex; unde aptè Isidorus 2. Etym. cap.

de lege. *Si ratione lex constat, lex erit omne quod ratione constiterit.* clariùs Hispano-afèr Claudianus 4. Honor.

— *Hanc altã capitis fundavit in arce Mandatricem operum prospetricemque laborum.*

Respondeo concedendo majorem & negando minorem: ratio enim proprie & scholasticè loquendo non imperat, sed notificat jam imperata: quod confirmant leges omnes humanæ. Ratio dicitur missam esse audiendam & tamen non est lex missam indicens: eodemq; prorsus modo ratio dicitur Deum esse colendum & tamen non est lex, sed notitia legis; lex enim est voluntas Dei.

SENTENTIA IV.

Naturalem-moralem legem esse naturam humanam quæ voluntariam.

¹⁰³⁵ **I**mperium in speculativa ratione consistere dixerunt aliqui, sed meo iudicio non fati probabiliter si nomine iudicij nõ intelligant mentis actum liberum, hoc est, rectu à concomitante voluntate. quia si hoc summam libertatem arguit, quomodo poterit intelligi sine libertate non erit mihi legislator, qui liber non sit, quia liber natus nobiliorem me iudico omni agente à natura coacto. Interim naturalem legem in voluntate humanã non constituam, quia cæca est, & obcæcat rationem. Miser homo, quem voluntas propria dirigit dictamini rationis prælata. Periclitantur mores, cum stat pro ratione voluntas, & appetitus pro dictamine. Nostri ævi hæreticis est axioma Theologicum, *Quod volumus, id bonum est:* esset verum, si nihil vellemus præter bona, sed cum sæpe ad pejora feramur, sæpe quod volumus, bonum non est. Subscribere videntur Sarabaitis (Monachorum fuit secta) de quibus Benedictus in primo Regulæ; *Bini vel terni, aut certè singuli sine Pastore; non dominicis, sed suis inclusi ovilibus pro lege est eis desideriorum voluptas; cum quidquid putaverint vel elegerint, hoc dicunt sanctum; & quod noluerint, hoc putant non licere.* Adulterina hæc Philosophia supponit ista fundamenta ut saltem appareat rationalis.

1039 Supponit *primò*, omnia objecta ex se esse indifferentia, nec interdicta aut naturá aut præcepto: *secundò*, omnia esse bonitatis & malitiæ capacia: *tertiò*, moralis malitiæ fontem esse voluntatem, & voluntatem honestatis: *tandem* rem honestam amore, malam odio constitui. *Consequenter*, Deum esse physicè immensâ perfectione præditum; moraliter autem esse indifferentem, reddi tamen bonum amore, & malum odio.

1040 Hanc impietatem conantur defendere hâc ratione: Dei imitatio omnes homines felices reddit, nec dicendum est, esse culpabiles similes Deo, in quem culpa non cadit. Atqui quod Deus vult, id iustum est; ergò nihil est iustum, nihil sanctum humanitùs nisi eligatur ab hominibus; nihil bonum, si fortè reprobetur. Ratio à priori est, quia voluntas tendere non potest in malum.

1041 Non immorabor in hujus erroris defensione aut impugnatione, quia clara omnia, nec egent aliquâ forti impugnatione; possunt tamen omnia Catholicè & doctè explicari, si dicamus humanam libertatem esse homini legi physicæ, & divinam morali. Homo cum suæ voluntatis decreta exequitur, bona physicè facit, quoniam malum amari non potest: cum autem suas resolutiones subijcit morali Dei decreto, rectam rationem sequitur, & honesta operatur.

VERA SENTENTIA

Legens naturalem-moralem in præcepto Dei positivo consistere.

1042 **S**unt, qui putent, hanc quæstionem esse solummodo de modo loquendi, ita censuit Suarius *lib. 2. de legib. c. 5. num. 14.* sed me iudice gravissima est, & indiget expedito iudicio ut bene decidatur. Ut igitur ab obscuris & dubijs certa & conspicua dicernamus, scire oportet quinque hæc in omni lege reperiri, nempe legislatorem, sanctionem activam, rem quæ præcipitur, subditum cui præceptum imponitur, & tabulam ubi ipsa scribitur.

Decalogi Legislator quis?

Legis moralis-naturalis Legislator esse Deum tam clarum est, ut nec latuerit Ethnicos, nec Gentiles. Demostenes Aristot. Orat. priore; *Lex est, cui omnes homines decet obedire propter multa & varia, sed maximè quod omnis lex est inventio quidem & donum Deorum; dogma autem hominum sapientum.* Ecce naturalem legem tulit Deus; homines autem non tam leges ferunt quàm dogmata. Differentiam legis & dogmatum communiùs assignamus hanc. Dicimus legem indicere rei substantiam, & dogmata modum disponere: ideò sub unâ & eadem lege multa dogmata quotidie reperimus dignissima commendatione. Eadem Philosophia his dogmatibus traditur in sectâ Academicâ, illis in Stoicâ, & alijs in Peripateticâ. Eadè Theologia dogmata supponit apud Thomistas, quæ Scotici refellunt; & ut ad moralia veniam, eadem lex Evangelica observatur à Laicis, à Clericis, à Monachis, sed diversis dogmatibus. Sacerdotes statùs sui intemerando dogmate apud Latinos non ducunt uxores, apud Græcos dogmatis remissior institutio est. Militares Religiosi conjugalem observant continentiam, Monachi virgineam: ipsi differunt inter se non in Decalogo seu lege, sed in dogmate, vel modo observandi. *Sunt dogmata, inquit Cicero, uniuscujusq; secta decreta; — sine quibus nec secta Philosophorum, nec Religionum vires constare possunt; unde bene Laërtius, Sectam eam appellari non posse, ait, quæ dogmatibus careat.* Ergò ex dictis constat asseruisse Demostenem uni Deo competere legem moralem ferre: homines verò nō ferre veras leges moraliter obligatorias, sed materiã disponere ut aliter aut aliter obliget divina lex; unde sublatâ lege aternâ morali, omnia moralia dogmata cessare necessariū esset. Do exemplū. Filius familias obedit Patri, Religiosus Prælato; sed cur iste Prælati & alter Patris dogmata obediēter observat? verè neutrum humana natura obligat, sed Parenti filiū obstringit secunda legis tabula, prima Prælato Religiosū; quoniam & Deus iussit honorare parentes, & voto aut juri-jurando satisfacere. *Legislator*

Legislatio qualis?

1044 **S**anctio ipsa, sive Legislatio est actus liber Dei. Hæc assertio commendat summam Creatoris auctoritatem, & subordinationem creaturarum: & ostenditur. Actiones ex se sunt moraliter indifferentes; atqui odium Dei ubiq; est malum: ergò est interdictum ab aliquo, qui habet ubiq; legitimam auctoritatem, & hic est Deus. quoniam nullus homo dominatur ubique. Majorem superiùs persuasi, de minori non dubitabit ille qui vel Gentiles legerit; consequentia est legitima, quia nec Christianissimus Rex potest leges ferre Regno Angliæ, nec Anglus Sinico, nec aliquis ubi non sit dominus.

1045 Esse actum Dei liberum ostendo multifariam. Et *Primò* quia circa rem creatam nullus actus necessarius Deo est, quia finita bonitas non potest tollere infinitam Dei indifferentiam. *Secundò*, quia licet Deus aliàs posset ferri necessariò ab aliqua creatura, quod nunquam concedendum est, hinc non posset; ratio est, quia ut talis necessitas defenderetur, deberemus dicere Deum à bonitate rei finitæ prædeterminari per modum naturæ: ergò res prædeterminans Deum deberet habere moralem bonitatem aliquam determinatam, quia indeterminata res determinativa dici nequit: sed actiones humanæ ostenduntur esse ex se indifferentes; ergò non potuerunt determinare Deum. Actu igitur libero legem moralem aternam sanxit Deus.

Augustinus *lib. 22. contra Faustum c. 27.* *Lex aterna est ratio divina vel voluntas Dei, quid si quis restituat, est ratio divina & voluntas Dei?* consulenda sunt antiqua exemplaria. Anselmus *lib. de Voluntate Dei. Quicumq; legi naturali obviat, Dei voluntatem non servat.* & in *Prostolog. cap. 11.* *Illud est iustum quod vis; & non iustum quod non vis.* Idcirco in sacris litteris hæc lex aterna moralis *Voluntas domini* vocatur: quod videtur definitum à Christo in Oratione Dominicâ sub illis verbis, *Fiat voluntas tua sicut in celo & in terra:* unde D. Thomas *1. p. q. 19. art. 1.* & Magister *in 1. dist. 45.* & omnes Doctores affirmant, eum qui temerat De-

calogum, à Dei voluntate recedere.

Admittis quidem Decalogum esse actum voluntatis divinæ, negas esse liberum, quia odium Dei, perjurium, sacrilegium nec possunt præcipi nec non interdici divinitus. Et respondeo hanc difficultatem esse gravem & infra resumendam cum examinem, an in Decalogo possit Deus dispensare? sed modo obiter ostendam esse actum liberum, non enim tulisset talem legem, si nolisset creaturas intellectuales condere; nam si hæ non fuissent conditæ, cui Decalogi legem imposuisset? igitur liberè legem imposuit, qui liberè condidit eos, sine quibus imponi non potuit.

Materia Legis quæ?

1046 **L**ex morali-naturali servari præcipitur præcipua pars ordinis naturalis. didici ab Augustino *22. contra Faustum cap. 27.* ubi legem aternam definiit. *Lex aterna, ait, est ratio divina vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, & perturbari vetans.* Vbi aliqua veniunt adnotanda. *Primò*, tempore Augustini supponi legem aternam non esse in creaturâ sed in Creatore: dubitari autem, An formaliter in voluntate, an in mente consistere? quod hic noluit resolvere, sed disjunctivè asserere aternam legem nihil aliud esse quàm rationem vel voluntatem Creatoris. *Secundò*, noto verba *jubendi & vetandi* posse intelligi & physicè & moraliter. Si in sensu physico loquutus esse Augustinus credatur, dicendus est legem aternam physicam diffinivisse, & ejus verba æquivalere his: *Lex aterna physica est actus liber Dei, totum naturæ ordinem physicè-jubens conservari, & perturbari physicè-interdicens.* Si eadè verba exponantur moraliter, erunt actus imperij in conscientia obligantis, exponent naturam & essentiam legis aternæ moralis, & æquipollebunt subsequentibus: *Lex aterna moralis est actus liber Dei præcipuam partem naturalis ordinis conservari jubens-moraliter, & turbari moraliter-vetans.*

Lex moralis aterna non indicit observantiam totius ordinis naturalis, quia non interdixit gravia elevare, animantes occidere, *1047*

cidere, quæ sunt contra ordinem rerum naturalem: statuit tamen ordinem naturæ observari in præcipuis. Duo tantum præcepta imposuit Deus (nempe *A MA DEVM*; & *A MA PROXIMUM SICUT TE IPSVM.*) reliquarum omnium rerum dispositionem commisit arbitrio, imò & voluntati hominis, cui per moralem æternam legem, de quâ agimus, licet ordinem naturæ perturbare & invertere in omnibus quæ nec Dei nec proximi amori adversantur. Potest igitur homo naturalem rerum ordinem perturbare, invertere, alterare, confundere & quomodolibet violare dummodo id faciat propter Deum, aut saltem non faciat contra Deum, aut contra jus alterius hominis.

Hæc duo præcepta duas tabulas legis constituunt, & distributa in articulos clariora evadunt. Primum tribus articulis exponitur, secundum septem; utrumque decem, quibus constituitur lex, quæ vocatur *Decalogus*.

Qui obstringantur Decalogo.

L Ex æterna moralis hominibus imponitur. An omnibus? Primò imponi omnibus ratione utentibus & cognoscentibus obligationem, tam certum est, ut probari non debeat. Secundò non esse impositam invincibiliter eam ignorantibus ostendi affirmans Deum misericordiæ fontem neminem voluisse ultra vires humanas obligare. Tertiò ab ejusdem legis obligatione amentes excipio, & quotquot moralis usu rationis carent, licet habeant libertatem physicâ. ratio est, quia libertas physica nascitur ex notitiâ bonitatis physicae; nec uti morali libertate dicendus, qui non cognoscit solidè honestatē moralem.

Modò distinguis inter libertatem moralem, politicam & naturalem: hanc habet puer etiam in ventre matris, infans cum ad ubera convertitur, cum ludit, & crepundijs capitur, ante rationis usum. Politicam & civilem anno septimo, tum enim liber civiliter creditur quoad communes actiones, sed quoad graviores major ætas in jure requiritur. Ideò politicè non pervenit ad usum libertatis puer ille, qui non complevit septem annos, licet divino ingenio polleat & prudentiâ senili:

ille autem pervenisse politicè dicendus est, qui septimum annum compleverit, licet nondum sit doli capax. Hæc doctrinâ suppositâ interrogas, An lege æternâ morali obligentur omnes pueri, qui verè & realiter sunt arbitrij capaces, an solùm qui politicè?

Respondeo in hoc distingui legem æternam à temporali, quod illa possit attingere directè internos actus & spirituales circumstantias, hæc tantum externas & civiles. Illa imponitur verè habentibus libertatem moralem; hæc solùm habentibus politicè. Idcirco puer, qui ante septimum annum est rationis suæ dominus, peccabit mortaliter si pejeret; quia hoc interdicitur lege divinâ; non peccabit si comedat carnes die veneris, quia hæc est lex Ecclesiastica ad quam nemo tenetur ante libertatis tempus politicum, quod ipsius Ecclesiæ judicio creditur esse post septimum ætatis annum. Ita Sanchez in *summ. tom. 1. libr. 1. cap. 12. num. 9. & in select. disp. 41. num. 31.*

Infers. Ergò puer octo annorum, qui nondum sit arbitrij capax peccabit mortaliter, si comederit carnes die veneris. Patet consequentia, quia habet politicæ libertatis ætatem.

Respondeo me reperire duas culpas in actione illa quâ carnes comedis die veneris: primam contra Decalogum, secundam contra Ecclesiam. Decalogi præcepto quarto indicitur obedire Præpositis, & Pontifex est legitimus universorum Pater: ergò qui non obedit Pontifici legitime præcipienti, temerat Decalogi sanctionem IV. Ecclesiastica autoritas abstracta à Decalogo merè poenalis est, non moralis. Et his positis instantiæ satisfacio.

Dico illum puerum nō peccavisse mortaliter, quia nondum erat obstrictus Decalogo: deliquisse verò contra auctoritatem merè humanam, quâ abstractam ab omni fundamento legis divinæ, atque ideò solùm posse coerceri poenaliter, ut alij pueri coercerentur ante usum rationis.

Ministrans carnes nondum habenti septem annos nec usum rationis nō peccat, ita Tannerus 2. 2. *disp. 3. q. 3. dub. 5. num. 99.*

num. 99. Villalobos in summa tom. 1. tract. 23. dub. 4. num. 4. Azorius tom. 1. lib. 7. cap. 17. Diana part. 1. tract. 9. resol. 42. Sanchez in summa tom. 1. libr. 1. cap. 12. numer. 9. & in selectis disp. 41. num. 31. Emanuel Sa verb. jejunium. num. 17. Gomez in bull. cruciat. claus. 7. num. 16. & 17. acquiescit etiam Sylvius 2. 2. quest. 147. art. 4. quando est consuetudo. Sic similiter ministrans easdem carnes amenti non peccat, quia Ecclesia non imponit leges pueris nec amentibus. Ita citatus Diana & apud eum Sanchez & Facundez. Hæc doctrinâ instructus incipis dubitare, An persuadens amenti aut puero doli incapaci, quòd proferat leve mendacium peccet venialiter? An mortaliter, qui eum pejerare fecerit? An etiam, qui eum fecerit alia præcepta temerare?

Vt huic difficultati satisfaciam præmitto dari actiones aliquas, in quibus jubens est causa moralis principalis, & exsequens non est nisi instrumentum: esse alias, in quibus suadens est motivum, & causa principalis qui exsequitur. Hac observatione instructus dico

P R I M O. Qui instruit puerum ut blasphemias, hæreses, aut perjuriam proferat: quique, ut verba graviter alium infamantia dicat, aut secreta graviter publicet, peccat mortaliter. Patet, quia illa verba ex se sunt scâdalosa & impia & opponuntur directæ reverentiæ Deo & proximo debitæ, & qui puerum instruit, utitur eo ut instrumêto ut honorem extrinsecû Dei lædat & ejus auctoritatem parvi faciat: unde censeo tales blasphemias imputandas esse instrumenti ut causæ principali. Ob eandem causam peccati mortalis reos esse credidi, qui vel in muris blasphemias hæreticas, propositiones aut satyras graviter infamantes exarant; aut easdem periodos à psittacis proferri curant: quia hærescon & blasphemiarum inscriptione, & prolatione honos divinus læditur, & licet murus, psittacus, & puer non subsint legi; subest ille qui est causa principalis. Similiter, cum evulgatur satyra, honos proximi patitur, & reus erit non puer, nō paries, non charta, non psittacus, quia sunt moralitatis incapaces; sed ille unicus, qui similia docuit, dictavit, inscripsit, evulgavit.

Accedit, quòd hæretica aut blasphemica instructio data puero adhuc rationis incapaci scandalizat proximos, & iterum debeat condemnari ratione etiam scâdali.

Accedit etiam, quòd instructio puerilis fit regimen adolescentiæ; unde qui puer in hæresi, blasphemijs, atheismo, perjurijs, calumnijs, & detractionibus instruitur, non poterit adolescens non pati gravissima discrimina, quorum omnium ipse instructor fuit causa.

S E C V N D O. Qui suadet puero ut hominem occidat, domum incendat, bona aliena gravia subripiat & similia quæ sunt in damnum proximi, peccat mortaliter. Ratio est ipsissima; quoniam similibus actionum non puer, sed instructor est causa principalis, quia vel manu confodere, vel muro præcipite obruere, vel jaculo trajicere, vel leoni tradere, vel per puerum perdere, idem est; proximus enim quomodocumque occiditur. Vnde si proximo nullum imminet periculum aut damnum, possunt ferè dimitti, muri deiçci, domus incendi. &c. Idcirco, qui dat puero sclopelum sine pulvere pyrio ut occidat hominem vel alterius equum, non peccabit hoc titulo, quia supponitur nullam inferri injuriam proximo. Peccabit autem alio titulo, nempe quâ injurius ipsi puero, eum malè instruens & disponens ad similes actiones: unde si certò sciatur hanc instructionem futuram ipsi esse graviter nocivam alio tempore, dicendus est instructor peccavisse mortaliter: si credatur nequidem leviter nocivam fore, non peccare venialiter.

T E R T I O. Sunt duo peccata, quæ non videntur esse contra proximum, nempe luxum, & leve mendacium. Petitur; An debeat argui de peccato, qui similibus fit causa? Respondeo primò, non esse peccatum mortale inebriare aliquem puerum, modò ebrietas nec noceat ejus saluti, nec generet habitum: quia judico gravem injuriam illi fieri, qui ita educatur ut veniat ad usum rationis infectus malis moribus. Ratio est; quia in illis primis annis prudentia est debilis, & passiones fortiores; estque in peccandi periculo certissimo, qui incipit ratione uti obrutus malis moribus,

moribus, quibus vix resistunt prudentes. *Secundò*, non esse peccatum veniale indicare illi puero, ut aliquando mentiatur; dummodo mendacium nemini noceat, nec generet mentiendi consuetudinem. Pro sunt omnia quæ mox exponebamus.

1057 **QUARTO.** *De amentibus eodem modo philosophator.* Qui ipsis persuades illa, quæ rationis compos facere non posset, examina an illarum actionum effectus militet contra honorem Dei, aut proximi auctoritatem, vitam, substantiam, juxta ea quæ dicebamus. pueris malæ instructiones nocivæ sunt, quia eos abripiunt etiam adolescentes: eandem ob causam malæ instructiones in amente ad tempus condemnantur; cessat hæc ratio in amente perpetuo cujus moribus mala instructio nunquam nociva erit. Fortè non dantur amentes perpetui. Fortè omnes in mortis articulo usu libertatis donantur; nam illi omnes humores, quibus caput obtunditur, in mortis articulo probabiliter debilitantur; Deusque videtur in illâ hora speciales favores concedere: quod possem multis experientiis firmare.

1058 **QUINTO.** *Peccat mortaliter qui curat amentem committere mollii, fornicatione aut semen vivum dimittere quomodocumque;* Quia hæc omnia, si causa adæquata vel inadæquata queratur, idè peccata sunt, quia contra prolem & lascivientis corpus: & qui infruit amentem vel puerum nondum arbitrij capacem ut committat similia, ut causa principalis moralis nocet proli, & in corpus sine libertate lasciviētis liberè peccat.

PETIS, An Angelis potuerint imponi divinitus leges morales? Respondeo affirmativè; imò assero ipsis de facto esse impositum amorem Dei, & proximi; & nomine proximi intelligo omnem creaturam intellectualem: unde existimo peccaturum fuisse mortaliter Angelum viatorem (beati manu-tenentur divinitus, ne peccare possint) qui hominem occideret, aut exspoliaret.

De tabulis in quibus scripta est moralis-naturalis lex.

1059 **D**eus ab æterno infinito decreto suo sancivit legem illam benignâ, quæ solummodo indicit amorem Dei & proxi-

mi. Hujus legis tabula originalis est æternū decretū Dei, quod mutari non potest. Cū autem nec homines nec Angeli viatores possint naturâ duce legere hanc legē in increatâ tabulâ originali, illam trāscripsit Deus, & suæ omnipotentia digito exaravit in tabulâ humanæ conscientia. Anima est, ait Aristoteles, tanquam tabula rasa, in quâ nihil scriptum est. Verè animam esse tabulam excipiendis spiritualibus characteribus aptam admittam, nihil in ipsâ scriptum fuisse non admittam. Certè in infantis corde nihil scribitur industriâ humanâ, sed divinâ virtute insculpitur lex Dei. Paulus ad Rom. 2. *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* & clarissimè Doctor Africanus, lib. 2. de Serm. Domini in monte cap. 9. (habetur tom. 4.) *Nullam animam esse, ait, quæ ratiocinari possit in cujus conscientia non loquatur Deus. Quis enim legem naturalem in cordibus hominum scribit nisi Deus?* & lib. 2. Confess. cap. 4. *Lex tua Domine scripta est in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas.* Quæ videtur scripsisse Augustinus reducens ad memoriam se in Ieremiæ 31. 33. legisse. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* & ad Romanum. 2. *Gentes quæ legem non habent (scilicet civilem, aut scriptam) naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: ejusmodi enim legem non habentes sibi ipsis sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus.* Ambrosius lib. 5. Epist. 41. *Ea lex (agit de æternâ morali) non scribitur, sed innascitur; nec aliquâ percipitur lectione, sed profuso quodam naturæ fonte in singulis exprimitur.* & Epist. 71. *Naturalem legem, quam Deus creator infudit singulorum pectoribus.* Gerson in tract. de vitâ spirituali lib. 2. corol. 5. *Lex naturalis præceptiva est signum inditum cuilibet homini non impedito in usu debito rationis & notificativum voluntatis divinae.*

Inquiris, quomodo hæc lex fit in cordibus nostris insculpta? Characteres quibus hæc lex sculpitur spirituales sunt, non necessarij, sed contingentes, tales qui potuerint

tuerint deficere, & fortè aliquando defecerunt. Quando dicimus, quòd Decalogus cognoscitur naturâ duce, non asserimus naturam nudam omni notitiâ superadditâ Decalogi legem exponere, & ostenditur; quia naturæ humanæ essentia est immutabilis, & Decalogus mutari potest. Pono exemplum. Abroget Deus Decalogum, aut aliquem ejus articulum, & peto, an in tali casu natura humana exponeret debere moraliter observari, an non? Si exponeret debere observari, falleret; ergò nunc naturali lumini confidere non expedit, quoniam fallax asseritur: ergò & poterit contingere quod vel Decalogus latus non fuerit, aut si latus, quòd abrogatus sit, & quod à naturâ contrarium exponente fallamur. Ne igitur similia admittantur, quæ consequentiâ doctrinae deberent dici, expedit asseramus contrariū; nēpe naturam humanâ ipsam exposituram esse nobis non dari moralem aliquam legem, cum primū Deus abrogaret Decalogum. Humana igitur natura aliter se haberet quàm prius; videlicet, aliter se haberet quando animum certiorum faceret abrogationis Decalogi, ac se habebat quando proponebat ipsum Decalogum. Cumque essentia sint invariabiles, necessarium est totam hanc mutationem esse secundum aliqua accidentia: characteres ergò quibus lex moralis æterna in cordibus nostris inscribitur sunt accidentales. Nempe aut species congenitæ, aut idæ infusæ, aut notitiæ divinitus comunicatæ.

1061 In tabulis corporeis primus, qui Decalogum inscripsit, fuit Deus. Exod. 31. 18. *Deditque Dominus Moyse duas tabulas testimonij lapideas scriptas digito Dei.* Has asseritur fregisse Moyse (Exod. 32. 19.) indignatione percitus contra idololatriam plebem quæ contemnens auctoritatem domini, colebat aureum vitulum, quem opere fusili formaverat ipsis Aaron. Expiatur sanguine viginti trium millium hominum *Μοχολατρία* & sub initiū capitis 24. ait Dominus servo suo Moyse. *Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum; & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabula, quas fregisti.* Clarius Deuteronomij 10. 1. ubi asserit Moyse sibi dixisse do-

minum; *Dola tibi duas tabulas, lapideas, sicut priores fuerunt, & adscende ad me in montem: faciesque arcam ligneam; & scribam in tabulis verba quæ fuerunt in his, quas ante confregisti; poneque eas in arcâ.* Præparavit Moyse tabulas prioribus similes, & ascendit montem habens eas in manibus: & inscripsit eis Dominus *verba decem* (*Δεκαλόγῳ*) quæ indicebat populo. subjungit Moyse vers. 4. & 5. *Dedit eis mihi: reversusque de monte descendi & posui tabulas in arcam, quam feceram, quæ hucusque ibi sunt.* nempe, usque ad tempus quo Deuteronomium scribebatur.

An lex naturalis-moralis sit lex divina præceptiva?

1062 **S** Varius libr. 2. de legib. cap. 6. num. 5. ut suam stabiliat, supponit sententiam D. Thomæ asserentis 1. 2. *quest. 71. art. 6. ad. 4.* actus bifariam posse considerari; primò, ut regulatos lege æternâ morali; secundò, ut indictos humanitūs lege morali: Addentis, in consideratione secundâ non omnia esse mala quia prohibita, quia etiam humanitūs interdicitur perjurium, blasphemia; quæ ante interdictionem erant mala: in primâ autem consideratione omnia esse mala quia prohibita. Sane doctrina qua substruit suum discursum hic Authôr vera est, & Thomistica; militat tamen contra ipsum Suarezium, qui *ejusdem secundi libri cap. 4. num. 5.* affirmaverat res secundum se, hoc est, ante omne positivum præceptum esse moraliter aut bonas aut malas.

1063 Hæc doctrinâ suppositâ negari non potest legem æternam moralem esse præceptivam; quia aliàs omnia essent indifferentia moraliter: quæ ratio fortissima est, & debet reduci ad formam syllogisticam. Homicidium verbi gratiâ est malum moraliter; atqui malitiam non habet à se: ergò ab alio. Sed non est assignabile principium præter legem à quo possit malum denominari: ergò tota malitia homicidij desumitur à morali lege. Subscribere debent huic sententiæ Okamus in 2. *quest. 19. ad. 3. & 4.* Gerson part. 3. tract. de vitâ spirituali. lect. 1. corol. 10. & Alphab. 61 liter. E. & F. & quotquot asserunt omnes actus secundum se esse indifferentes.

differentes. Eam defendit Andreas de Novo-castro in 1. dist. 48. quest. 1. art. 1. latius Petrus Alciatus in 1. quest. 14. art. 3. ubi ait posse Deum creare homines ratione utentes nulli legi morali subditos. Propugnat Hugo Victorinus libr. 1. de Sacram. part. 4. cap. 1. & Cyprianus aut quicumque est Author libri de singularit. Clericor. Nos debet tueri acerrimè D. Anselmus, aut retractare hæc verba; *Illud est justum quod vis; & non justum quod non vis;* quæ dixit in Protholog. cap. 11. & ea quæ libro de voluntate Dei, videlicet; *Quicumque legi naturali obviat, Dei voluntatem non servat.*

1064 Authores qui contrarium sentiunt, non possunt duos syllogismos obijcere, quin assumant illud Protheorema, *Quæ prohibentur, Decalogo interdiciuntur quoniam intrinsecè erant mala-moraliter.* quod facile assumitur, & à nobis facile etiam negatur.

Hinc colligo hæc legem obligare in conscientia: confirmo ex D. Paulo secundo Epistolæ ad Romanos, *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt,* quæ verba malæ conscientia: pœnam continent, radicem autem quæ sequuntur, *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum.*

De legis-moralis unitate.

1065 **O**portet ea distinguere, quæ vulgò confunduntur non sine jacturâ veritatis: Dico igitur

Primò. *Legislator aeterna legis moralis unus est.* Hæc assertio est tã vera quàm hæc *Unus est Deus.* Unum enim Deum cognoscimus latorem legis naturalis.

Secundò. *Lex activa seu legislatio intrinsecè & entitative una est,* patet quia est actus Dei liber, qui est simplex & incapax compositionis.

Tertiò. *Eadem lex constat ex multis articulis distinctis extrinsecus realiter.* Ostenditur, quia respicit connotata realiter distincta. Tum quia interdicit actus realiter distinctos, quales sunt, perjurium, adulterium, furtum; tum etiã quia imponitur hominibus realiter distinctis. Lex autem & materiam quam præcipit, & personas quibus imponitur necessario debet connotare: hæc autem connotata realiter distinguuntur.

Quartò. *Leges passive (hæ sunt legis activæ copiar, exscriptiones, aut ectypi) sunt in duplici genere; nempe aliæ materiales, & aliæ spirituales.* Prioris generis sunt tabulæ illæ lapideæ scriptæ Dei digito, & quas singulis diebus exaramus: posterioris sunt animi, quibus Deus inscripsit in cujuscumque Genesi legem illam moralem, quam ab æterno tulerat. Ergò plures sunt legis aeternæ copiar, tam corporeæ quàm spirituales.

DISPUT. II.

Vtrum moralis lex sit omnibus equaliter nota?

Occurrit DUBIVUM, *Vtrum Deus indiderit aequalem notitiam Decalogi omnibus hominibus?* Majoris claritatis gratiã, supponamus hanc innatam notitiam esse speciem congenitam, esse enim non potest ad quæ sita: & ex hæc hypothese examinemus; An omnes homines habeant species inditas omnium præceptorum Decalogi? An aliqui duorum, alij trium, alij plurium, & pauci omnium? vel si non admittas species, supponamus esse intellectualẽ notitiam.

Responsum adnoto aliquos Theologos non admittere in Deo aliquam necessitatem circa res temporaneas; Caietanum autem, quem laudat & sequitur Suarius libr. 2. de legib. cap. 6. num. 13. asserere necessitatem hypotheticam, nõ autem absolutam; unde nonnulli dicunt, debuisse Deum indidisse sufficientes notitias animis, quibus legem moralem imponebat, nec potuisse tales notitias non concedere; reliqui addunt debuisse Deum imponere legem moralem animis, quos produxerat rationis compotes. Verè hæc necessitas ex suppositione pulchrè inveta est, sed benè defendi non potest; quia ille divinus actus, qui supponitur, liber est, & quo sensu talis asseritur, deficere potuit; & cum hypothese additur, ejus supponitur quiditas, hoc est, quòd non esse possit, saltem extrinsecè, eo sensu quo actus divinae libertatis esse indifferentes dicuntur. Resolutionem fundant sequentes Conclusiones.

PRIMA.

1067 **PRIMA.** *Ex hypothese, quod Deus produxerit intellectuales animos non tenetur illis leges morales imponere.* Est expressa omnium, qui dicunt actiones ex se non esse malas. Hinc sequitur posse Deum creare homines exleges, hoc est, nulli morali legi subditos, quod & expressè asserit Petrus Alciatus in 1. q. 14. art. 3. Nec ab hæc sententia dissentit Pater Suarius, licet videatur propugnator contrariæ, quia non distinguit bonitatem physicam à morali: unde dicti libri & capituli num. 13. ait, Non potuisse Deum non velle prohibere tali creaturæ actus intrinsecè malos, vel nolle præcipere honestos necessarios. Ergò ex mente hujus Authoris potuit Deus non interdicerè creaturæ actus intrinsecè indifferentes; nec debuit præcipere illos quorum honestas non erat necessaria; atqui omnes actus tales sunt, quod Suarius negat, sed robustè probavi; ergò ex hypothese quòd Deus animos intellectuales produxerit, potuit illis nullam legem imponere.

1068 **SECUNDA.** *Ex hypothese, quod Deus imposuerit moralem legem hominibus, non sequitur eum debuisse illam manifestare.* Patet, quia Dei intentio vel erat obligandi universos, vel solùm illos qui cognoscerent legem. Si hoc secundum dicatur, ut dici necessarium est, idem est non concedere legis notitiam Alexandro, quam concedere Alexandrum exlegem; atqui ex primâ conclusionem constat posse Deum creare homines exleges, hoc est, ab omni lege liberos: ergò potuit Deus negare Alexandro notitiam suæ legis.

Si dicatur primum, nempe voluisse Deum suã lege obstringere universos pueros & senes, doctos & indoctos, imò etiã illos qui invincibiliter legem ignorarent, asserendum est, & hoc decretum esse justum, & adhuc in tali casu Deum non teneri docere legem suam animos, sed posse permittere ut illi qui sine notitiã legis viverent sine notitiã legis perirent, ut patet in omnibus quæ sunt necessaria medijs necessitate. Verbi gratiã lex de baptismo lata est ab habente intentionem condemnandi universos, tam cognoscentes illam quàm ignorantes. Legis tenor hic est, *Nisi quis renatus fuerit*

ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum calorum. Infantes aut ventre matrum clausi, aut ante usum rationis præoccupati, Indi, Insulani, & Barbari, perpetuò Amentes, Judæi, Gentiles, Mahometani, & quotcumque alij sine baptisate devixerint, sive illud omiserint ex contemptu, sive ex affectatã, crassa, aut invincibili ignorantia in æternum peribunt: nec tamen Deus tenetur accelerare usum rationis & divinitus instruere mentes eorum, qui in infantia occiduntur; imò sicut ipsis negavit notitiam latæ legis, potuit etiam eam negare universis: aut dicito cur non posset deferere homines infectos originali culpa, puta aut non instituendo medicinam, aut institutam nullis aut paucis manifestando, qui potest hominem æternis addicere cruciatibus etiam sine causã, ut ostendi num. 142. Hinc patet legem aeternam moralem non esse necessario latam, sed liberè nobis concessam, unde à Gentilibus $\Delta\theta\rho\nu\ \delta\epsilon\theta\upsilon$ dicebatur, hoc est, *Deorum donum.* Ita Demostenes in Aristog. Oratione priore, & merito, quia ideò donamur beatitudine, quia satisfacimus articulis divinitus donatæ legis. Sed hæc obiter notandum est, Deum non fore ex rigore justitiæ damnaturum ex ignorantia insuperabili peccantem, pœna enim in vocis significatione rigorosã culpam correlative respicit, sed usurum supremæ sui dominij autoritatẽ, cui omnes debemus hilares ad mortem & adnihilationem usque obedire. tunc enim adnihilio, mors, & aeternæ miseriæ non essent pœna, sed pœnalitas.

TERTIA. *De facto, omnibus animabus Deus species indidit repræsentativas suæ legis.* Hanc conclusionem persuadent omnia quæ diximus cum de Tabulis legis ageremus. Corda nostra lapidea, scripta sunt digito Dei. Mentis nostræ dantur speciebus infusis, quæ sunt repræsentativa legis. Sed quando istæ species infusa? An in instanti in quo quis incipit arbitrio uti? an in baptisate? an in nativitate? an verò in animi creatione? Infundi in baptisate probabile non est, quia etiam Gentiles, Judæi, & Mahometani, habent legis hujus notitiam, &

LI

96 10

tiam, & nihilominus baptizati non sunt. Si dicam easdem aut in nativitate, aut in instanti quo puer constituitur sui arbitrij dominus, carebo fundamentis, sed & oppugnatore; neutrum enim demonstrabile est: censeo tamen has notitias inditas infundi in ipsamet creatione; quia sicut oculi non gignuntur cum puer videre incipit, sed etiam in ipso ventre matris, ubi nihil omnino videt. Mens & voluntas longo post nativitatis tempore incipiunt expediri, interim sunt congenitæ: ergo similiter notitiæ hæc infusæ debent esse congenitæ ipsi animo.

¹⁰⁷¹ *QVARTA.* Omnes animos ab ipsa conditione Deus instruxit notitijs eorumdem obsectorum. Nempe, non est dicendum infudisse Petro notitias præceptorum triû, Paulo quatuor, Antonio plurium; sed debemus asserere nullum esse animum ætatis cujuscumque, qui non habet notitias impressas totius legis divinæ.

Dices dari multos, qui aliquorum præceptorum laborent ignorantia invincibili: ergo hujusmodi non habent species inditas totius legis. Patet consequentia; quia si eas haberent, cognoscerent omnia præcepta.

¹⁰⁷² Majorem negant nonnulli qui severissimo judicio utuntur: ego autem non auderem negare invincibiles ignorantias non solum stolidis, sed etiam viris doctis & professoribus veræ sapientiæ. Circa substantiam præceptorum reperio opinioniones probabiles sibi contradicentes, cum autem utraque esse vera non possit, alterius defensores falli necessarium est; hi autem laborant ignorantia invincibili in re gravi præcepti substantiam attingente. Pono exemplum. Primo præcepto obstringimur ad amandum Deum: sed quando? Debet homo, ait D. Thomas, Deum diligere cum primum utitur ratione: tam rigidam obligationem negant alij. Si tenemur illo instanti Deum amare, laborant ignorantia invincibili illustissimi Authores: si non tenemur tunc, sed postea, fallitur invincibiliter Doctor Angelicus. Ergo si docti in legis substantiali notitia laborant ignorantia invincibili, cur hanc non deberemus etiam concedere pueris & bar-

baris? Admisso igitur objectionis assumpto, nego consequentiam, & posse dari ignorantiam invincibilem etiam suppositis notitijs inditis ostendo. *Primo* quia illæ notitiæ inditæ (si eas volueris vocare species, de nomine non disputabo) poterunt excidere ut omnes aliæ, non enim erant alterius ordinis, sed merè naturales, divinitus tamen infusæ: & probatur, quia sicut resuscitati divinitus possunt humanitatis occidi; & qui miraculose receperunt visum, possunt sine miraculo obcecari; & qui præter ordinem naturæ Beatorum interventu à morbis periculosis liberantur, tandem secundum naturæ leges obeunt: sic etiam qui divinitus recepit species naturales representativas legis, poterit illas amittere naturaliter, ut omnes alias: puta si ignavia aut negligentia tanta sit ut longo tempore mens non colatur, aut saltem instruatur ideis contrarijs acquisitis, quia hæc sufficiunt corrumpere priores. *Secundo* etiam si remaneant species inditæ, potest homo invincibiliter ignorare multa, quorum habet species. Patet, quia species illæ impressæ, legis sunt representativæ, non verò sunt representantes; ignorantia autem non consistit in carentia potentia cognoscivæ, sed solum in carentia actualis cognitionis. Cæcus est, qui habet potentiam visivam & speciem visibilem impressam, si impeditur aliquo impedimento elicere non possit expressam: ergo & ignorans ille dicendus, qui licet habeat mentem & speciem impressam, impeditur ne expressam habeat. Hæc autem impedimenta in mente assignare facilimum est: quia tunc quis impeditur cognoscere tale objectum, cum objecti contrarij species est impressior atque tenacius radicata, tunc enim fortior est & magis activa, ideo alij prævalet, quotusque tandem illam à memoria pro scribat.

DISPV.

DISPV. III.

Vtrum naturali morali Lege ordo rerum physicus fuerit mutatus?

¹⁰⁷² **S**I Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 27. de morali exponatur, censendus erit credidisse nihil fuisse mutatum lege morali: hoc est, nihil esse interdictum quod non contrarietur physico ordini naturæ, nihil indictum quod non sit secundum physicum naturæ ordinem. Augustini verba sunt hæc. *Lex æterna est ratio divina aut voluntas Dei, ordinem naturalem, conservari jubens & perturbari vetans.* Quod facile persuaderi poterit, si per omnia præcepta discurremus.

Præcepta prima Tabule.

¹⁰⁷³ **I**N primâ tabulâ indicitur amor Dei, qui non militat contra physicum naturæ ordinem, sed ipsi ita consonat, ut dissonet quidquid sit huic amori contrarium. Creaturas producere & conservare amor est, quia Deus omnia producit voluntate; Amor autem extrema aut similia reperit aut facit; non igitur homo erit Deo amanti similis, nisi illum amet. Ergo quamdiu Deum non amat opponitur physice, & positâ lege moraliter, divino illi amorî homines æternum diligenti. Amor diffinitur ab August. lib. de Amicitia affectus intellectualis, quo animus aut cum desiderio alium quærit, aut invento fruitur, cum interiore suavitate. Qui ergo potest amans animus frui animo persequente? ergo amans exigentiâ naturali postulat ut coametur.

Si singulatim ejusdem tabulæ articulos perscrutemur, omnes indicunt illa ipsa, quæ ordo rerum physicus efflagitabat. Primus, *Non habebis Deos alienos coram me.* An non Idololatra negat suum actualem & physicum dominum, & se subdit ultrò creaturæ? Deus hominum dominus actualis & physicus est; qui Idola colit, Deo verum dominium negat, & in hac negatione satis clarè physica dissonantia relucet.

Perjurium etiam omni lege morali sublatâ physice opponeretur Deo, quia mendacium habet naturalem & physicam materiam, & perjurus utitur Deo, ut instrumento ut alios fallat. Ratio est; quia falsitas opponitur rei ipsi quæ dicitur, & mendacium menti ipsi dicentis; & adjuratio falsa authoritati veracitatis adjurata.

Solennium dierum observantia physice mala non est, imò ut homo alijs negotijs & distractionibus explicitus actu Deum amet, aliquod tempus necessarium est; ergo in tertio primæ tabulæ articulo nihil præcipitur moraliter quod physice fit malum.

Præcepta secunda Tabule.

¹⁰⁷⁴ **S**Ecunda legis tabula Amorem proximi indicit; odium, invidiam, discordias, & controversias intendit. Præcipitur, ut ames proximum, sicut te ipsum. Matth. 7. *Quicumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Unde Gratianus; *Ius naturale est, quo quisque jubetur alij facere, quod sibi vult fieri: quod in Lege & in Evangelio continetur.* Non igitur est contra ordinem physicum naturæ secundum omnium legitimam & bonam inclinationem operari.

Qui honorans patrem & matrem primo secundæ tabulæ præcepto satisfacis, concedis illis quod suum est, quia non exigit natura physica ut subditus sit inobediens; filius autem subest parentum jurisdictioni physice.

Occidere contra occisi vitam est, quæ naturaliter appetit esse: est etiam contra dominum illius; qui occiditur, qui solus habet dominium in illam vitam, quæ produxit: ergo qui occiderit virum non sibi naturaliter subditum, erit inæqualis physice & occiso & occisi ipsius domino, hoc est, Deo; non enim datur homo hominis naturalis & proprietarius dominus: igitur Dominus Deus prohibet homicidia siquidem fiunt cum physica inæqualitate.

Mœchari inordinata copula est, & hanc deordinationem interdixit Dominus matrimonio instituto.

Latrocinia & furta contra proximum sunt, ergo prospexit bono publico Deus, quando hujusmodi crimina interdixit.

Mendacia consistunt in dissonantia linguæ & mentis, quam proscribit expressâ sanctione Legislator.

Ambire res alienas cū damno tertij, desiderium inordinatum est, quod eliminat Dominus & voluntatem dirigit dicens, *Non concupisces proximi tui, aut uxorem, aut domum, aut agrum, aut servum, aut ancillam aut quæ illius sunt.*

His positis oportet statuere Theoremata, quibus dubitationi satisfaciam.

1075 **PRIMUM.** *Nihil est indictum lege morali-aternâ, quod sit contra rerum physicam dispositionem.* Patet ex dictis: aut qui dubitet, vel unum morale præceptum, quod sit contra legem physicè-divinam, ostendat.

1076 **SECUNDUM.** *Nihil interdicitur morali lege quod non sit contra rerum physicam dispositionem.* Patet ex resolutione præcedenti, & ex verbis Augustini asserentis legem hanc divinitus moralem esse, quæ naturalem rerum ordinem, & conservari jubet, & interdicit perturbari.

1077 **TERTIUM.** *Nihil est indifferens physicè quod moraliter aut indicatur aut inhibeat.* A priori ostenditur, quia non datur actio indifferens physicè, quia omnes possibiles aut sunt bonæ, aut sunt malæ: patet, quia omnia aut sequuntur naturæ ordinem, aut eum invertunt; si sequantur, bonæ omnimodò dicendæ sunt, quia sequi naturæ ordinem à Deo institutum, bonum est; si invertant & perturbent, sunt malæ, quia dissonant regulis ipsius naturæ.

1078 Dices posse adhuc reperiri in Decalogo actiones aliquas alias indifferentes, nempe in illo præcepto, *Memento ut diem sabbati sanctifices.* Quia operari in die festo aliàs esset licitum & non haberet aliquam malitiam physicam, nisi à Domino interdiceretur: ergo jam dantur aliqua naturâ suâ physicè-indifferentia, quæ moraliter interdiciantur.

Respondeo requiem esse omninò necessariam, homo non est adamantinus sed carnis, & vel Ethnico teste

Quod caret alternâ requie, durabile non est.

Requies debebat concedi fatigatis, tum ut vires resumerent, tum etiam ut terrenis occupationibus expediti cælestia valerent contemplari. Ergo requies quæ tertio præcepto indicitur non est præternaturalis, sed ipsi naturæ consentanea. Censuro lege aternâ-morali debere homines cessare aliquo tempore à rerum terrestrium sollicitudine, & Deum orare, quod persuadent ponderationes positæ: debere autem cessare potius die Sabbati, quàm alio, legale est, nempe, non tam præceptum, sed præcepti expositio, quæ præcepto remanente post diem Pentecostes cessavit, & Christiani omnes manserunt liberi, quousque Romana Ecclesia idem præceptum contrahens Dominicos & Sanctorum aliquot Natales dies quieti & Deo consecravit. Vbi obiter adnoto, homines non-baptizatos post Christum teneri quidem habere tempora Deo & suæ conscientiæ destinata, non tamen teneri observare decreta à Catholicis, quia ipsi non sunt Ecclesiæ subditi, nec subsumt Pontificis authoritati: debent tamen sui non oblivisci, & eligere tempus sufficiens, ut Deum orent, & spiritui suo satisfaciant.

1079 **QUARTUM:** *Non omnia quæ sunt contra physicam naturam rerum moraliter sunt interdicta.* Facillimo negotio demonstrabitur. Quia vel lapidem elevare est contra naturæ ordinem & gravitatis appetitum, & nihilominus peccatum non est. Florem in campo lascivientē decerpere est contra ipsius naturalem inclinationem, quia marcescit excisus qui diutius in ramo suo viveret; non tamen est peccatum.

DISPUT. IV.

An præcepta Decalogi ab intrinseco immutabilia sint?

1080 **V**T distinguat Humanas à Divinis, aliqui asserunt leges humanas extrinsecæ violentiæ subijci, divinas autem ab extrinseco mutari non posse. Humanas non esse ex se immutabiles ostendunt; quia cū finitam authoritatem habeant, adveniente majore necessitate

cessitate aut commoditate ab extrinseco, mutari inevitabile est: cū tamen legis divinæ authoritas sit infinita non potest accidere, quod ingruat necessitas lege nobilior. Sed hæc legum distinctio sufficiens non est, quia etiam finita habent hypotheticam necessitatem, & leges etiam humanæ sæpe sunt irrevocabiles ab extrinseco, ut postea videbimus.

Vt igitur clarè procedamus notandum est, legi esse multa extrinseca; nempe, legislatorem, materiam quæ præcipitur, subditos quibus indicitur, horum acceptionem, & promulgationem, & contrariam consuetudinem longo tempore perseverantem. Si ex se & ab intrinseco immutabilis lex sit, intrinsecus mutari non poterit; quia nulla virtus extrinseca potest essentialia mutare. Exempli causâ. Homo ex se & ab intrinseco rationalis nullâ virtute extrinsecâ potest irrationalis fieri.

1081 Adde mutationem posse contingere bifariam nempe, detrimento & auctione. Tunc lex diminui dicitur, cū aliquis ejus articulus abrogatur; augetur, cum sanctiones additur, quæ non erant. Suarius lib. 2. de leg. c. 13. n. 1. putat additione non mutari legem, & probat quia prior integra manet; concedit tamē additione acquiri aliquam perfectionem extensivam, quæ antea non erat, conatur se tueri Angelico Doctore 1. 2. quæst. 94. art. 5. & Vlpiano L. Jus civile. ff. de just. & jur. Cæterum non video differentiam inter diminutionem, & augmentationem: quia si crastinâ die futurum est aliquid de lege morali-naturali quod hodie non erat, demonstratur non esse necessariò præcipiendâ illa quæ crastinâ die indicentur, quia aliàs essent jussa ab æterno. Et si illa, quæ naturali-morali lege præcipiuntur liberè præcipiuntur & potuerunt non præcipi, poterunt jam præcepta abrogari eo sensu, quo mundus annihilari potest, qui liberè conditus est. Præterea, si cras habebimus novum præceptum naturale, cur perindie non poterit illud ipsum deficere, quia sicut hodie rerum natura non indiget illo præcepto addendo, sic perindie poterit non egere: ergo jam dabitur perindie aut abrogatio aut cessatio veri præcepti

moralis-naturalis. Maneat igitur unam & eandem quæstionem esse, illam, quæ inquit *An legi morali-naturali possint nova præcepta addi?* ac illam, *An ejusdem legis præcepta antiqua possint diminui aut abrogari?* Quia qui doctè respondeat, debet, aut utrobique affirmativè respondere, aut utrobique negativè.

ARTICVLVS I.

An Consuetudine Decalogus mutari possit?

Controversiam in duas partes distinguam. In primâ Consuetudinum species, causas & effectus: & in alterâ an Decalogus subsistat Consuetudini expendam.

PARS PRIOR.

De Consuetudine respectu legum humanarum.

1082 **C**onsuetudo non obediendi non nisi legi extrinseca, & si Consuetudine Decalogus abrogabilis est, mutabilis est ab extrinseco ratione connotato. Si Consuetudinis essentiam examines, reperies esse morem, qui aut legem antiquam dirimat, aut novam statuat. Hinc divisio clarissima, consuetudo enim aliàs est legis introductiva, & aliàs abrogativa. Sunt qui consuetudinem dividant in eam, quæ secundum jus, in eam quæ præter jus, & in eam quæ contra jus: sed primum membrum elimino, quia consuetudo satisfaciendi præcepto non inducit novam obligationem. Dantur aliæ consuetudinis divisiones, quæ cum merè materiales sint, possunt omitti. Talis est, quæ dividitur in eam quæ versatur circa homines, & in illam quæ versatur circa facta hominum: talis, quæ dividitur in universalem & particularem; talis, quæ in canonicam & civilem; & quæ in morem strictè sumptum, stylum, ritum, & forum; item quæ in rationabilem & in irrationabilem; malam & bonam; aut etiam in approbatam, permissam, reprobam; necnon in prescriptam & non prescriptam; & aliæ divisiones similes, quæ vel ipsis nominibus sufficienter intelliguntur, & non egent prolixis commentarijs; quia si isti adderentur, offi-

tur, officerent huic difficultati, quæ naturalis est, & ex naturæ ipsius principijs explicanda. Agam igitur de consuetudine communi prout legem introducere potest aut habere vim obligandi, inferius latius probaturus.

CONCLUSIO I.

Non à quibuscumque congregatis per accidens consuetudo introducit, sed à communitate perfectâ. Perfectam communitatem voco Civitatem, Comitiam, Conventum, Capitulum, Universitatem, ut distinguam ab hominum confuso numero, quando aliqui congregantur per accidens. quàm esse communem Doctorum opinionem docet Suarius *libr. 7. de legibus cap. 9. num. 9.*

Hic obiter, videant qui juniores Religiosos ad horas privatim legendas obligant jure consuetudinis, se impingere in prima hujus materiæ fundamenta: juniores enim Religiosi nondum promoti ad sacra, non sunt perfecta communitas, sed communitatis ignobilior pars, ac propterea incapax, ut introducat consuetudinem, quæ habeat vim legis. Verè hæc conclusio juniores Religiosos ostendit incapaces consuetudinum esse; demonstrat Monasterio integro non statim debere negari potestatem introducendi mores obligatorios, quia Monasterium, sive hominum, sive mulierum illud sit, est perfecta communitas, & hoc titulo non incapax hujus potestatis, ni fortè aliunde incapax propter alias rationes reddatur.

Petis, Vtrum consuetudo, quæ est in civitate N. abstinendi à carnibus, aut observandi solennitatem talis Sancti tali die, in tali vico, & non in omni civitate, possit censerī obligatoria? Videretur alicui quod non, quia non est consuetudo totius communitatis, sed unius vicinæ.

Respondeo posse esse obligatoriam, si reliqua requisita adsint: quia sicut communitas integra potest introducere consuetudinem jejunandi tali die, nec ideo tenebitur jejunare toto anno; sic etiam poterit introducere consuetudinem abstinendi à carnibus in tali loco, nec ideo te-

nebitur abstinere in totâ civitate: ceterum consuetudo abstinendi in tali loco à totâ civitate potest introduci, imò & introducetur quoties habitantes alibi non audeant comedere carnes in illo loco die determinatâ.

Addis; ergò tota religiosa communitas potuit introducere consuetudinem quæ juniores solummodò obligaret; quia sicut tota civitas introducit consuetudinem obligantem eos solummodò qui in tali vico existunt, sic etiam totus conventus posset introducere consuetudinem, quæ obliget eos, qui in tali ætate sunt, aut nondum ordinati.

Sed disparitas est summa, quia consuetudo debet esse alicujus rei quæ possit à singulis fieri imò ab omnibus simul: ire ad talem locum omnes & singuli possunt, in tali tempore omnes simul sunt, in tali ætate aut promotione non sunt simul; ideo est falsum dicere hæc die Sacerdotes continuare consuetudinem illam quæ obligat juniores recitare privatim, quia juniorum nomine intelligimus nondum promotos ad majores ordines, & Sacerdotes omnes ad majores ordines promoti sunt.

CONCLUSIO II.

Si est vera hæc propositio, [Communitas qua non habet auctoritatem condendi leges, non potest consuetudinem obligatoriam introducere] paucissima sunt consuetudines moraliter obligatoriae. Probat, quia paucissimæ sunt communitates, quæ possint leges ferre. Infero ex hæc conclusione sequentia Corollaria.

Primum. Nullæ Monasteriorum consuetudines essent obligatoriae; quia nullum potest condere morales leges. Idcirco debemus dicere Beatæ Mariæ Officium, & illud quod pro Defunctis solet legi, ex vi consuetudinis non obligare conventum neque particulares; & posse sine culpa omitti, ubi putant se obstringi titulo meræ consuetudinis. Addendum esset, Moniales non teneri ad officium privatim recitandum, quia tenentur solo titulo consuetudinis, quæ à Monialibus non potest ita introduci ut fiat obligatoria, quoniam ipsæ non possunt ferre leges.

S E C V N -

Secundum. Civitatum mores non obligarent in conscientia: Patet, quia hæc cum subjecta sint, non sunt Legislatrices. Ideo ubi merâ consuetudine observatur ut abstineant à carne tali die, aut audiant missam, dicendum esset nec abstinentiâ nec missam cadere sub moralem aliquam obligationem; quia civitas subjecta Principi non potest ferre legem, quæ moraliter cives obliget, aut ad abstinendum à carnibus, aut ad audiendum missam.

Respondet Suarius *libr. 7. de legib. cap. 9. num. 10.* communitatem secularem posse introducere consuetudinem obligatoriam in rebus pertinentibus ad materiam Religionis, quoniam & ipsa est capax potestatis legislativæ etiam in materia Religionis, & cultûs divini, & ideo licet nunc in Ecclesiâ hæc potestas elevata sit ad superiorem ordinem, & Pastoribus Ecclesiæ fuerit commissa; nihilominus ex consensu eorundem Prælatorum Ecclesiæ posse permitti populis ut suâ consuetudine possint obligari in tali materia cum tacito consensu eorundem Prælatorum, juxta ea quæ docet *lib. 4. de voto. cap. 9. & libr. 7. de legib. cap. 10.*

Sed hæc solutio non satisfacit, quia ut plurimum probat remotam aliquam capacitatem, non verò potentiam aliquam proximam; quia idem est dicere [Communitas secularis potest obtinere ab Episcopis consensum implicitum mores suos confirmantem; atqui hoc obtento consuetudines evaderent moraliter obligatoriae: ergò potest introducere consuetudines moraliter obligatorias] ac dicere [Cæcus potest donari oculis, his receptis videret. ergò cæcus potest videre, & proximè poterit cum recipiat visum: & similiter, communitas remotè potest introducere consuetudinem moralem, & proximè poterit cum obtinuerit consensum tacitum vel expressum Prælatorum, non antè.

Secundò displicet hæc solutio, non quia asserit seculares esse capaces auctoritatis legislativæ in materia Religionis, quia hoc probabilissimum est: sed quia petit consensum Prælatorum, ut evadat moralis; esset enim moralis etiam si citra Episcoporum consensum implicito voto

substrueretur.

Videns Suarius hæc ratione malè defendi suam sententiam, addit secundam. Deinde responderi potest, ait, satis esse quod illa communitas populi sit communitas perfecta & de se passivè capax recipiendi legem. Sed hæc solutio reddit falsam illam propositionem [Communitas, quæ non habet auctoritatem condendi leges, non potest consuetudines obligatorias introducere.] quia jam asseruntur capaces introducendi consuetudinem communitates quæ possunt leges recipere quamvis non possint ferre. Hinc patet hæc secundam responsionem non esse sufficientem. Quid si sufficeret? adhuc non prodesset, supponit enim falsum; quia etiam communitas, quæ sit incapax leges recipiendi, potest introducere mores, ut postea videbimus.

Tertium. Communitas Clericorum non posset introducere consuetudinem. patet, quia nequidem potest condere leges, quæ non repugnent canonibus, ut notavit Suarius *dicti libr. 7. de leg. cap. 9. num. 9.*

Dices: Clericorum communitas habet auctoritatem introducendi consuetudinem etiam contra ipsos Canones. constat ex capite ultimo de consuetudine. & tamen non potest legem condere contra Canones, cap. Institutionibus. 25. Ergò datur communitas quæ possit introducere consuetudinem in materia, de qua leges non possit condere.

Respondeo primò, hæc non agi de consuetudinibus contra jus, sed de illis quæ præter jus; & sic condonans antecedens subiectioni iudicio consequentiam. quæ etiam admittit adhuc est verum dicere nullam communitatem posse consuetudines obligatorias introducere, si non possit leges condere, quia posse ferre leges, quæ non opponantur Canonibus, est posse leges condere.

NOTIA.

Solum populum, qui potestatem habet condendi leges, posse consuetudinem introducere, dicitur docuisse Bartolus, Iason, & alij in *L. de quibus. Panormitanus, Rochus & alij in cap. Quæ in Ecclesiarum de constit. cap. 25. & cap. Accedentes.*

dentis. de Præscrip. Navarrus in comment. de spolijs. §. 14. numer. 7. & alij, quos refert Tiraquellus de jure Primogen. qu. 10. Idem expressè sentit Ioannes Andreas tract. de consuetud. post cap. ult. illius tit. Angelus verb. consuetudo. num. 7. Sylvester. quæst. 3. Quorum sententia vera non est; an verò sit probabilis, esto alijs examini. Nempe ut videant, utrum verè hi Authores habuerint hanc sententiã, quia si semel supponatur eorum autoritas, temerarium iudicem dicerem, qui tantorum virorum opinionem de improbabilitate condemnaret.

CONCLUSIO III.

¹⁰⁹⁵ **Q**uæcumque perfecta communitas potest introducere consuetudines obligatorias. Probat; quia vix est communitas familiã minor, & tamè introducere potest consuetudines, quæ illam obliget, asserentibus multis Authoribus apud Tiraquellum de jure Primogen. quæst. 16.

CONCLUSIO IV.

¹⁰⁹⁶ **S**i consuetudo introducatur à pluribus quàm à septem partibus communitatis, licet alij reclamant, à totã communitate introducitur. Constat; quia nona communitatis pars non habet auctoritatem gravem, ut ostendi sæpe in meo Commentario in Regul. D. Bened. levis autem auctoritas non potest officere consuetudinis introductioni; quoniam hanc introducere res gravissima est.

¹⁰⁹⁷ Suarius libri. 7. cap. 9. num. 13. putat sufficere majorem communitatis partem: quæ opinio, si benè explicetur, verissima est. Communitas unum corpus est; unus homo mysticus, non plures mystici. Ergò communitas habet simplicem intellectum, & simplicem etiam voluntatem. Patet consequentia; quia moralia debent imitari ipsam rerum naturam; cumque nullus homo physicus sit, qui habeat duas mentes aut duas voluntates racionales, hinc est quòd sine errore nequeant hæ potentia in eodem homine mystico moraliter multiplicari. Quomodo ergò dicendum est in communitate ubi sunt diffidentes sententiæ, dari simplex dictamè,

& simplex decretum voluntatis? Exponam. Omnium voluntate decretum est, ut pauciores teneantur subscribere pluribus etiam contra propriam sententiam. In electione Antistitis exèpli gratiã (ago de communitate, quæ potest Abbatem eligere sine limitatione aut restrictione) aut clariùs in approbatione unius Novitij, congregantur omnes Religiosi, non ut singuli illum eligant, aut istum approbent, neutrum enim ad singulos spectat; sed ut singuli corpori communitatis consulant, quid debeat facere; quæ ex plurium consilio aut Petrum Antistitem eligit, aut approbat Paulum Novitium. Qui ipsis negaverit suffragium, si dicat eos fuisse promotos contra suum consilium, verum dicit: si asserat Petrum non fuisse electum, nec Paulum approbatum; prodet suam ignorantiam, quia ille cui plures voces favent, omnes per modum unius eligunt, omnes approbant. communitati enim est simplex voluntas, quam plurium suffragia prædeterminant.

¹⁰⁹⁸ Notandum tamen est nullam communitatem habere auctoritatem, ut ex plurium consilio faciat omnia quæ velit, sed solum aliqua determinata. Explico meum conceptum. In communitate omni inveniuntur Institutor, Pactores, & Interpretes. Cicero 7. in Verrem. *An fœderum interpretes, societatis pactores, religionis authores.* Religio cõmunitas dicitur, quia homines naturali amicitia ligantur, & socij mutuã concordia religantur. In cõmunitate igitur debet dari Institutor, quia congregatis per accidens communitas componi non potest: dantur *secundò* societatis Pactores, tales sunt omnes qui eam componunt, omnes enim inter se paciscuntur: debent dari *tertiò* fœderis Interpretes, qui omnia dubia resolvant. Possunt homines in communitatis erectione pacisci multifariam, modos præcipuos explicabo.

Possent *primò* dicere, compromittimus omnes in verba plurium, ut secundum statuta Antistites eligamus, & faciamus hæc aut illa; non verò ut consuetudines novas introducamus: *secundò*, in verba plurium compromittimus non solum ut præstamus ea quæ ex instituto solent fieri, sed

sed etiam ut introducamus consuetudines; nempe aut morales solum & non pœnales, aut pœnales solum & non morales; aut solum in tali materia & non in tali, puta in materia politica, non autem in materia Religionis: aut è converso.

¹⁰⁹⁹ Cum igitur tota Communitatis auctoritas circa introducendas consuetudines nascatur ex pacto, opus est examinare prius quale sit habitum in Communitatis illius institutione: si hoc cognoscatur clarè & evidentè, standum est fœderi, nec singuli ultra compromissa obligantur. Verbi gratiã: Domini Cistercienses ex varijs Monasterijs erexerunt unam congregationem, non tamen sine concordia legibus, ut constat ex Chartã charitatis. Sic etiam omnes aliæ Communitates plurium hominum pacto institutæ sunt. Vbi pactio solum probabiliter cognoscitur, etiam probabiliter dici potest ignota: & iudex sequi poterit quamcumque partem. Vbi non scitur qualiter majores pacti sint, ad Interpretes recurrendum est, & in omni dubio pro libertate standum; nemo enim condemnari debet, nisi jus fuerit certum & clarum. Si prudenter examines, poteris concordiam antiquam investigare, nempe ex perenni praxi & moribus antiquis: quia si olim introduxerunt consuetudinem scientes se non esse obligatos, volentes se obligare, putantesque se posse eam introducere, certum est aut olim sic fuisse pactos, aut saltem tunc pacisci.

Vnde accidat Consuetudini quòd habeat vim legis?

¹¹⁰⁰ **C**ertum est frequentiam actuum non sufficere, ut consuetudo evadat moraliter obligatoria: & demonstratur, quia nulla est Communitas cujus membra non comedant aut dormiant diebus singulis, & nihilominus nemo erit, qui dicat dari dormiendi aut comedendi consuetudinem, quæ quotidie obliget, peccareque illum qui vel unã die abstinuerit aut à somno aut à cibo. Et si dicas, non posse introduci consuetudinem de

re peiori, non statim omnis abstinencia dicenda erit melior quàm dormire & comedere, sed quæ fuerit prudens: & videmus abstinencias nonnunquam imprudentes. Exemplum aliud adjungamus. A carnibus quater in hebdomada indispensabiliter abstinent DD. Benedictini, consuetudo est verbi gratiã non comedendi carnes diebus Lunæ; hæc tamen consuetudo non obligat sub culpa gravi in communi sententia; imò nec sub levi, si sequimur probabiliorè. Ergò præter actuum frequentiam aliud requiritur, ut consuetudo inducat aliquam obligationem. Dico igitur, *Requiri illud poni tacitè, virtualiter, aut interpretativè, quo expressè formaliter positò obligatio esset certa & legitima ante omnem actum.*

¹¹⁰¹ Plerique consuetudinem virtualement esse legem asserunt, recipereque vires à virtuali suo Legislatore: & ut explicent, bifariam considerant Communitatem; quia vel hæc obstringitur lege decernente, *Consuetudines debere observari, quando introductæ sunt sub talibus circumstantijs, & tali modo perennaverit: vel non.* Si supponatur talis lex, certum est consuetudinem, quæ habuerit omnia requisita in lege positã, habere legis vim independentè ab omni Principis novo consensu. Si talis lex non detur, & consuetudini accedat consensus Legislatoris, transit in legem.

¹¹⁰² Hæc autem sententia, si ageremus de consuetudine, quæ contra jus, vera esset, ut infra videbimus; sed impræsentiarum probabiliter defendi non potest, quia suppositã illã lege universali [quæ dicat, *Consuetudo ex talibus aut talibus causis introducta, & tali aut tali modo conservata, esto omnibus lex,*] non esset dicendum esse legem virtualement, sed esse verè formalem & hypotheticam, quæ obligare inciperet positã conditione. Clarioris intelligentiæ gratiã, esto communis lex. *Consuetudo in materia Religionis quæ introducatur liberè à duobus trientibus Communitatis & conservetur per sex annos habeat vim legis.* Ipsa ergò Communitas sex annis integris abstinat à carnibus

in profesto Mariani Natalis; dico teneri ipse posterum, non tamen ratione consuetudinis, sed quia consuetudo est conditio, quâ positâ incipit lex illa communis obligare: unde in tali casu, illa consuetudo non obligat, sed est occasio & conditio sine quâ lex publica non obligaret. Tunc igitur dicta consuetudo non esset virtualiter lex, nec haberet vim legis; sed communitas teneretur abstinere à carnibus in tali die, inferentibus obligationem lege illâ per se, & consuetudine ut merâ conditione. Illa lex politica est analogâ huic naturali. Naturali imperio indicitur igni ut materiam incendat, si approximetur: approximationem sequitur ligni combustio; hoc tamen non combustio approximatio, sed ignis cujus vires natura obstrinxit approximationis conditione. Non aliter illa lex communis, *Consuetudo in materiâ Religionis, &c.* æquivalet huic, *Observate jejunia, abstinenciam, solennitates, quotiens per solidos sex annos liberè observata sint à duobus trientibus vestrae communitatis*: quis autem hic non videat, obligationem verè dari, hanc per se à lege oriri, & consuetudinem ut meram conditionem requiri?

In secundo casu, nempe quando in communitate non datur legitima aliqua lex, quæ præcipiat mores antiquos observari, doceri velim, quomodo consuetudo possit fieri virtualis lex.

¹¹⁰³ *Primo.* Non potest transire in virtuales legem, si ex errore introducatur, nempe à putantibus se jam esse obligatos. Ratio est, quoniam non est consuetudo prudens & rationalis; & omnia quæ imprudenter & irrationabiliter fiunt, non possunt condere novum jus, cum hoc nasci debeat à ratione prudenti.

¹¹⁰⁴ *Secundo.* Nequit etiam transire in virtuales legem, si introducatur ex merâ devotione; nempe à scientibus se non esse obligatos, & non habentibus animum se obligandi. Patet, quia lex virtualis & implicita debilior est formali & expressâ; atqui hæc requirit voluntariam acceptationem in subditis, ut probat in *Comentario Benedictinae Regulae numer. 48.* ergo à fortiori acceptationem requirit virtuales

lex & implicita lex.

Præterea sæpe consuetudo introducitur ab habentibus animum se obligandi. & hoc intelligi potest trifariam, nam possunt habere voluntatem obligandi se voto, aut voluntatem obligandi se lege, aut tandem acceptandi illam legem si à Principe feratur: & idè dico

Tertio. Consuetudo, quæ introducitur à communitate habente animum obligandi se lege, si communitas suprema est & potest leges condere; vel saltem licet suprema non sit, si habeat à suo domino condendi municipalia statuta licentiam, potest esse conditio introducendæ obligationis, non tamen semper obligatio introducitur. & probatur; quia bifariam potest communitas habere animum se obligandi, nempe vel obligandi statim, vel cum consuetudo sit satis introducta & usu continuo confirmata. Si expressè velit communitas obligare singulos extunc, verè hæc expressâ voluntas lex expressâ est, non consuetudo. Si expressè velit obligare singulos, si sex annis solidis illum morem servaverint, & non aliter, lex conditionalis est, expressâ tamen, & consuetudo non nisi mera conditio est. Vbi obiter notandum consuetudines à toto populo introduci, & vix reperiri communitatem barbaram in quâ vulgus ferat morales leges. Etiam in communitatibus liberis leges non à vulgo conduntur, sed à Magistratu, ergo vix est casus iste possibilis, qui nunc exponitur. Ergo dicendum est populum qui introducitur consuetudinem cum animo expresso obligandi se lege, habere animum faciendi id quod non potest; quoties barbarus ipse non fit; hoc est, quoties non sit penes vulgus legum ferendarum autoritas; patet, quia consuetudo introducitur non à Magistratu uno, sed à vulgo toto.

¹¹⁰⁵ *Quarto.* Communitas quæ introducitur consuetudinem cum intentione obstringendi se voto præstando, ante quam id præstet non manet obligata. Patet, quia velle

velle vovere, nõ est vovere de facto; sicut velle hominem occidere, nõ est ipsum occidere. Obligatio autem votum sequitur, non verò voluntatè vovendi; quod clarè patet in Novitijs, qui reverà habent intentionem vovendi solenniter, non tamen in Novitiatu obligantur ad virtutum observantiam, quam postea promissuri sunt.

¹¹⁰⁷ *Quinto.* Communitas, quæ introducitur mores vovendo expressè se servaturam illos esse, si sit capax vovendi, tenetur ex vi voti à primâ die quâ illud expressè emisit, independenter ab actuum frequentia, aut à permissione aut confirmatione Principis. Consultò dixi, *si sit capax vovendi*, quia non omnes communitates possunt vota præstare sine licentia sui Capitis, vel saltem hanc auctoritatem possunt subicere Superiorum arbitrio. Teneri à primâ die demonstro, quia voti vi teneris servare id quod promittis; ergo si promittis ex nunc servare consuetudinem, ex nunc teneberis: & si nunc promittis te servaturam eam esse ab anno sequenti, ab anno sequenti teneberis ad illam. Sed hæc non esset consuetudo, sed votum. Cum advertentiâ de voto expresso egi, quia non video quomodo communitas possit vovere implicitè, aut indirectè: quia votum implicitum aut indirectum emittitur, cum aliquid sit quod non probabiliter solum, sed certò & necessariò requirat votum: ita olim multi Religiosi mutatione vestium solenniter profitebantur; exuere autem vestes Novitiorum & induere vestes Professorum, non erat expressè vovere, sed erat vovere implicitè, quia ex humano & communi instituto illa actio æquivalerat his verbis, *Voveo Deo servare castitatem & paupertatem & obedire meo Prelato.* Hodie Benedictini implicitè & indirectè vovemus castitatem & paupertatem, quia vovemus solenniter obedientiam Monasticam, quæ sine paupertate & castitate virgineâ consistere non potest. Docear igitur ab eruditibus, quid potest communitas facere, quod non sit vovere expressè, quod aut ex naturâ rei, aut humano instituto habeat cum voto necessariam & certam

connexionem? certè non tam citò reperient.

Supereft igitur, ut profit consuetudinis obligationi adstruendæ populi voluntas expressè volentis acceptare illam legem, si à suo Magistratu, aut Principe, aut tandem à quocumque alio, qui habeat auctoritatem legislativam, sanciat: si agamus de hoc casu, dico

¹¹⁰⁸ *Sextò.* Hæc populi voluntas sine consensu Legislatoris non sufficit, ut consuetudo habeat vim legis. Consultò *Legislatoris* dixi, non Principis; quia suprema Respublica cognoscunt Legislatorem Magistratum. Est assertum clarissimum: quia velle acceptare legem, si feratur, non est legem condere, aut lege jam latâ obligari.

¹¹⁰⁹ *Septimò.* Posito consensu Principis expresso aut implicito approbantis hanc populi voluntatem, consuetudo non habebit vim legis. Probatur. Quia velle admittere legem ponendam à Legislatore populi humanitas & urbanitas est, & potest eam Legislator acceptare, approbare, non tamen inde sequetur legem ferri. Exemplo fiet res clarior. Monasterium A. Benedictinum, quod olim vescebatur carnibus ex privilegio Pontificio, ac propterea legitime incipit abstinere cum animo admittendi carniū interdictionem cum Superiori placuerit inhibere esum carniū: imò & potest hoc non solum expressè dicere, sed expressè promittere suo Superiori, qui approbet, acceptet, & confirmet talem promissionem. In tali casu, non habebunt illi Religiosi obligationem abstinendi à carnibus, quoniam hoc non promiserunt; sed habebunt obligationem acceptandi legem, quæ carnes interdicit si feratur, hoc enim promiserunt Superiori; hoc acceptavit, approbavit & firmavit Superior: incipient autem obligari cum primùm lex feratur, quæ carniū usum interdicit. Ergo ut consuetudo, quæ est præter jus, habeat vim legis, non sufficit quicumque consensus Principis, sed requiritur legislativus. Et propterea addo

¹¹¹⁰ *Octavo.* Si Legislator consensum legislativum expressè præbeat, illa consuetudo

tudo obligat, non tamen quâ consuetudo sed quâ indicta à lege; quia consensus expressus legislativus non nisi lex expressa est. Consentire legislativè Superior dicendus non est, nisi expressè dicat, *Sancio, Præcipio, Iubeo, aut Fero hanc legem.* &c.

1111 *Septimò.* Sufficit consensus Legislativus implicitus, & indirectus, ut consuetudo habeat vim legis. Est communis Iurisperitorum teste Panormitano, est etiam plurimum Theologorum.

1112 Sed petis, Quid est ferri implicitè legem & implicitè etiam acceptari? Respondeo non posse intelligi dari implicitam legem, nisi expressè à Legislatore fiat aliquid, quod cum lege latâ habet necessariam connexionem: nec posse dici acceptatam implicitè quousque à populo fiat aliquid, quod cum acceptatione necessario connexum sit. Hinc igitur tunc consuetudo inferet virtualè legem, cum observatur ab omnibus, & transgressores puniuntur ut legirupiones, & populus hanc punitionem approbat. Ratio est; quia Princeps vel Magistratus quatenus consuetudinis transgressores punit, censendus est illam velle esse legem: populus quatenus non reclamatur & impedit supplicia eorum qui consuetudinem temerant, censendus est acceptare hanc legem. Ergò huiusmodi supplicia talia sunt, ut sine lege acceptatâ & obligatoriâ stare non possint: ergò quando volentè Legislatore & populo consuetudinis prævaricator punitur, infertur reum peccavisse saltem contra implicitam legem.

1113 Hinc constat à consuetudine merâ licet longissimi temporis non oriri notitiâ implicitæ legis, sed à transgressorum supplicijs toleratis. Consultò *supplicijs dixi, non supplicio*, ut ostenderem, non sufficere unum actum ad interpretationem, quia quando unus aut alter punitur, populus non tenetur scire causam, sed debent omnes consuetudinis transgressores ita ordinariò puniri, ut populus supplicij causam ignorare non possit, & nihil secius non reclamet; quia non reclamare, implicitè acceptare est.

11 In Monasticis communitatibus, quia sententiæ forenses leguntur in capitulo,

prima punitio tolerata sufficit ad interpretandû dari implicitâ legem. Pono casum; consuetudo abstinendi à carnibus ferijs secundis, est ex merâ devotione apud DD. Benedictinos; nam licet Regularis observantia ea sit, non indicitur moraliter, sed pœnaliter, ut ostendi mei commentarij in Regul. *disp. 7.* Accusatur Petrus de carnium comestione, actor exhibet testes, convincitur, sententiâ publicâ condemnatur; pœna gravis indicitur; reus non appellat, sed pœnam admittit; communitas non reclamatur, sed condemnationem approbat: ergò omnes iudicant dari implicitam legem. Primò actor, quia si non supponeret Petrum graviter peccavisse (nèpe moraliter aut pœnaliter) eum non accusaret; quia venialia & levia in iudicio litigioso non tractantur. Secundò ejusdem opinionis est Abbas, qui actionem admittit, & sedet pro tribunali. Tertiò ejusdem opinionis sunt testes, reus, communitas; quia aliàs, nec testes citati responderent, nec reus pœnitentiam admitteret, nec licet vellet permitteretur à communitate; illi enim non respondere deberet, iste appellare, & illa reclamare.

Sed petis, Quanto tempore debeat perrenasse consuetudo permittendi publicas punitiones antequam introducatur implicita lex?

Sanè, non tenetur populus jure implicitæ legis quousque sit verum dicere, *Transgressores consuetudinis puniuntur, populus scit, potest impedire, & non impedit*: quia ex consensu populi supplicia huiusmodi approbante infertur acceptatio implicita latæ-implicitè legis. Transgressores consuetudinis debere puniri, constat ex his quæ nuper dicebamus. Eos puniri, debet constare toti populo, ut populus consuetudinem quâ legem implicitam acceptare dicatur: ut autem præsumatur toti populo nota, sufficere putat Suarius decem annos. Certè si detur lex de præscriptione consuetudinum, & hæc tempus determinet, standum est legis determinationi; sed hic agimus de consuetudine secundum se quâ implicitè præceptâ & implicitè etiam acceptatâ. Ergò ut prudenter philosopher assero consideratum iri

tum iri locum suppliciorum, eorum frequentiam, publicitatem, & populi magnitudinem. Magis publica sunt supplicia ultima, quàm exilia, fustigationes, exactiones; potest enim contingere Petrum aut in exilium mitti, aut verberibus cædi, aut in delicti pœnam summam pecuniæ solvere, quin hoc à populo sciatur. Conducit etiam ad notitiam loci in quo supplicium executioni mandatur: puta si Paulus stranguletur aut in campo, aut in foro, aut in carcere. Si in carcere, paucissimi scient; si in campo, nò multi; plurimi, si in foro. Oportet etiam esse publicum non solum illos puniri, sed etiam propter violatam consuetudinem. Ergò cum huiusmodi punitiones tã frequentes & communes sunt, ut plusquam septem communitatis partes prætere non possint ignorantiam, tunc dicendum est illam legem implicitè latam universis imponi.

1116 Non tamen statim dicendum est illos eâ lege implicitâ obstringi, nisi accidat alia circumstantia, à priori, aut à posteriori. A priori quidem, si expressè aut implicitè promiserint vel proposuerint admittere illam legem cum tacitè aut expressè feratur: tunc enim ex vi illius promissionis aut propositi antecedentis prudenter præsumitur legem illam implicitè latam acceptari. A posteriori sanè, si populus possit huiusmodi supplicia reclamando impedire, & impedire nolit: quia populus, qui reclamare non audeat, non est dicendus legem acceptare, sed censendus est tyrannidè obrui, & consensum præbere involuntarius.

De Consuetudine, quæ contra jus introducitur, an possit abrogare legem?

1117 **E**X his, quæ nuper dicebamus, constat quomodo debeamus quæsito satisfacere. Dico igitur consuetudinem, sicut nūquam per se introducit legem implicitam sed est motiū cognoscendi legem implicitam latam à Legislatore legitimo & à populo liberè acceptatâ; sic etiam nunquam posse per se abrogare legem, sed esse aut conditionem aut motivum per suadens legem esse à suo legislatore abrogatam.

Vt igitur lex implicitè abrogari censetur, requiritur frequenter & impunè temerari Legislatore; sciente & permitte. Vide philosophandi Analogiam. Legem tacitè ferri dicimus, cum nemo consuetudinem impunè transgreditur, populo sciente, potente impedire, & consentiente: non aliter, legem abrogari tacitè iudicamus, cum eam temerat quicumque volunt, & hoc impunè, Legislatore sciente, potente punire, & non puniente. Ratio est, quia Legislator, qui videt suam legem passim non observari, & hoc non iudicat facinorosum, est censendus eam cassavisse. Arguo sic. Injurius est non solum Principi Legislatore sed etiam Reipublicæ, qui censet illum iniquum; si prudentia pietatem induat, debet propugnare suum Principem & sic interpretari actiones ejus ancipites, ut justæ & legitime evadant. Consultò *ancipites dixi*, hæ sunt actiones, quæ laudis & vituperij sunt capaces secundum captum & pietatem censorum. Ergo quando videmus legem A. passim temerari, & transgressores non puniri à sciente Legislatore, debemus credere illos non peccavisse, quia aliàs argueremus Iudicem de iniquitate, qui passim ignosceret scelestis: ut autem eos non peccavisse defendatur, qui temeraverunt legem A, addendum necessario eandem jam abrogatam; quia aliàs & legirupiones peccarent, & Iudex, qui eis ignosceret, iniquus esset.

Peto frequentiam actuum, ut lex dicatur implicitè abrogari; quia non est dicendus statim legis temerator, qui eam semel aut iterum non servat; humanæ enim leges cedunt charitati & necessitati, & dantur sæpè rationes ut hic & nunc lex A. non possit observari à Petro, nunquam autem ut passim & frequenter à populo toto contemnatur. Etiam aliquando legirupioni ignoscere, prudentia est spe majoris boni communis aut privati: igitur lex implicitè abrogata non est, nisi frequenter violetur, & prævaricatores à Legislatore tolerentur & cognoscantur.

An Consuetudo possit inducere legem merè poenalem.

1120 **A** Ssero cum Suario libr. 7. de legib. cap. 16. num. 3. & alijs. quia nulla datur repugnantia.

Et probò; quia positâ actuum frequentia, potest esse animus populi admittendi circa talem materiam legem merè-pœnalè cum ponatur, & non admittèdi moralè, ergò si postea Princeps à transgresso-ribus pœnas exigat, non reclamante populo, dicendum est illam legè implicitam ortam à consuetudine esse merè pœna-lem.

1121 Major est difficultas, An possit intro-ducere obligationem moralem. Ratio dubitandi est, quia tunc cognoscitur lex implicita, quando aliquid ponitur, quod non potest stare sine lege; sed quid- quid ponatur, potest stare sine lege morali: ergò non dantur leges morales im- plicitæ. Minorem probò. Quia etiam leges merè-pœnales observantur, & earum transgressores vituperantur, carpuntur, corriguntur, puniuntur, imò & aliquâdo ultimâ sententiâ, nonnumquam infamiâ condemnantur: quando ergò interpreta-beris moralem legem, si ex præmissis hu- jusmodi nõ sequatur certò & necessariò vel dato circumstantias alias quæ inter-pretationi sufficiant.

1122 Hac ratione convictus elicio has Cõ- clusiones. I. Consuetudo cum habet vim le- gis (hoc est, cum infert necessariò legem im- plicitam) obligat in foro exteriori. II. Cum autem habet vim (id est, cum infert necessa- riò votum iimplicitum) obligat in conscientiâ. III. Vix aut ne vix quidem, potest dari con- suetudo quæ habeat vim voti impliciti (vide num.) IV. Ut consuetudo obliget certò in conscientiâ hoc ipsum debet expressè decla- rari. Patet, quia non habemus fundamēta ex quibus id possimus implicitè colligere.

De Consuetudine privatâ.

1123 **N** On facîle admittam privatam cõ- suetudinem, quæ habeat vim le- gis; admittam statim quæ vim voti, si ta- lis possibilis sit. hæc tamen personalis est, nec potest obligare reliquos mortuo

vovente. Ratio est; ideò vota communi- tatis æternùm obligant, quia communi- tas non moritur: ergò particularium vota cessant, cum ij moriuntur. Patet consequentia; quia etiam communitatis vota cessant cum hæc deletur. Verbi gra- tiâ. Civitas N. vovet jejunare singulis annis tali die: ergò æternùm tenebitur, quoniam tempus non limitat. Si accidat, quòd Martis injuriâ hæc Civitas ab ini- micis deleatur, tota obligatio cessat, nec tenentur indigenæ servare votum; quia jam non sunt membra illius communita- tis, quæ non esse supponitur. [sed memi- neris me non posse intelligere votum im- plicitum in consuetudinis materiâ.]

Qui hoc altâ mente concipias dices 1124 consuetudinem, quam habent juniores Religiosi legendi horas privatim, non esse communitatis consuetudinem, sed parti- cularium, qui quomodocumque se obli- gaverint moriuntur, & obligationes ipsæ excidunt ob eorum mortem: & quidem hæc ratio est fortissima, si asseratur eos obstringi consuetudine quæ habet vim voti; ratio est, quia votum non obligat non voventem, & juniores qui hodie sunt, non sunt illi veteres qui dicuntur vovisse: quia sicut est verum dicere, cõ- munitas Monasterij N. vixit quingentis annis, quia semper fuit moraliter eadem communitas; sic etiam est verum dicere juniores, qui sunt hodie, non erant à quingentis annis, quia remanet idem my- sticum corpus successione partium phy- sicarum: ergò accidentia, attributa & obligationes partium cum partibus tran- seunt; corporis attributa, accidentia & obligationes remanebunt, quia & corpus remanet.

Dices. Potest ferri lex expressa, quæ 1125 non obliget totam communitatem, sed tale genus hominum habitantium in eâ- dem: ut cum in Republicâ indicitur, *Ut nobiles militent, & rustici pendant tributa,* cujus legis virtute non solùm existentes, sed & futuri obligabuntur.

Respondeo communitatem esse dupli- 1126 cem; aliam simplicem, aliam composi- tam: simplex quæ indivisibilis, compo- sita quæ componitur ex alijs communi- tatibus. Regnum communitas est, quæ compo-

PARS ALTERA.

De Consuetudine respectu Decalogi.

1129 **S**I consuetudinis materia sit præter Decalogum & ipsa consuetudo ha- beat vim voti, non additur Decalogo novum præceptum, sed nova materia secundo præcepto primæ Tabulæ, non se- cus ac quando expressa vota facimus. Si consuetudo habeat vim legis, hoc est, im- bibat legem Dei moralem implicitam; requireret quòd transgressores divinitus punirentur, & nobis constaret eos puniri, & sciremus puniri propter hoc: quæ om- nia non accidunt; neminem enim Deus punit, qui consuetudinem nondum obli- gatoriam temerat. Sed Principes aliter faciunt; puniunt consuetudinis violato- res, ut suavius eam indicant & præci- piant implicitè. Cæterùm, si Deus inci- peret hodie punire non audientes singulis diebus missam, esset fundamentum suffi- ciens interpretandi legem de audiendâ missâ quotidie. Sed Deus si illos puniret, non puniret intuitu præcedentis consue- tudinis, sed præcedentis legis; aut certè non puniret (innocentes afflictionibus exercet & probat aliquando, nunquam punit) & ideò consuetudo prædicta non veniret dicenda inferre novam legem.

Dices, Cum Princeps punit Petrum 1130 consuetudinis prævaricatorem, ostendit se velle observari talem consuetudinem: ergò etiam Deus, si puniret temerantes talem consuetudinem, ostenderet se velle eam à nobis servari. Atqui primum suf- ficat, ut introducatur lex implicita hu- mana; ergò secundum sufficeret, ut in- troduceretur divina.

Respondeo eum qui punit, tacitè di- 1131 cere se jam ante præcepisse illud cujus prævaricatores punit; non enim puniun- tur illi qui faciunt actiones interdican- das, sed qui interdiktas. Ergò, si Deus puniret aliquem ob violationem con- suetudinis, implicitè diceret illum vio- lasse legem positam, ergò & mentiretur implicitè, quod est absurdum.

Objicis, ergò saltem jam admittitur Principes mentiri implicitè cum inci- piunt punire consuetudinum prævarica- tores.

componitur Provincijs; Provincia constat Civitatibus, & Civitas sæpe Commu- nitatibus diversis, quarum quæcumque habet diversas leges. Eodem modo Ordo Benedictinus constat Congregationibus, Congregatio Monasterijs; Monasterium est Communitas indivisibilis.

Quando communitas componitur dua- bus alijs communitatibus, potest Legisla- tor inconsultâ communitate A, ferre le- gem pro communitate B; & communitas B. poterit inconsultâ communitate A. latam legem acceptare, vel non acce- ptare.

Præterea. Quando communitas est sim- plex, potest Legislator ferre legem, quæ obliget unam partem illius communita- tis; hæc autem lex debet à totâ commu- nitate acceptari.

1127 Hinc ad argumentum in formâ. Vel nobilitas & plebs sunt duæ communitates diversa in eadem urbe, vel neutra est scorsim communitas, sed confluunt ut cõ- stituant unam communitatem. Vbi sunt duæ cõmunitates scorsim, ibi potest Legi- slator nobilitati legem imponere à populi legibus independentem; quam nobiles aut acceptabunt aut rejicient sine consi- lio popularium. Vbi nobilitas non est communitas scorsim, potest ferri lex quæ obliget solos nobiles, hæc autem non solùm à nobilibus, sed & à plebeis; hoc est à communitate totâ debet acceptari.

1128 Ideò si lex sanciretur indicens juniori- bus legere privatim, esset lex merè pri- vata, quæ solos illos obligaret, quibus im- ponebatur, non futuros. Ut autem esset lex publica & permanēs, deberet admitti à totâ communitate. Ergò ut esset con- suetudo communis & permanens deberet introduci similiter à totâ communitate. Atqui tota communitas non potest intro- ducere hanc consuetudinem, ergò. mino- rem probò; quoniam consuetudo intro- ducitur per actus aliàs non obligatorios; Sacerdotes autem & omnes promoti ad sacra ratione ordinū tenentur ad lectio- nem horarum.



tores. Malè igitur defendimus auctoritatem Principū, quos arguimus de ignobili mendacio.

1132 Respondeo, Deum non posse dicere falsum sine mendacio, Principem posse: hic enim potest falli, & putare verum quod reverà non est; Deus autem, cum per essentiam sapiens sit, falli non potest. Ideò cum videmus Principem (aut quicumque alium Legislatorem) punientem transgressores consuetudinis, opus est ut eum vel incusemus de iniquitate, vel dicamus hanc consuetudinem affectà obligatorià lege, vel saltem talem credi à Principe, qui vult illam servari. Princeps autem putando consuetudinem esse affectam lege, quando nondum est, errat physicè, non moraliter; sed puniendo transgressores, illam consuetudinem lege afficit tacitâ, quam implicitè acceptat populus non reclamando.

1133 Consuetudines, quæ contra Decalogum, non derogasse aliquod præceptum illius constat clarissimè. Quoniam licet Idololatræ legibus & moribus multis articulis legis divinæ adversarentur, non tamen prævaluerunt, & probo. Quia ut consuetudo legem derogat, debet habere has qualitates. *Primò* debet esse communis & publica; *secundò* Legislatore cognita, Legislatore inquam potenti punire & impedire non volenti; *tertiò* debet constare non puniri transgressores. Has qualitates non habent consuetudines, quæ contra Decalogum perennant. Idololatræ contra articulum quintum tenuerunt mortis & vitæ libertatem, & hanc alicubi legibus expressissimis, alicubi constanti consuetudine ut nemo ignorat, qui historias Græcorum aut Romanorum legit. Hæc consuetudo habebat primam qualitatem, erat enim & communis & publica; non carebat secundâ, nam Legislator Deus illam non ignoravit, qui potuit illam aut impedire, aut punire ejus introductores. Sanè eidem consuetudini tertia qualitas deficit; quia legis hujus æternæ transgressores igne æterno puniuntur, & hoc nemine excepto peccatores dare æternas pœnas, cum apud Catholicos fide sancitum, omni est humanâ veritate certius. Sed neque Genti-

les inferni pœnas negauerunt, ut constat ex Poëtis & Philosophis melioris notæ: non igitur dicendum, fuisse consuetudinem, quæ legem æternam abrogaverit.

Petis, An dari possit? Respondeo negativè, quoniam actus divinæ mentis expressi sunt, & circa illos expressè voluntas divina versatur. Ergò si stantem consuetudinem contra aliquod præceptum Decalogi Deus toleraret, cum negativè se habere non possit, deberet expressè approbare, & expressè derogare legem. Potest igitur Deus derogare Decalogi articulum, non tamen dari consuetudo quæ habeat implicitam & tacitam Dei approbationem: quia vel expressam permissionem, vel expressam reprobationem habebit. Cæterum expressa reprobatio, interdicitiva lex est: expressa permissio, est etiam expressa dispensatio.

Cæterum, si illorum supponas sententiam, qui in Deo dari etiam puras omissiones liberas existimant, interpretativam Dei voluntatem concedes, & consequenter posse dari interpretativam legem: adeoque consuetudinem quæ abroget præcepta Decalogi. Deo autem puras omissiones liberas non concedam, qui illas Angelis & Hominibus nego. Quibus sublatis constat consuetudines quascunque, quæ sunt contra legem Decalogi, non esse mores, sed meras morum corruptelas docente D. Thomâ 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 3. *ad* 1. subscribentibus omnibus Theologis, quibus & consonant Iurisperiti ex cap. *ultim. de Consuetud.* & ex cap. *Si consuetudo*, & ex cap. *Quæ contra mores*, & alijs petendis ex *distinct.* 8. quæ confirmat Authent. *Ut nulli judicium liceat, coll.* 9. *titul.* 9. *cap.* 1.

DISPUT. V.

An Decalogus civili lege humanitatis mutari possit?

1136 **N**ON dari humanam aliquam auctoritatem, quæ possit totum Decalogum abrogare admittitur ab universis; utrum detur, quæ saltem pro tempore, occasione & loco unum vel alterum

alterum articulum possit mutare, multi inquirunt.

Prima Sententia.

1137 **D**antur Authores celeberrimi, qui his tribus assertis fundant doctrinam & obligationem juris divini. *Primum*, Nulla creatura potest condere jus divinum. *Secundum*, Nulla potest totum jus divinum abrogare. *Tertium*, Aliqui juris divini articuli humanâ auctoritate aliquando abrogantur, alij nondum sunt abrogati, sed possunt abrogari.

1138 Ita noster Panormitanus Abbas in cap. *A nobis de Decim. n. 4.* & in cap. *Cum tanto de Consuetud. n. 3.* & cap. *Quæ in Ecclesiarum de Constit. n. 11.* ubi etiam Felin. Innocentius & alij. Angelus *verb. Papa n. 1.* uberiùs hanc quæstionem examinat, & hanc auctoritatem Pontifici Romano adscribit. & Navarr. *Consil. 2. Qui filij sunt legi. n. 8.* asserit posse Pontificem limitare legem naturalem & divinam dispensationes concedendo. & novissimè Sancius *lib. 8. de Matrim. disp. 6.* ubi citat Theologos & Iuristas. Videtur huic sententiæ subscribere Henriquez *lib. 8. Euchar. c. 13.* & Canus *Relict. de pœnit. p. 5.* Hanc etiam habuerunt Authores Glossæ, expressè in cap. *A nobis de Decim. verb. Exempt.* & in L. *Manumissiones. verb. Nasceretur.* & in L. *Ius civil. ff. de just. & jur.* & sæpè alibi eandem habent universi, qui hujuscemodi Glossas admittunt.

Secunda.

1139 **F**erè omnes Theologi & doctiores Iuridici docent Decalogum in nullo vero præcepto diminui aut abrogari posse dispensatione, revocatione, derogatione, aut lege humanâ. Hanc sententiam tuentur omnes illi, qui asserunt Decalogum mutari non posse: item illi qui docent Pontificem non posse dispensare in jure divino positivo, quia à fortiori dicturi sunt eum non posse dispensare in Decalogo. Expressè verò de Decalogo id tradidit Almainus *de potest. Eccles. c. 13. concl. 1.* & in 4. *dist. 15. q. 2. art. 1.* Sylvest. *verb. Papa. q. 16. Abulen. exod. 20. q. 25.* Victoria *Relict. 2. de potest. Papa. & Concil. Driedus li. 2. de libert. Christ. c. 4. in fin. Sotus li. 1. de just. q. 7. ar. 3. & li. 4. q. 3. ar. 1. ad 1. & li. 10. q. 3. ar. 4.* Turrecremata in *Summ. lib. 3.*

c. 54. & 57. Covarr. in *Reg. Peccat. p. 2. §. 11. n. 3.* & in *c. Quamvis pact. 2. q. §. 4. n. 6.* & in *Epitom. 4. p. 2. c. 6. §. 9. n. 3.* Barbossa in *Rubric. ff. soluto matrim. 2. p. n. 104.* Albertus Bolognet *tr. de leg. c. 26. n. 3.* Suar. *li. 2. de leg. c. 14. n. 6.* & Navarrus licet sibi contrarius, *Concil. 4. de Desponsat. impub. n. 16.* & in *c. Ita quorundam de Judæis Glossa penult. per totam.* Favent Glossa in *c. Sunt quidem. 25. q. 2.* & Glossa in cap. *Proposuit. de Concess. Præbend.*

VERA SENTENTIA.

1140 **S**uppono ex dicendis, posse Deum totum Decalogum, aut saltem partem abrogare; quoniam, si id non supponitur, controversiæ locus non est, sed potius debet asseri Decalogum ita ab intrinseco necessarium, ut nec divinitus nec humanitatis mutari possit.

Si Deus per se potest aliquos articulos Decalogi expungere, ego non video, cur dicendum sit non potuisse hanc auctoritatem delegare Angelo, Homini, aut alij creaturæ intellectuali. Quia licet dispensatio esset miraculosa; hoc est, præter communes naturæ leges & ordinariâ Dei potentiam, non esset homini improporcionata, maxime cum videamus singulis diebus miracula ab hominibus patrari, quorum ipsi sunt saltem morales causæ; quia qui ex delegatâ auctoritate in lege dispensat, est moralis causa abrogans legem pro illo casu.

1141 Ut hoc altius intelligas est necessarium bene scire quid sit auctoritatem delegare. Cum inauguratur Rex, juramento obstringitur populus ad obedientiam; nempe tenetur illi obtemperare, solvendo pœnas si lex fuerit pœnalis, aut satisfaciendo conscientie si moralis; & hoc ex vi præstiti juramenti. Si jubet Rex Proregi quod imponat præcepta plebi, obligatura eam ex vi jurisjurandi; præcepta vana sunt, quia plebs promissit obedientiam, non Proregi, sed Regi; & Rex invito populo non potest transferre suam auctoritatem. Quomodo ergò Rex investit Proregem auctoritate delegatâ? expendam. Implicitè ipsum promovet hoc tacito tenore verborum. *Esto mihi interpretes Prorex, mea voluntatis expositor. Præcipio meis subditis illa omnia, quæ ille notificaverit, & abrogo leges, quæ ille declara-*

verit non obligare. Ecce Delegatus non habet auctoritatem in populum, sed est conditio liberè applicans Regis auctoritatem. Ex vi istius formulæ Prorex non habet auctoritatem subdelegandi, quia soli conceditur esse interpretem & legatum Regis. Ideò aptè Romani suos Proreges, & Belli Principes Legatos vocarunt, quoniam nullam habebant auctoritatem ordinariam, sed erant legati & nuntij decretorum, quæ ferebantur in Senatu; is enim præcipiebat militibus, quæ Legati indicebant. Vt Delegatus habeat auctoritatem subdelegandi unum aut duos, debet hoc expresse concedi à Delegante. Dabo formulam: *Iubeo meis vasallis illa omnia quæ Petrus, aut ab eo denominatus, notificaverit; dispensato in legibus, quas ipse Petrus, aut aliquis ab eo denominatus, non obligare declaraverit.* Stante hac commissione sive Petrus, sive aliquis à Petro denominatus, aliquid præcipiat, debet populus illud facere, non ut obediat Petro aut Petri Vicario, sed ut obediat Regi, qui illud præcipit per Petrum tanquam per nuntium & Regiæ voluntatis legatum. Non aliter; si Petrus, aut ipsius Vicarius dispenset in lege civili, aliàs obligatoriâ, tenet dispensatio; non quia Petrus dispensare aut abrogare leges civiles potest, sed quia Rex ipse dispensat, Petrus enim est merus tabellarius, qui populo notificat Regiam dispensationem.

1142 Secundum rigorem scholasticum distinguitur auctoritas Legati & Delegati: & discrimen ex formulis creationis constat. Commissio Legati confertur per similia verba. *Dicatis tali Reipublica, Regi, aut Civitati quod ego postulo aut præcipio hoc.* Ecce nihil committitur Legati arbitrio; & si quid committitur; jam quoad illud non Legatus, sed Delegatus est, in cuius denominatione Rex suis subditis præcipit illa omnia, quæ Delegatus exposuerit, nihil determinans in singulari.

Legatos Dei vidimus sæpè sapius, Prophetæ sæpè leguntur à Deo missi, & nomine Dei locuti esse. Angeli tales dicuntur non ratione naturæ, sed officij; quoniam qui ἄγγελος Græcè, Latine dicitur Legatus. Et hoc tam pervium, clarum & commune, ut sufficiat notari.

1143 Cur igitur non poterit Deus habere Delegatos: An non Eliam Delegatum constituit cum auctoritate dispensandi in physica lege naturali? aut quid aliud sonant illa verba, quæ 3. Regum 17. 1. dixit Galaaditis, nempe, *Vivit Dominus Deus Israel in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluvia nisi juxta oris mei verba?* Ecce Eliam Domini Delegatum. Lege naturali physica decretum erat, ut Astrorum influxus & Solis periodus vapores exigerent à terrâ, & pluvias debitæ temporibus retribuerent. Delegat Eliâ Deus, & delegationis auctoritatem sic cōcipio. *Præcipio, inquit Deus, celo ut terræ pluvias non contribuat his annis, quousque ab Eliâ admoneatur: præcipio eidem ut pluat, cum Elias indixerit.* Conceptum meum confirmat Ecclesiasticus capituli XLVIII. primo. ubi sic. *Et surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat. Qui induxit in illos famem, & irritantes illum invidiâ suâ pauci facti sunt, nō enim poterant sustinere præcepta Domini. Verbo Domini continuavit calum, & dejecit de celo ignem ter.* Expendo. Pauci facti sunt Galaaditæ cæli inclementiâ atque famis rigore, quam non potuerunt sustinere; at qui dicuntur nō potuisse sustinere præcepta Domini: ergo cæli rigor, famas erant à Domino præcepta: non absolute; sed hypoteticè, nempe ad arbitrium Eliæ, qui irritatus invidiâ eorum pluvias nō petijt, & exposuit celo mandatum præcipientis Dei, & verbo Domini illud clausit. Quod confirmatur ex Iacobi Epistolæ quinto. *Elias, inquit Iacobus, homo erat similis nobis passibilis, & oratione orabit, ut non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex: & rursus oravit; & celum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum.* Non habebat auctoritatem ordinariam Elias, ut celo juberet; habuit tamen delegatam à domino. Fuit Orator Dei, & Delegatus; nam Deus jusserat celo, ne plueret invito Eliâ, ne non plueret eodem præcipiente. Ergo sicut Deus lege physica præcipit elementis ut ea unice facerent, quæ Elias indiceret, licet communi legi naturali physicæ contraria; illa verò non facerent quæ veteret licet secundum ordinarium cursum rerum & exigentiam

causarum

causarum naturalium essent: sic etiam poterit lege morali præcipere ut faciant, quæcumque Ioannes indicat, licet sint contra communem & naturalem legem moralem, & præcipere ne faciant quæ ipse Ioannes inhibeat, licet sint contra communem naturalem-moralem legem. Sit igitur

1144 CONCLUSIO I. *Deus potest delegare auctoritatem præcipiendi ea omnia quæ ipse potest præcipere.*

1145 CONCLUSIO II. *Potest delegare auctoritatē dispensandi, immutandi, alterandi, innovandi illos omnes Decalogi articulos, quos ipse potest innovare, alterare, immutare, & dispensare.*

1146 CONCLUSIO III. *Potest concedere subdelegabilem auctoritatem.* Patet, quia potest illâ delegare non solum Petro v. g. sed etiam ab ipso nominandis; hi autem haberent auctoritatem à Deo immediatè hypoteticè, hoc est, ex suppositione, quod nominarentur ab Petro.

Deum posse delegare auctoritatē augendi aut diminuendi Decalogi articulos statui; an delegaverit de facto dubitas. *Sentio nunquam delegavisse.* Et probo

1147 *Primo, quia non datur aliqua delegatio authentica: vel qui contrariū sciat, ostendat.* Hæc ratio fortissima est, & verè convincit, non secus ac si daretur humanitūs Prorex Regis delegatus, deberet habere commissionem authenticâ ab ipso Rege; nec tueri suam auctoritatem posset, quin commissionem exhiberet; datur igitur unus, cui commiserit Deus cōscientiarum regimen, & delegaverit auctoritatem condendi novum jus naturale-morale, aut abrogandi aliqua præcepta Decalogi. Quousque ipsi contrarium ostendant, debemus stare pro negativâ parte.

1148 *Secundo, quia Catholicæ Religionis auctoritati videtur expedire, quod nemo habeat jus dispensandi in Decalogo: ratio est, quia si ex dispensatione contra legem naturalem operaremur, scandalizarem Achristianos, qui censent jus naturæ esse indispensabile: nec haberemus unam rationem quâ possemus adori contrarios. Præterea Idololatrias, Mauros, Ethnicos, imò aliquando Hæreticos*

carpimus, quod aliqua statuant & doceant contra jus naturale: quos debemus tractare benigniùs, si possent dicere se habere legitimam dispensationem illarum legum moralium-naturalium, quas non observant.

OBIECTIO.

1149 **V**lgaris ratio est, quæ sumitur de communi rerum dominio, quam contra resolutionem meam expendis sic. *Lure natura omnia erant communia, & nihilominus omnia humanitūs ita divisa sunt, ut ex tribus elementis quæ inhabitamus vix sit pars quæ communis remanserit: constat ex cap. Jus naturale dist. 1. ex cap. Quo jure dist. 8.* Ergo humanâ lege aut consuetudine rerum communitas sublata est. Humana ergo auctoritas potest limitare jus naturæ, ejus præcepta aut interdicens aut limitando.

Prima Satisfactio.

1150 **M**ulti respondent asserendo dominij divisionem iniquè fuisse institutâ & contra æquitatem perennare: & probant ex cap. *Dilectissimis. 12. quest. 1.* ubi expresse asseritur rerum divisio per iniquitatem introducta. Confirmant ex Rebus publicis excellentissimis, quæ ut mores dissonos corrigerent, communionem bonorum instituerunt. *Primo, omnes Religiosi Monachales & pleriq; Mendicantes, habent rerum dominium in communi ex vi professionis, in qua morum suorum conversionem (ut constat ex Monastica professionis formulâ) promittunt: ergo si habere bona in communi est morum conversio, erit perversio eorumdem morum habere dominium peculiare. Secundo, aliqua Seraphicæ Congregationes videntes mille pericula imperfectionum grava subesse dominio in communi, quatenus una communitas excludit alteram à bonorum suorum proprietate, quæ non poterant ad stateram reducere, absolute contempserunt, malentes omninò pauperes carere rebus omnibus, quam iniquam proprietatem habere. Tertio, conglomerant rationes omnes quæ approbare videntur dominium rerum in communi, reprobat in particulari.*

N n 2

Verum

1151 Verum hæc responsio nec objectioni, nec viro docto satisfacet; quia, ut ostendi superius, aliquarum rerum divisio est de jure naturæ, aliarum præter naturæ jus, nullarum contra. Illud testimonium desumptum ex capit. *Dilectissimis*, verissimam doctrinam continet, quia sæpe rerum divisio nascitur ex iniquitate: verbi gratia, sunt tres Respublicæ supremæ, & habeant bona communia, puta pascua aut sylvas: una pactum prævaricatur, & omnia bona sibi appropriat, ipsi ab alijs duabus bellum indicitur, tandem vincitur & subjugatur, & bona ipsius, utpotè victoriæ fructus, inter victores dividuntur, victis spoliatis. Ecce unius Respublicæ iniquitas in causâ, ut communia bona justè dividerentur. Ad confirmationem dico non posse dari felicem & perennem Rempublicam, si communia sint omnia. Ad illud quod primo loco dicitur de Religiosis, respondeo eos habere proprietatem rerum in communi & multarum rerum in singulari; quia unius Monasterij Religiosi bifariam possunt considerari, vel ut multi homines physici, aut ut unus homo mysticus & moralis. Ut unum corpus mysticum sunt, habent dominium rerum proprium, quia bona Monasterij N. Sancti Dominici non pertinent ad Religiosos Carthusianos: ecce claram bonorum divisionem. Ut multi homines physici sunt, habent singuli multarum rerum dominium physicum, & etiam aliquarum morale. Petrus est dominus suarum actionum vitalium, ita ut visio ipsius non sit Pauli, sicut nec verba ipsius sunt Pauli. Vide ea quæ dixi in *Commentarij mei in Regul. Bened. disp. LIX. à num. 830.* proderunt quæ expendi superius libro primo per totum. Cæterum illam qualemcumque bonorum communionem non instituerunt, ut fugerent divisionis iniquitatem, quia si in divisione esset iniquitas, deberent habere bona non sibi solis communia, sed communia universis, ut exponebat Iulianus Apostata, qui jussit ne convenirentur in judicio, qui Christianum aliquem spoliasset, quia, ut dicebat, Christiana Religio condemnat bonorum divisionem, quæ deesse non potest si Christianorum bona

solùm sint communia Christianis, quia si & ipsa Ethnicorum non essent, essent divisa & peculiaria. Vide Nazianzenum *Orat. 1. contra Iulianum*: & Martyrologium Romanum, quod meminit Iulittæ Martyris Cæsariensis in Cappadociâ, quam Basilius elogio pulcherrimo honoravit. Hæc igitur à potente depauperata lætronem accusavit; & judicis decreto expositum Christianos in causâ possessionum non debere audiri, cum assererent communia esse universa. Iuliani enim & alterius Iudicis Cæsariensis sententiæ ideò iniquæ, quia calumniabantur divisionem bonorum à Religione Christianâ reprobari; si enim hoc verum, justæ essent, quoniam non possunt communia & indivisa bona dici, quæ alicui homini non sunt communia; bona enim saltem respectu illius dividuntur. Illud quod secundo loco de Seraphycis dicitur, qui carent bonis in communi, non favet; dicuntur enim sua bona Summo Pontifici dedisse, & donatio non teneret, si deficeret legitima rerum proprietas. Præterea & ipsi in singulari habent multarum rerum dominium physicum, imò morale ut alij Religiosi, juxta ea quæ dico *Disput. illâ LIX.* jam citatâ: & fortè etiam habent aliquale dominium in communi; aut saltem certum est illorum bona minus communia esse, quàm bona aliorum Religiosorum, quia hæc aliquando sunt communia multis centenis viris, ut patet in Monasterio Alcobaciensi (Cisterciense est in Lusitaniâ) quod legitur habuisse 999. Religiosos; bona autem illorum Patrum pertinent ad Summum Pontificem, qui dicitur habere proprietatem bonorum, quæ ad tales Religiosos spectarent.

Secunda Satisfactio.

1152 **S**unt, qui dicant divisionem bonorum ingressam per peccatum, non autem eam peccaminosam esse, & idcirco caput illud *Dilectissimis* explicant asserendo homini ante peccatum fuisse præceptam bonorum communionem, & hoc præceptum abrogatum fuisse post Adami lapsum: ac propterea addunt bonorum divisionem fuisse contra naturæ jus, si primus homo non peccavisset; non jam tale esse

esse post peccatum, & præcepti illius abrogationem. Ita Scotus in 4. *distinct. 15. quest. 2. art. 1.* Gabriel *ibidem quest. 2. & alij.*

1153 Cæterum hoc præceptum naturale non placet quia contra naturam esset, demonstro enim *num. 121.* rerum divisionem esse ex magnâ parte naturalem: & argumentor sic. Teste Scoto nihil à naturæ jure præcipitur, quod militet contra rerum naturam; atqui omnimoda rerum communitas militat contra rerum naturam: ergò non est admittendum naturale præceptum, quod indicat rerum omnimodam communitatem. Aut dicant mihi Scotici; essentne in statu innocentie communes uxores & filij? communia alimenta & res quæ consumuntur uno actu, præcipue cum consumerentur? essentne communes arbores industriâ privatâ factæ, & metalla artificiosè genita? qui asserat causam efficientem intellectualem non esse dominam effectuum, quos liberè producit, cogetur dicere Deum non esse mundi dominum, aut det aliquam rationem verè similem dominio divino comprobando. Vide *Disp. 3. num. 105.* ubi ago de physico dominio Dei, & ostendo esse rerum dominum, non quæ Sapientem, sed quæ Creatorem.

1154 Præterea; esto homines non habeant dominium privatum naturale & physicum, quo physicè privari non possint, esto omne dominium sit morale. An non gratis asseritur illud præceptum impositum naturæ humanæ nondum lapsæ? Quia, vel homines fuissent sanctiores quàm nunc sunt, si Adamus nõ peccasset, aut deteriores; si deteriores cessant omnes Scoti conjecturæ, qui ideò putat illud præceptum esse necessariû, quia in summâ amicitia & pace essent victuri, & hæc communis tranquillitas indigebat cõmunitate rerum omnium: atqui si homines illi essent nostris pejores, essent minus tranquilli & pacifici; ergò illud præceptum potius ipsis noceret quàm nobis. Si dicitur illos futuros fuisse nostris hominibus meliores & sanctiores, etiam conjectura Scoti vana est, quia meliores & sanctiores paucioribus præceptis indigent, quàm scelerati: ergò præcepta naturæ

non debuerunt in illo statu sanctiori & perfectiori multiplicari. Præterea, quidquid hîc dicatur ab Scoticis probabile non est, sed conjecturale, ac propterea ab scholâ expungendum, quæ solùm certa aut saltem probabilia admittit.

Tertia Satisfactio.

1155 **A**lij rem altius considerantes, dicunt hanc propositionem, *Omnia sunt communia jure naturæ*, dupliciter posse intelligi; videlicet, positivè & negativè. Id dicitur esse de jure naturæ negativè quod naturæ jure nec præcipitur nec interdicitur, sicut illud dicendum est esse de jure naturæ positivè, quod jus naturæ præcipit; illud contra jus naturæ positivè, quod jus naturæ interdicit. Addunt rerum divisionem esse de jure naturæ, non tamen positivè sed negativè, hoc est, nec esse indictam, nec prohibitam à jure naturæ. Ita Conradus *de contract. quest. 10.* Cavarrubias *in Regulâ, Peccatum. 2. p. 8. 11. num. 3.* Navarrus *in caput. Ita quorundam. de Judæis. notab. 11. Gloss. penult. Suarius libr. 2. de leg. cap. 19. numer. 14.* quibus favere videtur D. Thomas 2. 2. *quest. 66. art. 2. ad 1. & quest. 94. art. 5. ad 3.*

Verè hæc rerum communitio negativa 1156 meritò Fortunio Garcia *in leg. Manumissiones. num. 8.* non placuit; imò illam impugno. *Primo*, quia eodem sensu posset dici bonorum divisio esse de jure naturæ negativè, quia ex eorum sententiâ natura nec rerum communionem, nec divisionem interdixit: unde sicut bonorum cõmunitio dicitur de jure naturæ negativè quod non sit interdicta jure naturæ positivè; sic etiam divisio dici posset de jure naturæ negativè, quia non est jure naturæ positivè interdicta. Cæterum si hoc modo authoritates positæ intelligantur, nihil ab eis docemur.

1157 *Secundo*. Simili modo dicere possemus libertatem hominum esse de jure naturæ negativè, hoc est, nec interdictam nec indictam. unde non minus operaretur præter naturam, qui captivum dimitteret, quàm qui caperet liberum & opprimeret imperij tyrannide: Vel si hoc dici non debet, non sunt omnia communia jure

naturæ negativè: quia etiam homines possunt ab alijs possideri, imò & occidi, si causæ dentur iudicio prudentum sufficientes.

1158 Suarius, ut his instantijs satisfaciat, distinguit jus naturale præceptivum à dominativo: quam distinctionem supra admisi & expendi. Jus naturale dominativum est jus naturale physicum, quale habet causa libera in suos effectus: jus naturale præceptivum est jus naturale morale, nempe Decalogus à Deo liberè latus cū intentione obligendi moraliter. Hanc distinctionem coactus argumentis Fortunij admittit Suarius *libr. 2. de legib. cap. 14. num. 16.* quā si à principio libri invenisset, in ferè omnibus alijs quæstionibus aliter esset philosophatus, quia ferè omnibus Suarij argumentis hac unā juris naturalis distinctione satisfacio.

Hac igitur juris naturalis distinctione supposita, inquit Suar. si agamus de jure naturali physico, seu de jure dominij dicendum est libertatem fuisse uniusquisque datam à naturā non solum negativè sed positivè; quia jure dominij unusquisque ex se potius est liber quam mancipium, captivitas enim non accidit homini per se, sed per accidens. Sic similiter rerum dominium hominibus datum fuit positivè, quia generi humano potius competit rebus dominari quam nō dominari. Verum si agamus de jure naturæ morali seu præceptivo debere asseri commune dominium, libertatem & id genus alia pertinere ad jus naturæ negativè, hoc est jure naturæ non indicta nec interdicta esse.

Vera responsio.

1159 **D** Ari aliqua jure naturæ physico divisa & peculiaris, quæ communia non sunt; nempe vitales omnes operationes, & substantiæ effectrice operatione genitæ, quales sunt animantes, plantæ, elementa, quæ ad causas suas pertinere constat ex his quæ dixi *nu. 121.* sunt quæ jure concessionis pertinerunt ad communitatem positivè, videlicet volucres cœli, terræ bestia, maris pisces, quibus homines divinitus donati sunt; ni forte malis dicere non ea hominibus sed Adamo & quibus ille vellet concessa sunt

quæ ad hominum communitatem pertinerunt negativè, nempe illa quæ nec divinitus data neque negata. Et idè hanc propositionem, *Omnia jure natura sunt aut fuerunt communia*, semper nego; quia in nullo sensu negativo, positivo, concessivo, indictivo, aut interdictivo potest de omnibus rebus & hominibus verificari. Nihil addam, quoniam huic objectioni respondet totus Liber primus.

DISPUT. VI.

Vtrum Deus possit dispensare in præceptis Decalogi?

Q VÆSTIO non tangit potentiā ordinariam Dei, sed absolutam; & inquit, *Vtrum Deus possit Decalogi præcepta invertere, alterando, mutando, dispensando; nempe interdicens quod modo indicitur, & quod inhibetur, præcipiendo?*

Prima sententia.

O Kamus in 2. quæst. 19. ad 3. dub. 1161 cui subscribit Petrus de Aliaco in 1. dist. 14. & Andreas de Cast. Novo. in 1. dist. 48. quæst. 1. art. 1. affirmant primo posse Deum abrogare omnia Decalogi præcepta; quod si faceret, possēt licitè homines omnia facere quæ nunc mala censētur, & sunt. Tunc nullus mereretur neque demereretur; quia nullus impletet aut temeraret legem præceptivā. Addunt *secundò* posse Deum præcipere homicidia, furta, mendacia, & alia, quæ hodie inhibet, imò & hæc de facto aliquando præcepisse colligi poterit ex Doctoris Mellifui libello de præcepto & dispensatione cujus verba *disp. 7.* citabo: *tertiò* putant Deum posse interdicens contritionem, voti satisfactiones, festa, pietatem, castitatem, veritatem, fidelitatem, & alias virtutes quascumque quæ respiciunt Deum aut proximum in singulari. Has tres asserciones insinuat Gerson *Alphabet. 61. lit. E. & F.* probabiles putat Almainus 3. *Moral. cap. 15.* licet censeat contrarias esse probabiliores.

Fundamentum hujus opinionis est illud Protheorema *Omnia sunt moraliter mala,*

mala, quia prohibita; non verò prohibita, quia mala.

Sententia Secunda.

1162 **S** Cotus in 3. dist. 37. quæst. unicâ. cui subscribit Gabriel quæst. 1. art. 2. & Almainus *ibidem.* Distinguit Decalogum in duas tabulas, quarum prima indicit amorem Dei, secunda proximi. Positâ hac distinctione, affirmat *primò* duo prima præcepta esse indispensabilia, nec posse Deum concedere ut aliquis licitè sit idololatra, aut perjurus. *Secundò* in tertio illo præcepto primæ tabulæ reperit cultum divinum, & diem cultui destinatum. Cultum divinum necessarium affirmat, & talis conditionis, ut non possit reddi malus aliquâ interdictione; temporis determinationem non pertinere ad jus naturæ existimat, sed ad legem, idcirco hanc circumstantiam fuisse abrogatam cū reliqua cæramonialia. *Tertiò* totam secundam tabulam nihil continere, quod necessarium sit & aliter disponi non possit.

Tertia Sententia.

1163 **D**istinguit affirmativa à negativis, & hac distinctione suppositâ asserit omnia positiva tam primæ quam secundæ tabulæ esse dispensabilia; de negativis verò agens censet esse quantum dispensabile, & reliqua præcepta non item. Ita Major in 2. dist. 37. quæst. 10. 1164 Deum posse dispensare in omnibus affirmativis legibus conatur persuadere sic. Potest Deus non concurrere ad actum amoris verbi gratiā instanti A, pro quo instat præceptum charitatis: ergo tunc homo non amans Deum divinæ voluntati satisfaceret, nec peccati argueretur: potest igitur in Decalogi positivis præceptis dispensare. Sed hæc ratio non sufficit, *primò* quia tollere potentiam non est in lege dispensare; aut dicitur, sit impositum Petro præceptum conveniendi Franciscum & dicendi illi talia verba, dicereturne dispensare aut abrogare illud præceptum, qui aut crura Petri frangeret, ne irret, aut linguam præcideret, ne loqueretur? Igitur non debet dici Deus dispensasse aut abrogasse legem naturæ,

cum suum concursum negat, sine quo homo non potest satisfacere. *Secundò*, quia aliud est extrahere hominem ab ordine & statu illorum, quibus imponitur præceptum, aliud abrogare leges, aut in præceptis dispensare. Esto lex civilis in Republicâ præcipiens, ut omnes Cœlibes pendant tale tributum: Pastor Ecclesiasticus non habet auctoritatem abrogandi hanc legem, nec potest cum Petro dispensare. quem si matrimonio jungat, efficit ut non teneatur tributum pendere, non quòd lex abrogata aut alterata sit, sed quia Petrus extrahitur ex illorum statu, quibus imposita fuerat hujusmodi lex. Aut etiam; esto hodiè dies dominica, & Ioannes aditurus Ecclesiam graviter & periculosè vulneretur; non tenebitur audire missam, qui antè tenebatur, percussor tamen non dispensavit in lege Ecclesiasticâ, sed extraxit Ioannem ab ordine benevolentium, quibus imposita illa lex, & transtulit ad ægrotorum ordinem, quos Ecclesia nec vult nec potest cum vitæ discrimine obligare. In jure naturali; est certum hominem privatum non posse abrogare aut mutare vera præcepta juris naturalis: & etiam ratum est illa naturalis juris præcepta non obstringere moraliter amentes, sed solum homines rationis compotes. Antonius vir prudens tenetur moraliter Decalogum observare, & amentis factus industriâ medici, non tenetur; non tamen dicendus est medicus in Decalogo dispensavisse, sed transtulisse Antonium ab statu salutis ad amentiam, quâ infectis non imponitur moralis naturalis lex. Non aliter, quando Deus negat suum concursum causæ liberæ, non dispensat cum eâ, sed transfert ex statu libertatis ad statum necessitatis. Hominibus potentibus operari liberè imposita fuit lex; non verò cessaturis ab operatione necessariò; illi enim, cui est impossibile obedire præcepto, id non imponitur; & qui caret Dei concursu, obedire formaliter & proxime non potest.

Probat deinde Major; quia nullum est instans in quo non possit Deus præbere facultatem non obediendi præcepto affirmativo, imò potest jubere ne illi Petrus in illo

in illo instanti obediat, puta si aliud præcipiat quod in illo instanti debeat fieri: ergò hoc modo poterit toto vitæ tempore in positivis præceptis juris naturæ dispensare. Hæc tamen ratio non satisfacit, quia positiva præcepta obligant datâ occasione, quæ si non occurrat non obstringunt; sunt enim potius hypothetica, quàm absoluta. Verbi gratiâ, *Honora Patrem tuum & Matrem tuam*, moralis sanctio est positiva, *Parentibus obedi cum tibi præceperint; illos venerare cum occasio exigat actualem reverentiam*. Annon hoc præceptum naturale est simile huic civili, *Solve tale tributum, cum transiveris per talem pontem*? Petrus privatus vir non potest Reipublicæ leges tollere, alterare, immutare; non potest facere, ut pontem pertransiens, non tenearis id solvere; potest tamen efficere ut navî aut vado transeas, & sic ab occasione solvendi tributum libereris. Sic similiter, si ideò potest Deus dispensare in positivâ lege, quia potest hominem totâ vitâ negotijs alijs impedire, faciendo quod nunquam detur occasio, in qua teneatur positivo præcepto satisfacere: etiam dicendus est purus homo posse dispensare in lege naturali, quia potest semper impedire occasiones in quibus sit obediendi obligatio. Verbi gratiâ, Naturali præcepto teneris dives dare eleemosynam extremè laboranti; Tytius non potest dispensare in hoc præcepto, potest tamen impedire occasionem, in quâ id te obligaret, nempe vel te depauperando, & ad extremam miseriam redigendo, vel pauperem alium ditando.

Rationes aliæ quibus utitur Major vix sunt alicujus momenti, & ideò missas facio, concludens hanc sententiam ex Majoris fundamentis propugnari non posse: aliqua autem asserta ipsius solidius probabuntur inferius; cum propriam opinionem statuam.

Quarta Sententia.

Paulò aliter discurret Durandus in 1. dist. 47. quæst. 4. quia agens de negativis asserit esse indispensabilia excepto quinto, quod licet sumptum in genere prout abstrahit ab occasione justâ & iniquâ dispensabile sit, prout dicit homi-

nis injustam occasionem est dispensabile. Agens tamen de positivis, distinguit inter præceptum primæ & secundæ tabulæ; docet dispensabilia esse quæ proximum concernunt, non quæ Deum. Et probat hæc ratione. Omnis materia à quâ auferri potest ratio debiti, dispensabilis est; sed talis est materia positivorum legum, quæ sunt in secundâ tabulâ: ergò dispensabilis est. Minorem probat; quia dependentia unius hominis ab alio separabilis est, inseparabilis dependentia quâ homo dependet à Deo: ideò homo, cujus existentia non potest donari immunitate non dependendi à Deo, nec de absolutâ Dei potentiâ potest liberari à debito obsequij, cultûs, reverentiæ, & obedientiæ, quæ concernunt Deum, ideò etiam potest divinitus eximi ab obligatione obediendi & venerandi hominem, qui potest ab eo non dependere. Potest igitur fieri, ut filius non teneatur honorare suum Patrem: nequit fieri ut sit immunis ab obligatione honorandi Deum.

Sed hæc ratio mihi omninò displicet. **Primò** quia non probat illam majorem, quæ falsa est; dispensatio enim non consistit in ablatione passivi debiti, sed in abrogatione indictivi præcepti; quia cum Rex dispensat cum Petro in lege solvendi tributum tali tempore; respectu Petri abrogat illam legem pro tali tempore; nec potest intelligi dari legem indicentem hanc materiam, & materiam non esse indictam à lege. Cumque non ideò lex indicat hanc materiam, quia hæc materia indicitur; sed potius ideò materia hæc indicatur, quia datur lex illam indicens; non potest intelligi actio, quæ materiam primariò & per se indictione passivâ exspoliet; benè autem, si legem abroget quoad partem aut quoad tempus. Consultò dixi non posse dari actionem, quæ primariò & per se materiam exspoliet indictione passivâ: quia posset dari actio quæ aut materiam tolleret, aut illam indirectè aut secundariò passivâ indictione privaret. Posset tolli materiam evidentè ostendo; quia filius posset non obedire parentibus. **Primò**, si ipsi morentur antequam filius esset arbitrij capax. **Secundò**; si superstitès nihil præciperent.

Quinta Sententia.

Alij universaliter loquendo docent omnia Decalogi præcepta prout à lege naturali inducuntur moraliter, esse indispensabilia etiam per potentiam Dei absolutam. Hoc tenentur asserere omnes illi, qui omnia esse prohibita Decalogo quia mala existimant; unde sicut necessariò prohibita sunt, debent necessariò remanere prohibita, & nullo modo dispensari. Verùm cum eorum fundamentum supra solidissimè impugnatum sit; non est opus in præsentiarum immorari.

VERA SENTENTIA.

Multorum placita perpendimus & examinavimus, & reperimus quæ placeret non multa. Superest ut quæ veritas affulget tendamus. & quia intricata controversia est, illam qua potero brevitate & claritate pertractabo. Ut igitur rem ab ovo incipiam, aliquibus præmissis Prætheorematibus viam resolutioni præparabo.

PRIMUM. Hæc questio non est de mero nomine, sed in illâ agitur de ipsamet auctoritate Dei. Est contra multos; multi enim Doctores, ait Vazquez 1. 2. cap. 4. quæst. 100. art. 8. contendunt posse in aliquibus præceptis Decalogi dispensari à Deo, alij negant, & fortè omnes in modo solum loquendi differunt. Aliqui enim appellant dispensationem non jam relaxationem præcepti manente materiâ, & circumstantijs illius; sed mutationem materiæ aut circumstantiarum, quibus mutatis, mutatur præceptum, & obligatio: quod quidem à Deo fieri posse indubitatum est. Alij verò præcepti relaxationem invariata materiâ. Ut igitur in hæc disputatione omnem verborum contentionem vitemus, dispensationem in materialem formalemque præeunte Vazquezio distinguamus. In dispensatione materiali, interdictio seu lex formalis manet, materia tollitur; in formali, forma sed interdictio tollitur materiâ remanente.

Proscribo subtilem potius quàm veram sententiam asserentium, omnem inhibitionem divinam hanc particulam

1168

Ideò tenetur homo honorare Deum, quia nequit ab eo non dependere: ergò si posset ab eo non dependere non teneretur obedire. Atqui filius nequit non dependere à patre: ergò nequit patrem non colere non venerari. Major est concessa à Durando, minorem probo. Potest Deus creare Petrum, & tunc ipse non esset filius Joannis, hoc autem non esset dispensare in præcepto, sed tollere materiam cui, quia honorare parentes præceptum est, quod nec Adamo fuit impositum, neque illis qui parentes non habent: ceterum ex suppositione quod Petrus sit filius, debet habere patrem qui sit ipsius causa; ex suppositione quod causam habeat, debet ab illâ dependere, quia causa efficiens est à quâ primariò & per se dependet effectus: ex suppositione quod à patre dependeat ut à causâ, debebit illum honorare, quia teste Durando honorandi debitum necessariò sequitur ex dependentia.

1167

1167

1169

1170

1171

sine meâ licentiâ imbibere, & præcepta Decalogi debere sic exponi, *Non habebis Deos alienos coram me, hæc est, sine meâ facultate: Non pejerabis sine meâ licentiâ: Non violabis votum sine meâ permissione.* Proscribo enim illam, quia implicat utriusque opinionis momenta. Sanè si Deus talem legem tulisset, formaliter non dispensaret, etsi idololatriam licitè exerceri concederet; stante enim invariata illâ lege, *Nemo Deos alienos colito sine licentiâ*, posset Petrus, si eam impetraret, illos colere. Sed æstimo divina præcepta non fore ineptijs oneranda, & illa limitatio frustra exprimeretur in lege, semper enim intelligitur ubi potest concedi dispensatio. Quamobrem si Deo negans auctoritatem dispensandi formaliter, solum velis asserere non posse eum facere quod Petrus legem suam sine dispensatione temeret, & non peccet, erit partium concordia, de hæc enim dispensatione impicatoriâ nemo prudenter disputabit. Hæc enim dispensatio ne quidem in humanis divinitus aut humanis posset concedi. Non enim posset Deus facere ut præceptum humanum sine ipsius aut legislatoris licentiâ violes, & tamen non pecces. totus ergò controversiæ examinandæ cardo in dispensatione materiali & formali vertetur, ut utra Deo competat liquidò cognoscatur. Sit Protheorema

1172 **SECUNDVM.** *Nihil est distinctum à Deo, quod ab eo non dependeat.* Ostenditur; quia aliàs illud ipsum quod non dependet à Deo, esset alius Deus; hunc enim omnimoda independentia constituit, & à creaturis (dependent universæ) distinguit.

1173 **TERTIVM.** *Ex omnipotentiâ Dei oritur creaturas esse posibles.* Displicent aliqui Theologi qui ex possibilitate creaturarum passivâ omnipotentiam Dei ratiocinantur, quasi hæc ab illâ dependeret. displicent inquam, quia prius intelligitur Deus omnipotens, quam creaturæ creabiles intelligantur. nam cum ipsæ non possint dici omninò nihil, aliquod esse habere necessarium est, cumque Dei non sint, non nisi à Deo participatum. Creaturæ ergò posibles suum esse possibile recipiunt à Deo, & in illo sunt ab

omnipotentia dependentes, quæ ab illis nullo modo dependet. Si enim hodie multæ creaturæ repugnarent, quæ heri erant posibles (etiam impossibiles Theses rerum quidditates illustrant) omnipotentia intrinsecè non mutaretur; non secus ac oculi, quorum intuitiva potentia non mutaretur intrinsecùs, si paries inciperet non posse coloribus affici.

QUARTVM. *Omnipotentia est Dei voluntas.* Sunt qui in Deo exsequitivam potentiam cognoscunt, ab ipsâ voluntate distinctam, sed videntur injurijs ipsi divinæ voluntati: hæc enim posita infinite efficaci, abstrahendo à quâcumque aliâ formalitate, debet necessariò intelligi effectus: ergò non requiritur potentia præter voluntatem infinite efficacem, ut Deus intelligatur omnipotens. Omnipotentia igitur nihil aliud est quam voluntas infinite efficax; quod fuerat ostendendum. Sed hoc clariùs & uberius in Theologia Speculativâ tracto.

QUINTVM. *Ex decreto absoluto oritur absoluta creaturarum futurio.* Admittitur ab omnibus Catholicis; sed negabatur ab Ethnicis & ab aliquibus Hereticis; qui vel fatum credentes rerum futuritiones esse omninò necessarias & à Deo non dependere putaverunt, vel aliàs carentes perfecto conceptu æternitatis opinati sunt idem omninò esse rem fore, ac Deum voliturum esse. Admittebant quidem rem futuram à divino decreto dependere, non tamen à præsentis & posito, sed à futuro ponendoque. Sed & multi Catholici ita exponunt actuum divinorum prioritates, ut videantur huic ultimo dicendi modo consentire. Sed nos, qui cum Athanasio & reliquis Ecclesiæ Patribus nihil prius aut posterius in Deo admittimus, sed ejus durationem esse unum simplex & indivisibile nunc affirmamus, actus in eo præteritos futurosque non intelligimus, adeoque dicimus creaturas futuras recipere suum esse futurum à decreto, divino non quidem ponendo, sed posito.

SEXTVM. *Ex decreto conditionato oritur conditionata futurio.* Hanc universi admittunt, & solum controvvertunt, an illud sit conditionatum formaliter, an objecti-

ve?

vè? hoc est, an Deus decernens Davidem, si mansisset Seilæ, tradendum, mente suâ infinite sapienti elicuerit hunc actum, *Ego scio, quod si voluero quod David maneat Seilæ, etiam sum voliturus* (permissivè aut prædeterminativè secundum materiæ qualitatem, ad actus enim malos suavius permissio quam prædeterminatio inductiva conceditur) quod Sauli tradatur; an verò voluntate hunc, *Ego volo quod si David maneat Seilæ, tradatur.* In primo actu conditio afficit formaliter ipsum decretum, in secundo, non decretum, hoc enim absolutum est, sed decreti objectum.

1177 **SEPTIMVM.** *Creatura existens dependet à decreto voluntatis divinæ illam de facto conservante.* Patet; quia si non fuisset à Deo conditi, non fuisset; nec essemus; ni conservaremur.

1178 **OCTAVVM.** *Ex eo quod ipse Deus fecerit nos, & non ipsi nos, oritur, quod ipse sit noster plenus & adequatus dominus.* Hoc, ut existimo, superius num. 105. solidissime monstratum est. Ex dominio pleno physico & morali, oritur necessariò Deû esse usuarium & usufructuarium hominum dominum. Quia usufructus potest rem destruere, annihilare, perdere pro arbitrio; homoque sic perdendus, tunc haberet reclamandi & appellandi potestatem, cum lutum in manu figuli posset incusare artificem; quod in vas ignominia potius illud quam in vas honoris formaverit. Quia usufructuarius physicè, potest Deus hominum actus (fructus sunt adnascetes) physicè prædeterminare. Quia usufructuarius moraliter, eosdem legibus & præceptis moralibus dirigere & gubernare. Ergò sicut ex eo quod Deus creativus sit, ortum ut homo esset creabilis; sic etiam ex eo quod adnihilativus, oritur hominem esse adnihilabilem; ex eo quod sit prædeterminativus, hominem esse prædeterminabilem; & ex eo quod sit imperativus, illum esse gubernabilem; & tandem ex eo quod præceptis obstringat, ipsum hominem obstrictum esse. Igitur sicut prius in Deo intelligitur, quod possit creare quam quod creet, sic etiam prius intelligitur quod possit jubere quam jubeat; ergò & prius etiam in-

telligendum erit, quod homo possit præceptis obstringi quam de facto obstringatur. Homo igitur exlex (illum intelligo, quem Deus conderet, & tamen nullâ lege obstringeret, sit casus possibilis aut non, de hoc enim postea) esset Deo tam subditus quam ego, & tantam haberet obligationem obediendi quantam ego, & solum per accidens liberaretur ab obediendi exercitio, nimirum defectu materiæ præceptæ. Exponitur exemplo clarissimo. Religiosus cum vota emittit, incurrit obligationem obediendi, quæ non augetur præceptis postea impositis, sed determinatur ad particularem materiam. Sic & homo aut Angelus, cum conditur, etiam si nihil ei Deus præcipiat, incurrit obligationem obediendi Deo, quæ suo usufructuario morali domino; cum autem Deus aliquam ei legent imponit, non inducit obligationem obediendi, hæc enim præexistebat in ipsis mendullis creaturæ, sed materiam determinat, circa quam vult obsequium & obedientiam exerceri.

NONVM. *Non potest Deus condere hominem, Angelum, aut aliam intellectualem substantiam, quæ non habeat obligationem obediendi sibi, si imposuerit præcepta.* Patet; quia titulus dominij est creatio; unde sicut fieri non potest, quod creet aliquam substantiam, quæ non sit creatura, sic nec poterit, quod aliquam, quæ non sit dependens, quæ non sit subdita, quæ non teneatur obedire; & hoc etiam supposito quod Deus nihil omninò præcepturus eidem substantiæ sit.

DECIMVM. *Decalogum Deus libere tulit.* Si inferas, ergò potuit condere hominem aut Angelum exlegem; multi, qui admittunt Protheorema, negabunt consequentiam illatâ, bene enim stat non posse intellectualem substantiam exlegem condidi, & tamen Decalogum libere ferri.

1181 Has duas positiones specie repugnantes Authores tribus modis conciliant. Primo enim dicunt, quod voluntariò sit tametsi necessariò fiat, libere fieri, & addunt, Deum libere, hoc est, voluntatis actu, necessariò tamen, & tali quæ non esse non potuit, tulisse legem Decalogi, adeoque non potuisse hominem condere exlegem.

exlegem. *Secundo* alij existimant, hominē exlegem condi non potuisse, non tamen debuisse necessariō his legibus obstringi, sed potuisse alijs; Angeli enim obstricti sunt præcepto adorandi Hominem-Deū, ut communior Patrum sententia tenet; Adamus de pomo non edendo præceptum habuit; Abrahamus de circumcissione; Iudæi de cæremonijs; Christus de morte pro mundi redemptione obeundā; Christiani de Sacramentis; &c. nemo est exlex, & tamen præcepta sunt diversa. Vnde concludunt benè componi posse hominē non posse carere legibus, & Deum potuisse non ferre Decalogum, quia & potuit ferre aliam legem. & si aliam ferret, etiam homo non esset exlex. *Tertio* Iuniores aliqui sic discurrunt. Potuisset, inquit, Deus non condere homines, & si ipsos non condidisset, nec tulisset Decalogum; ergo quia liberè illos condidit, liberè Decalogum tulit, quem & non ferre potuit, nimirum illos non condendo. At ex suppositione quod conderet, deberet legi subditos & obstrictos præceptis.

1182 Ex his tribus speculationibus, *Prima* non subsistit; quia fundatur Calvinianā hæresi negante liberum arbitrium; nugæ enim sunt omnes illæ verborum larvæ quibus nomen arbitrij admittitur, & res ipsa negatur. idem enim est admittere irrationales homines, quod homines universos negare; idem asserere liberum hominis arbitrium esse voluntatem necessitatam, quod dicere non dari liberum arbitrium. *Secunda* non videtur gravi aliquâ ratione substrui; nam debere hominem obstringi aliquibus præceptis, tametsi non istis aut illis necessariō, leviter dicitur, & deberet graviter probari. *Tertia* probabilissima est, & defenditur à multis doctissimis Iesuitis, quorum rationes supponunt peccata, quæ in Decalogum, esse prohibita, quia moraliter mala, quod quidem probabile est, tametsi multo fit contrarium probabilius.

Ego autem huic enthymemati [Decalogum liberè tulit: ergo potuit condere Hominem aut Angelum exlegem] respondeo concedendo antecedens, & consequens: negando tamen consequentiam; quia tametsi verum sit, quod condere

personas exleges potuerit (nempe, sensu statim explicando) non tamen, hoc ex illo antecedenti inferitur.

VNDECIMUM. *In ijs legibus potest Deus dispensare, quos potuit non ferre.* Corollarium I. *Si omnes leges potuit Deus non ferre, in omnibus potest dispensare.* Corollarium II. *Si in omnibus potest dispensare, omnes potuit non ferre.* Patent omnia, quia si aliqua lex, positâ hominum creatione & conservacione, necessariō à Deo lata, necessariō à Deo conservanda est, adeoq; nec irritatione poterit nec dispensacione cassari: quod si liberè tolli possit ipsa necessaria & indispensabilis non est, adeoq; etiam non ferri potuit.

DVODECIMUM. *In omnibus secunda tabula articulis potest Deus dispensare permissivè, contradictoriè, & contrariè.* Corollarium. *Articulos secunda tabula potuit Deus non indixisse, & potuit indixisse contradictorios, imò & contrarios.* Patet; quia omnes illi inhihent materiam quæ non est contra Deum, sed solùm humanitūs & physicè mala.

Vt Protheorema altiùs intelligas, adnotato, eum dispensare permissivè, qui concedit ne aliquis legi latæ obediat; contradictoriè qui contradictorium, contrariè qui jubet omninò contrarium. Verbi gratiâ; Audire missam Ecclesia præcipit, & sæpè benignè cum valetudinario aut seniore permissivè dispensat, nempe ut possit missam audire aut non audire, non enim præcipit ne audiat. at interdicos ab officijs divinis arcet, & cum eis videtur contradictoriè dispensare contradictorium præcipiendo. Si nomina displiceant, adhuc puto retineri debere; aliàs enim esset summa confusio, si careremus necessarijs vocabulis.

Deo in tabulâ secundâ permissivè dispensante, non obedire parentibus, occidere, fornicari, furari, mentiri, essent actus physicè & immediatè oppositi proximo, adeoque physicè & humanitūs mali; essetque homicidium etiam oppositum Deo oppositione physicâ & mediata, quia occideretur homo qui erat Dei: & occisio ad proximum physicè aut virtualiter pertinentis, esset mala etiâ humanitūs, & opposita proximo (nempe domino bruti)

oppositio-

oppositione physicâ mediata; quia illa actio immediatè esset mala bestię, & mediata homini, qui ob ejus mortem damnatum patitur. At moraliter loquendo, omnes istæ actiones essent indifferentes, nempe tales, quæ possent quæ peccato morali aut committi aut amitti.

Sed dispensante contradictoriè, hoc est, contradictorium præcipiente, eadem actiones physicè & humanitūs malæ manerent, utpotè contra proximum, & tamen essent bonæ moraliter & meritoria. Iussit Abrahamo Deus immolare suum filium; ideoque in quinto Decalogi articulo contradictoriè dispensavit. Si ante divinam dispensationem Abrahamus filium suum occidisset, in hominem & Deum peccasset; illa enim actio & respectu filij esset physicè mala; & mala moraliter respectu interdicens Dei: Posito tamen Dei præcepto, si adhuc eum occidisset, eliciisset actionem, malam physicè ut antea, bonam tamen moraliter & heroicè meritoriam propter correspondentiam cum lege. Tunc etiam Abrahamus, si dilecto filio ignovisset, & divinum præceptum temerasset, procul dubio eliciisset actum voluntatis positivum (puras enim omissiones non admittimus) bonum physicè respectu Isaaci, cujus bonum corporeum prospiceret, malum tamen moraliter respectu Dei, cujus præceptum temeraret.

1185 Hæc doctrina est omninò vera, & in terminis defenditur ab Okamo, in 2. qu. 19. ad 3. dub. Petro de Aliaco in 1. dist. 14. Andræa de Cast. Novo in 1. dist. 48. quest. 1. art. 1. Gerson Alfab. 61. lit. E. & F. Scoto in 3. dist. 37. quest. unic. Gabriel quest. 1. art. 2. Almaino 3. Moral. cap. 15. Defenditur communiter ab Scoticis sub magna latitudine, tametsi nonnulli circa octavum præceptum videantur dubitare, imò & negare. In Comitij Provincialibus PP. Franciscanorum quibus Lovani anno 1643. præfuit Reverendissimus P. Marchantius vir multis titulis illustris, non nisi pura Scoti doctrina defensa die 13. Julij, Præsidi P. Simone Jordens (tunc Provinciale electo) erat Thesis xx. *Naturalis (lex) non est ipsa natura, sed actus divina voluntatis, quo*

per impossibile sublato nullum restat peccatum contra legem natura. Aliqua (natura lex) complectitur materiam absolutè necessariam aut contrariam creatura rationali, alia non item; hæc à Deo solo, à nullo illa dispensabilis. At sequenti die Præsidi P. Antonio ab Oudenhoven Thesis iv. *Lex naturalis formaliter est, non ipsa natura, aut aliquis habitus aut actus intellectus; sed actus divina voluntatis.* Et Thesis v. *Ex præceptis Decalogi, duo priora primæ tabulæ, si intelligantur esse tantum negativa (hoc est, nullum actum præcipientia, sed solùm odium Dei, blasphemias & perjuriam vetantia) sunt legis naturalis strictè.* De tertio præcepto, videlicet sanctificatione Sabathi, quatenus positivum Dei cultum præcipit, dubitat Scotus, & nos cum illo. Cætera, excepto illo quod veterum mendacium, sunt tantum legis naturalis largè, adeoque in rigore juris positivi. In his Deus dispensare potest, non verò in illis in nullis Pontifex aut alius purus homo. Et Thesis vi. *Et si verò implicet hominem cum usu liberi arbitrij creari, quin etiam præfixam sibi habeat legem naturalem, si tamen per impossibile Deus non præcepisset ea quæ sunt legis naturalis, nullum committeretur peccatum in materia talis legis, licet quis sciret se agere contra naturalem honestatem.* Volui citare has Theses, ut Lectores cognoscant, quas sententias schola subtilis profiteatur, non enim videtur credibile in Provincialibus tanti Ordinis Comitij Marchantio Viro doctissimo & Scoticæ doctrinæ defensore acerrimo Antistite, totius Belgij Patribus præsentibus doctrinam contra Scotum sub nomine Scoti potuisse sine contradictione defendi; unde non audiendos existimo, qui Scoti verba in alias sententias obtorquent, inter quos Ioannes Præpositus 1. 2. quest. 94. dub. 4. sic inquit. *Citari solet Scotus in 3. dist. 37. q. 1. §. hic dicitur, & seqq. verum videri possit non ita aptè citari, &c.* Sic etiam plus minus multi alij. Cognitâ igitur Scoti & ejus subtilis scholæ sententiâ, quid in illâ contra nostrum undecimum Protheorema militet, examinemus. Videntur duo Præsides in materiâ mendacij dissentire; posterior docet indispensabile, prior illud non excipit. Sanè si mendacium excipias, nescio cur fornicationem,

homicidium, & inobedientiam relinquit: major enim deformitas naturalis in alijs reperitur quam in mendacio. quis enim non videat, majorem injuriam reperiri, etiam si ab omni lege divinâ præscindamus, in homicidio quam in officioso mendacio? illud hominem interimit, hoc aliquando tuetur & defendit, & solum malum potest dici, quod contra mentem proferatur. Gravius hodie peccat adulter & homicida quam mendax, atqui peccatorum mortalium quantitas non à præcepto majori vel minori sumitur, sed à quantitate materiæ, ergo major deformitas in adulterio & homicidio quam in mendacio reperitur: atqui in adulterio, homicidio, & reliquis secundæ tabulæ articulis Deus dispensare potest: ergo etiam à fortiori in mendacio.

¹¹⁸⁶ DECIMUM-TERTIUM. *In tertio præcepto, Sabathi sanctificationem indicente, Deus de facto permisit (hoc est, tollendo præceptum, & non inhibendo cultum), dispensavit.* Est contra aliquos Hollandos Theologos, qui non verentur etiam suo Calvino opponi, modò longius à Catholica Ecclesiâ dissentiant. Docent enim aliqui reformatam Calvini religionem novâ reformatione egere, debereq; iterum solennitatem Sabathi injustè ablatam, aut potius translata, restitui.

Dico igitur illud tertium præceptum bifariam considerari posse: primò prout cultum Dei præcipit, secundo prout diem cultui determinat. Hanc determinationem esse omnino ceremonialem & cum lege Moysaycâ excidisse existimo; præceptum verò de cultu non excidisse, sed obligare etiam nunc, & Catholicam Ecclesiam ad domini majorem gloriam, ut in die Dominicâ impletur, & qualiter impleri deberet sanctissime & prudentissime disposuisse. Nec contra urgent Scioi Calvinistæ, quia nunquam confederatarum Provinciarum Statibus hanc reformationem proposuerunt impune, irrisi enim à populo coguntur Dominicas solennitates à Romana Ecclesiâ, cujus negant auctoritatem, observare.

¹¹⁸⁷ DECIMUM-QUARTUM. *In eadem tertio præcepto, prout cultum Dei positivum indicit, Deus non dispensavit de facto; potuit*

tamen dispensare saltem permissivè. Non opponor Scoto, qui contrarium non tenet, sed an teneri debeat, dubitat; imò nec formaliter dubitat, quia in dubijs standum docet pro benigniore parte: at subscribo Majori in 2. distinct. 37. quæst. 10. Okamo, Petro de Aliaco, Andrea de Castelnovo, Gersoni, & Almaino pro primâ sententiâ relatis.

¹¹⁸⁸ DECIMUM-QUINTUM. *In duobus præceptis prioribus sumptis positivè potuit Deus permisivè dispensare.* Hoc Protheorema Authores pro præcedenti allegati confirmant, & videtur esse ex Scotistarum sententiâ. Cur enim P. Antonius ab Oudenhoven Thesi v. citatâ diceret, *Ex præceptis Decalogi, duo priora prima tabulæ, si intelligantur esse tantum negativa, sunt legis naturalis strictè sumptæ; ergo si intelligantur esse positiva, non sunt legis strictè naturalis: igitur ad mentem Scotistarum dispensabilia sunt.*

¹¹⁸⁹ DECIMUM-SEXTUM. *In eisdem sumptis negativè si Okamo, Aliaco, Castelnovo, Gersoni, & Almaino credimus, potest Deus permisivè dispensare.* Si dispensaret de facto, odium Dei, blasphemia, & perjurium, remaneret mala divinitus, & essent contra personam & auctoritatem ipsius Dei, non tamen essent mala moraliter, hoc est, peccaminosa. Vide primam sententiam.

Major tamen occurrit difficultas circa dispensationem contradictoriam & contrariam. hoc est, An possit Deus actus indictos in primâ tabulâ interdiceret an etiam præcipere contrarios: Sit igitur Protheorema.

¹¹⁹⁰ DECIMUM-SEPTIMUM. *Evidens est posse Deum dispensare contradictorie in secundo præcepto Decalogi (contradictorie inquam; non quidem præcipiendo per jura, sed vera juramenta interdicens) nec apparet cur non possimus id ipsum de primo & tertio asserere.* Evidentiam ostendo. Quia vera juramenta etiam hodie quantum possumus prudenter vitamus. imò & Apostolus Iacobus abstinere ab omni juramento consulit 5. 12. dicens, *Omnia autem, Fratres mei, nolite jurare, neque per calum, neque per terram, neque per aliud quodcum-*

quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester: Est est; Non non; ut non sub judicio decidatis. ubi ex ultimis verbis colligitur sanctum Apostolum de juramento veraci & utili agere. Quibus positis formo hoc argumentum. Omnia quæ Deus consulit, potuit præcipere; atqui consulit abstinentiam etiam à juramento judiciali vero & utili: ergo & illam indicere potuit. Semel posito Deum potuisse juramenta omnia interdiceret, non apparet cur non potuerit omnem cultum externum, quem tertio articulo præcipit? cur non poterit internum, quem primo?

¹¹⁹¹ DECIMUM-OCTAVUM. *Putamus non posse Deum in primâ tabulâ articulis dispensare contrarie, hoc est, contraria præcipiendo.* Non enim videtur possibile Deum præcipere hominibus vel Angelis sui odium, perjuriam, aut blasphemias. Putamus, inquam, quia non habemus aliquam evidentem rationem; cum enim Thomistæ dicunt homines prædeterminari à Deo ad materiale odij Dei, non scio, cur non possent etiam dicere posse obstringi præcepto ad materiale ejusdem odij; non enim videtur sufficiens dari disparitatis ratio.

Conclusionum Conclusio. *In tribus primâ tabulâ articulis Deus non potest dispensare contrarie; in totâ tamen lege potest contradictorie & permisivè, in secundâ tabulâ etiam contrarie.* Constat ex his, quæ hucusque expendimus per præcedentia Protheoremata.

Marchantij opinio.

¹¹⁹² **V**ix à nostrâ sententiâ Rever. mi Petri Marchantij opinio distinguitur, & quia Virum maximi facio, volui ejus verba hic adjungere, ut videat Lector Candidus, quam altè & magnificè de Deo sentiant Scotici, quam dimisere adversarii. Ipse igitur ad mentem Seraphicæ Scholæ in Resolutione ad me datâ 9. Decembris 1643. consultus, An possit Deus condere hominem exlegem & ab omni præcepto liberum sic inquit.

¹¹⁹³ [Advertendum legem & præceptum dupliciter sumi posse. Primò pro regulâ aliquâ directivâ ad actionem vel finem

absque ullo alio formali decreto vel præcepto, & absque ullâ obligatione superadditâ; nisi solius rectitudinis debitæ inesse actui ex naturâ sui intrinsecâ, vel finis ad quem regula dirigit adipiscendi. Secundò pro formali decreto vel mandato sub obligatione alicujus culpæ vel pœnæ à transgrediente incurrendæ. His sic prænotatis.

Respondeo primò, Deum juxta primâ ¹¹⁹⁴ acceptionem non posse condere hominem exlegem. Ratio est, quia cum homo ex essentiâ suâ sit rationalis, supponit ex natura sua rationem sive rationalem potentiam cui intrinsecum est humanas actiones dirigere, ita ut si deficiat, actus rectitudinis debitæ in esse careat, & à fine propter quem homo conditus est, deviet. Ratio igitur in homine ex naturâ & essentiâ suâ est participatio legis æternæ, & pro officio habet actiones prout humanæ sunt, & hominem ad finem, ad quem conditus est, dirigere. Et hoc modo implicat hominem rationalem condi, & sine lege, quæ sit ratio, creari.

¹¹⁹⁵ Respondeo secundo, suâ infinitâ potentia posse condere hominem absque adjunctâ formali aliquâ lege vel præcepto rationi superaddito, quo transgressor ad culpam vel ad pœnam obligetur. Ratio est; quia non implicat: & aliàs homo absque tali præcepto verus est homo, rationale animal Dei imaginem & similitudinem referens, & beatitudinis æternæ juxta media ab Omnisciente & Omnipotente Deo disponenda per infinitam suam sapientiam capax. Et legem vel præceptum formale habere superadditum non est hominis essentiæ & naturæ, etsi à principio conditæ naturæ superaddita sint.] Hucusque doctissimus iste Vir, qui, ut videris, sine ullâ limitatione de Dei potentia loquitur, & omnia & singula præcepta potuisse non imponere affirmat.



DISPUT. VII.

An Bernardus nostram habeat sententiam?

1196 **S**COTICI & qui eorundem ritu Deum necessitati præcipiendi subdi non patimur, cum eum aut posse præcepta non imponere, aut in positis præceptis dispensare affirmamus, Ducem Mellistuum Doctorem sequimur, sub ejus generosâ tutelâ militamus. Sed quia adversarij aliter æstimant; operæ pretium duxi Bernardi verba ponere, ne videar unam vel alteram periodum contra S. Doctoris mentem in propriam opinionem trahere. Ipse igitur in libri de præcepto & dispensatione, juxta divisionem, quam in Scholio sum sequutus, capite VII. de Decalogi dispensatione disputans sic ait.

1197 *Necessarium deinde, quod inviolabile nominari, illud intelligo, quod non ab homine traditum, sed divinitus promulgatum, nisi à Deo qui tradidit, mutari omnino non patitur; ut exempli causâ: Non occides, non mecha-beris, non furtum facies, & reliqua illius tabulæ legis scita; quæ etsi nullam prorsus humanam dispensationem admittunt, nec cuiquam hominum ex his aliquid aliquo modo solvere aut licuit, aut licebit, Deus tamen horum, quod voluit, & quando voluit, solvit, sive cum ab Hebræis [Exodi 3. g.] Egyptos spoliari, sive quando Prophetam cum muliere fornicariâ, [Osee 1. a.] Misseri præcepit; quorum utique alterum, quid nisi grave furti facinus, alterum quid nisi flagitij turpitudine reputaretur, si non excusasset utrumque factum auctoritas imperantis. Sanè ubi simile aliquid aliquando à sanctis hominibus fuisse legitur usurpatum, Scriptura non indicante, quod Deus ita præceperit, aut eos peccasse fatendum est sicut homines, aut certè sicut Prophetas familiare Dei consilium accepisse. Unde & unum exemplum pono quod occurrit de Samfone, qui [Judicum 16. g.] seipsum unâ cum hostibus apprimens interfecit. Quod utique factum si defenditur non fuisse peccatum, privatum habuisse consilium indubitanter credendus est, etiamsi de Scriptura hoc non habeamus.*

Iam verò Necessarium-Incommutabile quid accipi velimus? Et quidem nihil congruentius, quam quod divinâ ita constaret eternâ ratione firmatum, ut nullâ ex causâ possit vel ab ipso Deo aliquatenus immutari. Sub hoc genere est omnis illa sermonis Domini in monte habiti spiritualis traditio, & quidquid de dilectione, humilitate, mansuetudine, cæterisque virtutibus, tam in novo quàm in veteri Testamento spiritualiter observandum contraditur. Hæc quippe talia sunt, quæ nec liceat, nec expediat aliquando non haberi. Do siquidem moraliter, quo & naturaliter bona, nunquam nisi innocenter, nunquam nisi salubriter, aut imperantur, aut observantur. Omni tempore, omni personæ mortem contempta, custodita salutem operantur. Primam ergo necessitatem, sua cuique facit in promittendo voluntas. Secundam, præcipientis auctoritas. Tertiam, præcepti dignitas. Differunt autem, ut jam dictum est, quibusdam à se invicem gradibus tres istæ necessitates: nec una omnes sequitur immutabilitatis firmitas. Nam ex primâ quidem quod efficitur, etsi non penitus immutabile tamen vix mutabile esse constat, dum solis illud liceat mutare Prælati, & hoc non nisi fideli & providâ dispensatione. Quod verò fit ex sequenti, quæ & major istâ est, penè jam incommutabiliter, soli quippe Deo esse mutabile superius demonstratum est. Porro quod de novissimâ fit; tanquam omnium maximâ, omnino incommutabile est: ut potè quod ne ipsi quidem Deo mutare liberum est. Quod igitur nulli hominum fas est nisi solis mutare Prælati, dici vix mutabile congruè potest: quod soli constat licere Deo, dicatur penè-immutabile; quod ne ipsi quidem Deo, penitus-immutabile nominetur.

Ecce clarissimè D. Bernardus docet, 1199 Deum posse in præceptis secundæ tabulæ dispensare, imò & contraria aut contradictoria præcipere, sed quia illum in varias plurimi sententias obtorquent, examinandum est, An S. Doctor hanc omnino sententiam tenuerit? & an illam ipsam efficaciter suaserit? Sit igitur

Conclusio I. Tam clarè D. Bernardus 1200 posse Deum in secundâ tabulâ dispensare asserit, ut probabiliter in oppositam sententiam retorqueri non possit.

Conclusio II. Tam clarè idem Mellistius Doctor

Doctor posse Deum in primâ tabulâ dispensare negat, ut probabiliter exponi non possit, ni in aliquo sensu Deum non posse in illâ dispensare asseramus.

Conclusio III. Putamus sufficere, si cum agit de primâ tabulâ dispensatione, de contrariâ exponatur. Quia tamen videatur Deus non posse sui odium, perjurium, aut contemptum præcipere; non apparet cur debeat præcipere amorem, juramentum verum, aut cultum; sicut nec apparet, cur non possit amorem, juramenta etiam vera, & universum cultum inhibere.

1201 *Ioannes Præpositus 1. 2. qu. 94. dub. 4. S. Doctorem & vel invitum in suam inclinât opinionem dicens; D. Bernardus, qui in contrarium citatur, non docet Deum posse in lege naturæ dispensare; sed solvere aliqua præcepta naturæ; scilicet per mutationem materiæ ut explicamus. Consonat Franciscus Sylvius 1. 2. quæst. 100. art. 8. ad ultim. ubi sic. [Respondeo D. Bernardum non dicere quod Deus in præceptis illis dispensare possit, sed tantum quod possit ea solvere; idque verum est, in quantum Deus præceptorum illorum naturam ita mutare potest, ut quod alioquin foret illicitum, ipso jubente vel consentiente fiat licitum. Sicut illicitum est, innocentem occidere, rem alienam accipere, mulierem non suam cognoscere; si tamen Deus tibi jubeat innocentem occidere, vel mulierem quæ tua non erat, faciat tuam, vel rem alienam tibi donet; tunc licebit, & innocentem occidere, & talem mulierem cognoscere, & rem alienam accipere: non quod in præceptis illis dispensaverit, sed quia materiæ illorum mutavit: unde quamvis tunc innocentem occidas, & mulierem talem cognoscas, remque alienam accipias; neque homicidium committes, neque fornicationem, neque furtum, nisi fortè materialiter & secundum externam speciem.] Hucusque Sylvius.*

1202 *Sed hæc omnia non placent; satius enim esset dicere Doctorem Mellistuum habuisse contrariam sententiam, quàm ipsū vel invitum trahere. Et ut videatur Bernardum obtorqueri, notandum est, computare Deum posse secundæ tabulæ præcepta solvere, & hominem non posse: atqui si de solâ materiæ mutatione ageretur, etiam homo nonnunquam posset: ergò*

Probatur, quia tu in quinto Decalogi præcepto potes mutare materiæ, si crimen capitale committas, poteris enim jam licitè occidi, qui antea non poteris. In sexto; si uxorem ducas. In septimo, si bona dones. In octavo, si rem illam facias quæ à mendaci facere dicereris. Accedit Bernardum peculiari modo loqui de secundâ tabulâ, illamque à primâ distinguere asserendo Deum in secundâ dispensare posse, non verò in primâ.

1203 *Respondet Sylvius manere differentiâ etiam si Deus non propriè dispensaverit. Hæc nimirum quod præcepta primæ tabulæ non solum sunt indispensabilia, sed etiam ita sunt immutabilia, ut actiones illic prohibitæ non possint reddi improhibitæ ac licitæ per materiæ mutationem, sicut in quibusdam præceptis secundæ tabulæ fieri contingit. Nullo siquidem modo, nullaque materiæ mutatione fieri potest, ut adoratio idoli, vel cultus alterius Dei præter Deum verum, liceat: neque quod juramentum falsum sit licitum, sicut etiam fieri nequit, quod quispiam sciens ac volens licitè dicat falsum testimonium.*

1204 *Sed hoc respondere non est, quia Bernardo teste potest fieri divinitus, ut quispiam sciens & volens mentiatur, & tamen peccatum non incurrat; nam de omnibus secundæ tabulæ præceptis loquitur, & illa esse divinitus dispensabilia asserit, & nemo ambigit veracitatem octavo secundæ tabulæ præcepto indici. Præterea etiam in primâ ipsiusmet Decalogi tabulâ poterit mutari materiæ. Puta, si substantiam illam, quam idololatra illicitè colit, à Deo in unitatem personæ adsumatur: si res divinitus fiat, qualis esse jurejurando asseritur; si Deus vota & juramenta promissoria condonet, quæ tam clara sunt, ut videantur non potuisse à Sylvio Viro doctissimo ignorari.*

1205 *Vasquez 1. 2. quæst. 100. art. 8. ad implicatoriam dispensationem recurrerit, & postea subjungit. [Hoc tantum voluit Bernardus lib. de præcept. & dispensat. colum. 2. post medium, quem pro se allegavit Bonaventura cum docet præceptum non occidendi, non furandi, non machandi, & alia illius secundæ tabulæ mutari non posse ab alio,*

quam à Deo. Non enim dixit dispensari in illis non posse ab alio, quam à Deo: sed illa mutari non posse ab alio, quam à Deo: quia accedente solum voluntate Dei imperantis, vel concedentis aliquid illorum fieri, jam deinceps fieri potest, ut ex supra dictis patet: at verò consensu humano hæc omnia fieri non possunt absque peccato, nec materia illorum præceptorum mutari. Excipio materiam furti: quia homo, qui est dominus rei, potest facere facultatem, ut rem suam alius accipiat; verum tunc non habent locum verba præcepti de non accipiendo rem proximi sine illius consensu.]

¹²⁰⁶ Vide quàm bene Vasquez Mellissuum Doctorem intelligit, quàm sincerè illum explicat. Agit Bernardus de dispensatione formali, Vasquez de implicatoriâ aut materiali: ille de secundâ tabulâ, iste de utrâque; materiam enim utriusque posse mutari certum est: ille furtum expressè ponit, nam cum egisset de Osee fornicatione & de bonis Ægyptiorum à ludæis direptis, alterum, inquit, quid nisi grave furti facinus, alterum quid nisi flagitij turpitudine reputaretur, si non excusasset utrumque authoritas imperantis? hic verò, excipio materiam furti, dicit.

¹²⁰⁷ Suarius tract. de legib. cap. 15. longè etiam à Mellisui Doctoris sententiâ ablutens, periodos clarissimas fuco aliarum opinionum obvolvitur. Ait enim. [Ex dictis intelligitur, quo sensu dixerit Bernardus in libro citato de præcepto & dispensat. ea, quæ pertinent ad præcepta secundæ tabulæ, mutari posse authoritate Dei præcipientis; loquitur enim non de præceptis ipsis formaliter sumptis, ut sic dicam, sed de actionibus, circa quas illa præcepta versantur. De quibus ait, cum per se nunquam liceant authoritate Dei præcipientis posse licere.] At falli Suarium certum est. Si enim solum materialiter dispensat in tabulâ secundâ Deus, malè Bernardus negat Deum posse dispensare in primâ, hominem in secundâ; vidimus enim & posse hominem secundâ, & Deum primæ tabulæ mutare materiam. Unde, si Deo Bernardus solum concedat authoritatem dispensandi materialiter, verè dispensandi authoritatem non concedit, materialis enim dispensatio, ut optimè ipse Suarius ubi supra adnotat, non est vera & rigorosa

præcepti dispensatio, sed mutatio materiae.

Probat Suarius de unâ & solâ materiæ mutatione Mellissuum Patrem intelligendum, & sic ait; [Quia hæc mutatio, quando fit ex peculiari dominio & potestate Dei, est (ut sic dicam) extra cursum nature, & præter leges ordinariæ providentiæ, ideo interdum dispensatio appellatur, non quidem proprii præcepti naturalis (neque hoc dixit Bernardus si attentè legatur) sed ordinarij cursus, & legis providentiæ, quæ à divinâ voluntate pendet.] Sed ego repono, Suarium non legisse attentè Bernardum; quia si attentè legatur, videbitur non concessisse Deo authoritatem mutandi materialem rerum ordinem; sed dispensandi in præcepto formali; hujus enim sæpè meminit, ordinarij rerum cursus mutandi non meminit. Legatur textus obsecro sub initium hujus disputationis positus; ubi, ut puto, evidenter ostendo non posse Bernardum intelligi de dispensatione materiali.

Progreditur Suarius & Bona venturam cum Mellisuo Præceptore componens, sic inquit, [Et in eodem sensu videtur loquutus Bonavent. nam sententiam Bernardi imitatur] Sed subsumo. Atqui Bonaventura & tota Scotistarum schola admittit Deum posse in verò & formali præcepto dispensari: ergo idem etiam tenuit S. Bernardus.

Si Suario objicias, ex suâ interpretatione sequi nullum posse assignari discrimen inter primæ & secundæ tabulæ præcepta, cum tamen contradictorium Bernardus & Bonaventura constituent; ille enim, cui hic subscribit, cap. 6. asserit, quædam ita esse immutabilia, ut nec à Deo ipso mutari valeant: Responderi in hoc esse differentiam; quod præcepta primæ tabulæ talia sunt, ut non solum ipsa formaliter dispensari non possint; verum etiam, neque in actionibus quas prohibent, possint talis mutatio fieri, ut liceant, vel honestæ sint, ac subinde ut neque etiam materialiter sumptæ honestari possint authoritate Dei præcipientis. Odium enim Dei nullo modo potest cohonestari, nec adoratio idoli, nec cultus alterius Dei præter Deum verum, quia ab his actionibus

secundum se sumptis inseparabilis est deformitas, si liberè fiant, quod non ita semper est in actionibus pertinentibus ad præcepta secundæ tabulæ. Quod non universaliter, sed indefinitè accipiendum est: aliqua enim præcepta secundæ tabulæ possunt esse immutabilia etiam hoc modo, ut apertè fatetur Bernardus dicto capite. & in superioribus satis explicatum est.

¹²¹⁰ Sed multa reperio, quæ displicent. In præceptis primæ tabulæ posse dari materialem mutationem ostendi; nam si tertium indicat festorum cultum, quis nesciat hunc vel illum diem esse festum aut non, pendere à legislatoris voluntate; maxime cum Christiani finis, & Sabbatum in Dominicam humanâ mutatum auctoritate videamus. In votis & compromissorij juramenti dispensat ille, cui fiunt, mutando rationes materiales; nam tamen dicatur Deus non posse facere, quod Religiosus licitè violet vota, potest tamen facere ut voto non obstringatur, jure illo suo, quod ex solenni professione acquisivit cædendo. quæ juris cessio non Deo soli convenit, nam & homines hujusmodi juribus cædimus, & materiam juris promissorij mutamus. Promisseras mihi te daturum hodie mille aureos, promissionem juramento firmasti, & dictis stare teneris. Non possum ego facere ut licitè perjurus sis, possum tamen nolle illos aureos recipere, & mutare juramenti materiam; illos enim nec recusanti promissisti, nec solvere invito teneris. Sed quia Suarius odium & idololatriam urget, dico etiam in his præceptis materiam divinitus mutari posse. Humanitatem subsistentem in Christo sumptam in concreto latine cultu suspicio, in ludâ damnato odio habeo, at Petrus quia illam odio habet, hanc adorat; irreverens & idololatra est. Sed verbum non posse suam humanitatem dimittere & humanitatem ludæ assumere ex Suarij principijs defendi non potest, ipse enim posse verbum cujuscumq; hominis humanitatè, imò cujuscumq; substantiæ naturam expressissimè admittit. Primæ enim partis disputat. 14. sect. 2. dicit primò potuisse Deum assumere, sibi que hyposta-

ticè unire naturam Angelicam, addit secundò non implicare contradictionem naturam irrationalem vel insensibilem uniri Deo hypostaticè. & disputat. 34. sect. 3. non esse impossibile Deum adsumere naturam, quæ toto priori tempore fuerit in alio supposito peccato subjecta, quia in ipso adsumptionis instanti potest sic illam mundare, ut nihil omnino culpæ relinquatur. Hic ego. Si Deus lapides, vitulos aureos, & dracones (idola fuerunt Ethnicorum communia) in personæ unitatem adsumeret; si & ludæ humanitatem, quæ peccato fuit infecta, sibi personaliter uniret; procul dubio lapides, aurum, bruta, & ipsammet ludæ humanitatem in concreto sumptam, qui hodie irreligiosè & idololatricè illa colunt, jure religionis adorare & colere deberent. Possent etiam Deus humanitatem, quam nunc habet dimittere, eaque sic dimissa posset in humano supposito subsistens peccare & condemnari, & si hoc contingeret, qui illam nunc veneraris, odio haberes. Igitur insufficiunt omnia illa, quæ à Suario adducuntur: si enim præcepta primæ tabulæ materialiter mutabilia sunt, in hoc non differunt à tabulæ secundæ præceptis; sed quia Bernardus dispensationem in his admittit, quæ in illis locum habere nequit, dicendus est non de materiali, sed de formali dispensatione agere. Ut suam sententiam stabiliat, admitti expressè à Bernardo dari in secundâ tabulâ præcepta, in quibus ne materialis quidem possit dispensatio concedi addit Suarius, & caput sextum, [mihi nonum] citat. Totum lege, totum relege, & non solum videbis falsum esse quod expressè Bernardus id doceat, sed quod de hac ibi materia aut disputet aut tractet.

Sylvius 1. 2. quæst. 100. art. 8. etiam Bernardum in alienam opinionem obtorquet. Sic enim ait [Respondeo S. Bernardum non dicere quod Deus in præceptis illis dispensare possit, sed tantum quod possit ea solvere; id quod verum est, in quantum Deus præceptorum illorum naturam ita mutare potest, ut quod alioquin foret illicitum, ipso jubente vel consentiente fiat licitum. Sicut illicitum est innocentem occidere, rem alienam accipere,

accipere, mulierem non suam agnoscere; si tamen Deus tibi jubeat innocentem occidere, vel mulierem quæ tua non erat, faciat tuam, vel rem alienam tibi donet; tunc licebit, & innocentem occidere, & talem mulierem cognoscere, & rem alienam accipere; non quod ex præceptis illis dispensaverit; sed quia materiam illorum mutavit: unde quamvis tunc innocentem occidas, & mulierem talem cognoscas, remque illam alienam accipias; neque homicidium committes, neque fornicationem, neque furtum, nisi forte materialiter & secundum externam speciem.]

1212 Multa hic vir sapiens congerit, quæ majori examine indigerent, duas enim oppositas sententias ita confundit, ut jam alteram, jam alteram tenere videatur, quod & facit in toto dispensationis contextu, ut statim videbimus.

Dicit primò consultò Bernardum solvere dixisse, non dispensare, ut se agere de materiâ & non de ipsomet præcepto ostenderet. Sed ego hanc solutionem nec veram, nec sufficientem esse.

1213 Sanè vera non est, Bernardus enim ita capite illo citato (mihi nono) loquitur. *Etsi nullam prorsus humanam dispensationem admittunt, nec cuiquam hominum ex his aliquid aliquo modo solvere aut licuit aut licebit, Deus tamen horum quod voluit, & quando voluit, solvit.* ubi velim doceri, An Bernardus, qui stylo floruit, tam ignarus latinitatis dici possit, ut particulam etiam adverbivam esse nesciret? Hæc periphrasis, *Etsi nullus subditus possit concedere dispensationem superior non potest*, est falsa & barbara. Verè enim & latine diceret, *Etsi nullus possit concedere dispensationem inferior, superior potest.* quod si etiã superiori negare auctoritatem dispensandi velles, illud *Etsi* ommitteres, & copulã negativã substitutã diceres, *Nec concedere dispensationem inferior, nec superior potest.* Ergo si inter homines & Deum Bernardus distinguit, quod illi in secundã tabulã dispensare non possint, satis clarè dixit Deum dispensare posse. Fallitur ergo Sylvius, Præpositus, Vazquezius, Suarius, qui Bernardum non dixisse *Deum posse dispensare*, sed *posse solvere* affirmarunt.

Et, si vera esset, non satisfaceret intento Sylvij aliorumque. Nam solvi non di-

citur materia, sed præceptum: non enim materiã, sed legibus & præceptis ligamur. Præceptorum naturam, inquit Sylvius, Deum mutare posse. Ergò vaillat & perplexè loquitur, quis enim putet præcepti materiã & objectum esse præcepti naturam? Hæc intrinseca rei essentia est, & naturã differunt præcepta, quæ speciei, nimirum, morale & pœnale, forte grave & leve.

Postea recurrit ad mutationem materiæ; posse Deum furti & fornicationis materiã mutare, ostendit, & fatemur. sed de facto mutavisse non probat. At in innocentis cæde materiã mutari non suadet, ergò vel novam debet solutionem adungere, vel dicere tale homicidium, aliàs illicitum, reddi licitum non mutatione materiæ, sed auctoritate imperantis; ille enim, qui ante quam juberetur occidi innocens erat, post illud præceptum æquè innocens est; ergò siquidem in ipso nulla mutatio ostenditur, dicendum est in præcepto potius dispensari.

1214 Præterea positã aut materiæ mutatione, aut divinã dispensatione malè dicitur furtum aut fornicationem materialiter committi. fornicatur enim materialiter, qui putans se uti suã, alienã utitur; & materialiter furatur, qui rem alienam bonã fide capit: at ille, qui cum Dei licentiã bona alienã accipit, non est dicendus furatus materialiter, nam vel illa bona illi dantur, vel non. Si non dantur, cum furetur ab invito domino, formale furtum patrat, licet tamen, quia cum Dei licentiã, si dantur, non auferit rem alienã ab invito domino, sed suam; adeoque nec materialiter fur est. Eodem modo de fornicatione philosophor: & existimo sententiam aliàs probabilissimã; ad mentem Sylvij ita intricari & confundi, ut sine contradictionibus clarissimis defendi non possit.

Accedit, quod D. Bernardus distinguat inter præcepta primæ & secundæ tabulæ, velleque expressè diversimodè se habere Deum erga hæc & illa. asserit enim in primæ tabulæ præceptis dispensationem nequidem divinitus concedi posse. Cum autem in primæ tabulæ articulis dispensare possit mutãdo materiã, dicen-

dicendum est omninò sensisse Bernardum posse Deum in secundã tabulã dispensare formaliter.

1215 Hoc tamen negat Sylvius, putat enim manere inter utramque tabulam fatis magnam & notam differentiam etiãsi Deus non propriè dispensaverit; hanc nimirum, quod præcepta primæ tabulæ non solum sunt indispensabilia, sed etiam ita sunt immutabilia, ut actiones illic prohibita non possint reddi improhibita ac licita per materiæ mutationem, sicut in quibusdam præceptis secundæ tabulæ fieri contingit. Nullo siquidem modo nullaque materiæ mutatione fieri potest, ut adoratio idoli, vel cultus alterius Dei præter Deum verum, liceat; neque quod juramentum falsum sit licitum; sicut etiã fieri nequit, quod quispiam sciens ac volens licitè dicat falsum testimonium.

Nota illud *sicut*; ergò probat paritatem Sylvius cum discrimen deberet. Cæterum posse in primã tabulã mutari materiã negat Sylvius, at ego sapius ostendi.

DISPUT. VIII.

An Bernardus Dei auctoritatem libertatemque rationibus fortibus suadeat?

1216 **R**ATIONES plurimæ circumferuntur, quibus Deus posse in aliis quibus aut omnibus Decalogi præceptis suadet. robustiores se legit noster Author, illasque impræsentiarum discutimus.

PRIMA.

1217 **A** Pud ipsum hæc. Deus aliquando in lege naturæ dispensavit: potest ergò dispensare. Hæc consequentia, si ageretur de dispensatione purè humanã, non esset ita certa & securã; multæ enim etiam ab ipsomet S. Pontifice dispensationes conceduntur de quarum valore docti disputant; nemo tamen auderet dicere Deum posse in dispensationibus excedere limites suæ auctoritatis, igitur ubi Deus dispensare non potest, eum nunquam dispensasse certum est. Et si aliquando de facto dispensavit, certum est etiam eum

habere dispensandi potentiam. Ve antecedens probet, Abrahami meminit, cui filium occidere justum. & infert tunc Deum in quinto Decalogi præcepto dispensasse, nam aliàs peccasset Abrahamus; necessariò, nam sive filium occideret, sive non, debebat in unum aut alterum præceptum impingere; nimirum, in Decalogi legem, si occideret; in legem indicti sacrificij, si occideret & sacrificaret. Ne igitur dicatur homo à Deo ad tales angustias adigi, ut necessariò peccaturus sit, & ne dicatur Abrahamus volendo filium occidere peccasse, tenendum omninò est Deum in illo præcepto dispensasse.

1218 Respondet Sylvius Deum non dispensasse cum illo super præcepto *Non occides*; quoniam non eximit eum ab obligatione istius præcepti, neque ei concessit, ut occasionem isto præcepto prohibita licitè faceret; sed mutasse materiã, fecisseque, ut occisio quæ alioquin fuisset indebita, jam esset debita ac licita. In Decalogo namque non prohibetur, ut ait, qualibet hominis occisio, sed quæ habet rationem indebiti, sive quæ oportet non fieri, qualis est ea quæ absque legitima auctoritate sit, ut propterea sensus præcepti sit, *Non occides quemquam tuã propriã seu privatã auctoritate.*

1219 Sed hæc solutio omninò nulla. Quia si Deus jussit, ut nemo sine licentiã occidat, & potest licitè licentiã concedere, cessat questio; id enim ipsissimum nos dicimus; nullus enim Scotus tam stolidus reperitur, ut asserat posse Deum concedere licentiã, ut aliquis occidat privatã auctoritate, hoc est, sine Superiorum licentiã; nam in tali dispensatione duo contradictorij termini (licentiã & non licentiã) imbibuntur. Sed inquirimus, An possit concedere Deus, ut aliquis aut innocentem & innoxium occidat, aut se cum alienã faminã commisceat, aut contra mentem sine culpa, quæ sit in Deum, loquatur? Assertivè respondimus, & Sylvius ut nobis occurrat, ipsissimum quod nos ipsi, dicit.

Præterea cum Sylvius privatam auctoritatem præcepto subdit, videtur publicam eximere, debereque concedere judicem publicã auctoritate posse inno-

centem occidere. Sed huic objectioni frustra ipse conatur satisfacere. negat id ex sua doctrina sequi, & ait [Quamvis iudex ille auctoritate publica sit præditus, non tamen eam habet ad sic occidendum; & propterea non publicam, sed privatam auctoritate utitur, quodcumque aliquem occidit aliter quam juris ordo, vel quam auctoritas publica præscribat. At quando Deus quempiam occidi jubet, sive nocentem, sive innocentem, talis occisio non est indebita; neque qui sic est occisurus, occidet auctoritate propria vel privata, sed Dei summi omnium Principis & Domini auctoritate, eritque sententiæ ipsius executor. Postquam igitur Abraham Dei mandatum de filio suo immolando acceperat, poterat, imò & debebat eum occidere; quoniam hoc ei jubebatur ab eo qui est dominus vitæ & mortis; & cui præterea omnes debemus mortem, propter peccatum originale, ac per consequens non erat commissurus occisionem indebitam, qualis in Decalogo prohibetur, sed justam ac debitam qualis nulla lex prohibet.]

¹²²⁰ Sed hoc si bene examines, non est suam sed meam sententiam explicare. Primum falsum est, ideò peccare iudicem qui innocentem condemnat, quod id contra juris ordinem faciat; peccaret enim etiam in Republica, quæ Regi aut Magistratui homicidia innocentum concederet; & dari tales Respublicas certius est, quam ut debeat probari. In multis enim Dijs tutelariis sacrificantur infantes & parvuli, qui quidem innocentes sunt. Si juris nomine intelligat, non jam leges publicas, sed justas, est iterum reducere questionem ad ovum; id enim inquiritur, quando erit licitum occidere innocentem. Sed ipse ait, *Tunc licere, quando illa occisio non sit indebita.* hoc est, si clarioribus verbis uteretur, *Tunc solum licere, quando licet.* idem per idem & progreditur, tunc quidem licere, quando Dei Summi Principis & Domini auctoritate; occisio enim, quæ auctoritate divinâ sit, non solum non indebita, sed & debita dicenda est. Sed quod aliud dicat Ochamus, aut Authores, qui docent posse Deum condere hominem ex legem, non video, nemo enim ex ipsis deliravit posse Deum concedere licentiam,

ex vi cuius possint licite occidere sine licentiâ, hoc enim, terminos implicantes connectitur. Sed omnes potius tenent posse Deum indulgere, ut qui non poterant innocentem occidere, jam possint.

¹²²¹ Facilius & melius videtur respondisse Præpositus, quia non jam ad licentiam recurrit, hoc enim, est dare manus, & nostræ sententiæ subscribere, sed ad materiam. Nam ipso teste homicidium, non ideò illicitum quod innocens de medio tollatur, sed quod occidatur ab eo qui non est Dominus; nam si homo esset verus & propriarius hominis dominus, illum posset occidere. Et agens de Abrahamo sic infit. [neque enim Deus tanquam legislator id concessit, sed ut vitæ & mortis dominus, qui cum supremum jus habeat in vitam hominis, potest illam pro arbitrio tollere, & jus alteri concedere eam tollendi, quod & hic fecit, quemadmodum & alibi sapius. Quare cum non remanserint omnes eadem circumstantiæ quibus præceptum, *Non occides*, censetur jure naturæ obligare, cum illud præceptum prohibeat vitam alterius tollere privatam auctoritate, & citra necessariam sui defensionem, patet Deum in tali præcepto non dispensasse. Quemadmodum non dispensat cum Magistratu quando justam sententiâ aliquem multat extremo supplicio.]

¹²²² Auctoritatem vitæ & mortis nasci ex vero dominio certum est, at non ita omnibus notum. Scatet enim multis hoc vadium salebris & difficultatibus; nam veteres parentibus, ut opinabantur, veris filiorum dominis jus mortis & vitæ concedentes, ita errarunt ut defendi non possint. Hæros esse servorum & mancipiorum veros dominos multi existimant, & tamè jus in capita illorum non concedunt: sed de hoc superius disputavi. Nunc igitur breviter dico nec patres nec hæros habere dominium plenum & proprietarium in filios aut servos, sed solum utile; adeoque illos occidere non posse. Addo Deum habere plenum dominium in homines; illudque posse cuilibet communicare. Subjungo hominem, cui tale indulgeretur dominium, reddi verum legitimum & proprietarium dominum alterius hominis, & posse eum in tali casu occidere, si velet, etiam

etiam sine causâ; & si occideret, non peccaturum contra Deum; tametsi non posset non militare contra rationem, nisi sibi bonum finem præscriberet. At hæc omnia non militant contra nos. non enim negamus potuisse Deum mutare materiam, & concedere Abrahamo plenum dominium in Isaacum; sed negamus id de facto fecisse. Sacram enim Scripturam sanctè lego; verba non torqueo; chimæricas circumstantias non intermiscuo positionibus certis. in eâ præceptum & imperium supremi Legislatoris lego, donationem non lego: adeò nec credo. existimo enim Deum non dedisse Abrahamo dominium plenum in filium, aliàs enim Sacra Pagina id ipsū insinuasset.

¹²²³ Dices, non omnia debere exprimi in Sacra Scripturâ; multa enim Deus fecit, quæ non sunt scripta in libro hoc. Et admitto; negò tamen licere unicuique prohibitu periodos contra literam exponere, imò nec præter literam, ni subsit probabilis ratio. Si subsumas hic probabilissimam dari, subsumptum clarissimè oppugno. Nemo enim aut bene arguit, aut bene respondet, qui vult supponi illud ipsum quod queritur. atqui cum respondent Bernardo & nobis supponunt adversarij illud ipsum quod queritur; ergò circuli vitio laborantes malè respondent. Vel attendite.

¹²²⁴ Obijcimus illis verba Genes. 22: *Tolle filium tuum unigenitum quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum.* Respondent his verbis Abrahamo dominium concedi in suum filium. Impugnamus, quia in illis imperij & præcepti expressos characteres legimus, donationis characterem non legimus. Sed dicunt ex illis verbis colligi. At quare? quia illis verbis præcipitur Abrahamo, ut licite occidat suum filium, cumque non posset licite, nisi prius esset proprietarius plenus & legitimus dominus. concedendo illi quod posset aut deberet filium interimere; quod esset ejus proprietarius dominus concessum est. An non vel cæcus es, vel vides in illa minori supponi illud quod controversatur? supponunt, ut nobis respondeant, non potuisse Abrahamum licite occidere Isaacum,

ni fuisset prius vero legitimo & pleno in eum dominio præditus; & in controversiâ nihil aliud discutitur, nil aliud queritur. si enim supponitur illa minor, etiam nos errare supponitur. Arguo tamen breviter. Abrahamus tenebatur filium occidere, ergò habebat occidendi præceptum: patet, quia ex merâ & liberali donatione nasceretur proprietas in filium, non verò occidendi obligatio.

¹²²⁵ Alij putant se melius satisfacere. si dicant injunctum fuisse Abrahamo ut filium tanquam vicarius Dei delegatam auctoritate interimeret; sed hoc clarissimè oppugnatur. Nam Abrahamus nomine proprio & non Dei erat filium suum occisurus. ergò non jam delegata, sed propria auctoritate. Antecedens demonstratio. Quia Abrahamus erat immolando occisurus, & occidendo sacrificaturus; atqui non poterat illud offerre *ut quo* & ut causa instrumentalis, Deus enim non offert sacrificia, nec immolat: debebat ergò *ut quod* & ut causa principalis; suo igitur & non divino nomine.

SECUNDA RATIO.

¹²²⁶ **P**robat secundò D. Bernardus posse Deum in Tabulâ secundâ dispensare; quia de facto dispensavit in furto, cum præmisit Hebræis Ægyptios exspoliare. Occurrit verò Sylvius dicens; [De Israëlitis Ægyptiorum bona tollentibus bene respondet B. Thom. tam hic, quam 2. 2. quæst. 66. art. 8. ad 1. quod non commiserint furtum; quia non tulerunt res alienas, sed suas, seu sibi debitas ex sapientiâ Dei; & quamvis Ægyptij essent invitati, quia tamen Deus res eas ipsis donabat, non invito supremo domino auferebant, sed jubente potius ac donante, idque in recompensationem laboris & operum, quæ Israëlita Ægyptijs præstiterant, & pro quibus mercedem non acceperant; hinc Sapientiæ 10. de Deo dicitur. *Reddidit justis mercedem laborum suorum & deduxit illos in viâ mirabili.* Et mox, *Idè justitulerunt spolia impiorum.*]

¹²²⁷ Sed non acquiesco. Fateor Ægyptios multa debuisse Hebræis, quibus crudeliter in ædificijs usi; scio tamen ad compensationem justam eos non eguisse aut mandato

dato Dei, aut aliquâ divinâ licentiâ. Sed quis credet, ita potuisse famulum in rebus mechanicis merere, ut tota domini substantia deberetur?

1228 Sanè Deus, cum exspoliando Ægyptos ditavit Hebræos, potest dici concessisse Hebræis dominium proprietatis in Ægyptiorum opes, & potest non concessisse tale dominium, sed licentiam ut Ægyptios veros rerum dominos invitos & involuntarios exspoliarent. Si secundum dicatur, stat Bernardi resolutio, & sacri textus intelligentia clara. Si primum, falsum est illud Sapientiæ, *Reddidit justis Deus mercedem laborum suorum*. ipsi enim habebant verum jus in illam mercedem, nec debebat Deus illis tale dominium dare, licitè enim illam possiderent etiam si tale dominium non concederetur.

TERTIA RATIO.

1229 **S**ed & morte Samsonis utitur Bernardus, ut supremam Dei potestatem persuadeat, ipse enim Deo dispensante sibi mortem conscivit.

Respondet Sylvius nullam factam fuisse dispensationem: cum enim seipsum unâ cum alijs occidit, non fecit aliquam occisionem indebitam; quia ex Sancti Spiritus instinctu motus id fecit, atque ita istius rei faciendæ autoritatem à Deo acceperat; unde sequitur, quod licitè ac justè se interfecit. talis autem interfectio nullâ lege prohibetur. Confer 2. 2. q. 64. art. 5. ad 4.

1230 Sed hîc iterum Sylvius pressus pondere opprimitur. Sentit cum Ochamo, & tamen vult cum Thomistis loqui. Dispensationem negat, & negandi rationem adducit, quia non fecit occisionem indebitam. Sed quis unquam audivit dispensationem colligi à posteriori ex eo quod fiat actio indebita? non est actio mala quæ cum dispensatione fit. Sed esto, sit illa occisio debita. Sed cur talis? quia ex vi præcepti in lege priore dispensante fuit facta. Sed quia iterum Sylvius eisdem terminis utitur, quibus prius, cum de Abrahamo agebatur, volo adhuc rigorosius ipsius responsionem discutere.

1231 Aut fallor aut concedet Sylvius dari aliquas leges morales humanas, in quibus

possit superior dispensare; sit hæc. *Ege*, inquit Pontifex, *jubeo, ut legas officium divinum*. Proboque Pontificem non posse dispensare; quia cum tu justus à Pontifice tacere, officij lectionem omittis, non habes omissionem indebitam, qui ex sanctissimi Patris instinctu & motu taces & vacas alijs rebus: atque ita omittendi lectionem auctoritatem à Pontifice acceperas. unde sequitur, quod licitè & justè lectionem omittas, talis enim omisio nullâ lege prohibetur. Puto me ne verbum quidem substantiale mutasse. Ergò si Sylvij responsio æquè contra dispensationes Decalogi & Juris Pontificij militat, dicendum non minùs Deum posse dispensare in Decalogo, ac in Canonico Jure Pontificem. id enim Sylvij responsio evidenter & lucidè probat.

QUARTA RATIO.

1232 **I**n Sacris Literis etiam fundatur; Deus enim (Osee 1.) jussit Osee ad pellicem & meretricem accedere; dixit enim, *sume tibi uxorem fornicationum & fac filios fornicationum. quia fornicans fornicabitur terrâ à domino*. Nam si Prophetæ jussit ad fornicariam extra matrimonium accedere, verè in sexto Decalogi præcepto dispensavit.

1233 Ut Sylvius satisfaciât Bernardo sic inquit [De prophetâ Osee certum est neque eum esse fornicatum, neque ut fornicari posset, divinitus accepisse dispensationem: non enim ipsi indultum fuit, ut accederet ad non suam; sed jussum ei est, ut mulierem fornicariam acciperet sibi in uxorem: id enim ista verba significant, *sume tibi uxorem fornicationum, id est, mulierem fornicariam accipe tibi in uxorem*.]

1234 Sed quia statim poterant occurrere verba sequentia, nimirum. *Et fac tibi filios fornicationum*. occurrit asserendo esse aliquos qui teneant nec in Hebræo nec in Græco textu, imò nec in multis Latinis exemplaribus manuscriptis ista verba *fac tibi* reperiri. Sed hæc solutio nec sua nec ad rem, quia in materiâ fidei & morum ad Sacram Scripturam recurritur, nec auderem à gravi censurâ excusare illos, qui dicunt vulgatum esse corruptum & periodos spurias inter canonicas amplecti.

Sed quia

1235 Sed quia vidit Præpositus hoc esse periculosum effugium, aliò tendens sic inquit. [Etiam si retineatur sicut in Biblijs jussu Clementis VIII. emendatis (libentius ego restitutus legerem; non enim licet Pontifici Biblia Sacra emendare, si emendare aliud quàm restituere sit.) retenta sunt, nihil obstat: non enim sensus est, procrea filios ex fornicatione; sed jubetur, vel ut simul cum muliere fornicariâ assumat, atque in domum suam introducat filios jam antea ex fornicatione genitos; eosque faciat suos per adoptionem vel ut ex muliere fornicariâ sibi per matrimonium factâ uxore sumat filios eos ex illâ procreando: qui quidè filij fornicationum vocandi sint; non à fornicatione patris, sed à fornicatione matris, juxta illud c. 2. *Filij fornicationum sunt, quia fornicata est mater eorum*; ac fortassis etiam ab ipsorum filiorum fornicatione, eo quod & ipsi instar matris multum essent fornicaturi.]

1236 Si non esset adamantina Sacra Scriptura, frangeretur tam violenter obtorta. Quomodo filios ante ex fornicatione genitos adoptare præcipitur, si recensentur eodem primo capite tres à ipso geniti. *Fac tibi filios fornicationum*, inquit sacer Texus, & addit, *Et abiit* (Osee) *& accepit Gomer* (in pellicem) ... *& concepit & peperit ei filium, ... & concepit adhuc & peperit filiam, ... & concepit & peperit filium*? liquet igitur ibi non de adoptivis, sed de naturalibus filijs agi. Præterea filius feminae, quæ ante matrimonium fuit meretrix, si in matrimonio habeatur, legitimus est, nec filius fornicationum nominandus. Nec ad fornicationes filiorum reflectitur Sacra Scriptura, illud *fornicationum*, vocem *fac* afficit, & sumitur aut adverbialiter, aut adjectivè more Hebræo, ac si diceretur, *fac filios fornicariæ*, aut *fac tibi filios fornicariæ*. ipsis enim, *Spiritus sanctitatis* est Spiritus Sanctus; *Filius fornicationis*, spurius; *Filius mortis* damnatus capite.

Et si objicias iterum quod eidem Prophetæ c. 3. præcipitur, *Adhuc vade, & dilige mulierem dilectam amico & adulteram*. sibi consonans ait, hanc mulierem esse illam ipsam, quam cap. 1. jussus erat Prophetæ accipere in uxorem, & quæ post

matrimonium cum ipso initum adulterijs se infamem fecit, ac nihilominus Prophetæ jubetur eam diligere, non conjugaliter, sed velut ancillam quam mortuo ipsius marito sibi comparaverit quindecim argenteis, & semi-coro hordei.

1237 Sed existimo constare liquidò, nullum inter Gomeriam, Oseamque intercessisse matrimonium, nam præcepto illud volebat proponere Deus coram universorum oculis scelera Reipublicæ Judaicæ hujus meretricis nomine significata. *Vade*, inquit Deus, *& sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum quia fornicans fornicabitur terra à domino*. Atqui quando terra fornicando concipit, quod modicum adhuc sustineatur, quod indigna sit misericordia, quod non sit Dei populus (hæ sunt tres Prophetæ soboles) non fornicatur intra matrimonium, sed contemnens sponsum Deum, ad demonem ipsum conversa: ergò Osee meretricem in uxorem non duxit, vel Gomeria non est terræ luxuriantis aut regionis fornicantis character.

1238 Vidit Præpositus negari non posse Oseam cælibem fornicariâ commixtum, aliam excogitavit solutionem, & ait, Quamvis cum quibusdam diceremus Deum concessisse Osee ut accederet ad non suam, seu ad eam, cum qua nullum matrimoniale vinculum intercederet, non propterea dicendum in lege dispensasse, sed ut supra dicendum, id fecisse tanquam supremum dominum omnium jurium creaturæ, ratione cujus dominij potuit concedere, ut ij. inter se commiserentur, inter quos nullum vinculum matrimoniale intercederet, occurrendo similiter incommodis, quæ moraliter inde sequi possent.

1239 Sed hæc solutio accinit Ochamo & universis, qui Deum in Decalogo dispensare posse concedimus. Non dicimus id posse Deum ex vi alicujus humani privilegij, sed quia est supremus dominus omnium jurium creaturæ. Præterea, si ratione supremi dominij potuit Deus concedere, ut ij. inter se commiserentur, inter quos nullum vinculum matrimoniale intercederet: procul dubio potuit dispensare. Nam cum Ochamus Bernardo sub-

scribens affirmat potuisse Deum dispensare in sexto præcepto Decalogi formaliter, nihil aliud quam Præpositus, concedit; nam putat Deum dispensare materialiter, si mutaret materiam, hoc est, non conjugatos conjuges faceret formaliter, si ipsis immutatis & solutis manentibus adhuc concederet ut possent misceri sine peccato.

Sed dices, adhuc Præpositum mutationem materiæ in illa Osee & Homerice commixtione invenire, quia copula extra matrimonium non est mala propter se, sed propter incommoda quæ inde sequi possunt aut solent. & Deus potest occurrere incommodis quæ moraliter inde sequi possunt.

1240 Sed hæc instantia talis est, ex qua inconvenientia quam plurima sequantur. Quia si tota malitiæ ratio in inconvenientibus subortis consistit, & tollitur illis sublatis, non potero intelligere, cur non possit etiam homo concedere ut solutus solutaque commisceantur licite, potest enim occurrere similiter incommodis, quæ moraliter inde sequi possunt. Vel qui dubitet, assignet illa incommoda, & me legat cum fornicationis malitiam in Præcepti V. expositione ostendo.

Hæc sunt quatuor columnæ, in quibus suam sententiam Mellissius meus Doctor fundavit; quatuor quæ quia firmissimæ, vacillare non possunt, alias, sed debiliores discipuli addiderunt, eas etiam breviter discutiamus.

DISPUT. IX.

De altarum rationum efficacia ad eandem veritatem probandam.

1241 **B**ERNARDI analogismos suspicis, etiam alios pugiles in eadem arena merentes admirare. Deum posse dispensare probant, quia non est censendus limites auctoritatis prætergressus, & tamen de facto jam sæpe dispensavit in omnibus præceptis Decalogi.

In primo

Idolatriam permittens & loco contritionis lege naturali requisita substituens attritionem.

Quod idolatriam permiserit Deus 1242 probatur ex historiâ Naaman & Elisæi, (4. Reg. 5. 14. & Luca 4. 27.) quam placet breviter subungere. Erat Naaman apud Regem Assyriæ militiæ Princeps, fortis & dives, sed leprosus. in Samariam venerat curandus ab Elisæo Prophetâ Dei. Ejus indicto salutem pristinam recuperat; exiit ulceratam carnem, & induit simillimam puerili. Israël Deum sibi proponit colendum, & ait, *Non faciet ultra servus tuus holocaustum aut victimam Dijs alienis, nisi Domino.* Subjungit, *Hoc tantum solum est, de quo depreceris dominum pro servo tuo, quando ingredietur domus mea templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi dominus servo tuo pro hac re.* Consentit Elisæus, & ait, *Abi in pace.* Ergo Naaman in posterum poterat tutâ conscientia adorare idolum Remmon. Patet consequentia, quia alias non dimitteretur in pacem, sed in peccati servitutem.

1243 Quod in contritionis lege dispensaverit, constat ex ipsamet naturâ peccati mortalis & Sacramento pœnitentiæ. Peccatum gratiæ opponitur, nec potest naturaliter attritione fugari. Stando rerum cursui ordinario compatitur cum attritione, & cum confessione non sacramentali, nec sine contritione (actus amoris est à charitate productus & ad charitatem immediate disponens) deletur. At Deus absolutâ suâ potentia usus, pœnitentiæ Sacramentum instituit, hominemque à veteri jugo liberans, contritionem sibi jure naturæ debitam in attritionem & confessionem commutavit. Cum igitur, commutare etiam sit dispensare, dicendum est, Christum in Decalogi præcepto primo, quod contritionem indicabat, dispensasse.

1244 **A**D INSTANTIAM desumptam ex historiâ Naaman responderi Sylvius sineque Elisæum dispensasse neque permisisse, ut domino suo, idolum adorante seu colente, ipse quoque illud coleret (quomodo enim alioqui vera fuissent hæc eius verba: *Non faciet ultra servus tuus holocaustum aut victimam*

victimam Dijs alienis, nisi, hoc est, sed tantum, Domino soli) sed tantum ei permisisset, ut Regi idolum in templo colenti solitum sui corporis obsequium exhiberet; vel declaravit, quod illud posset ei præbere, atque adeo Rege se curvante & genuflectente, se curvare & genuflectere. Quæ incurvatio atque inclinatio, etiam alibi adorationis nomine expressa invenitur, ut Geneleos 18. ubi Abraham conspectis tribus viris dicitur *adorasse in terram*, hoc est, se pronum in terram prostravisse, & cap. 23. *Adoravit Abraham coram populo terræ.* Reges quoque solitos fuisse incumbere vel inniti super aliquem à suis aulicis, ex 4. Reg. 7. patet.

1245 Sed hæc omnia non satisfaciunt. Et primò illa verba, *Non faciet ultra servus tuus holocaustum aut victimam Dijs alienis, nisi Domino soli.* non militat contra instantiam; bene enim componi potest, quod Naaman nunquam sacrificaret idolo, & tamen illud aliquando extrinseco cultu adoraret, ut hodie bene posset componi quod Petrus nunquam celebret aut celebrare missam faciat, & tamen expositum Sacramentum adoret.

1246 **S**ecundò fallum videtur Naamani fuisse concessum, ut posset domino servire à brachio etiam in templo; quia illi concessum fuit quod petijt; ipse autem non petijt licentiam serviendi Regi suo à brachio, sed adorandi, hoc verbo enim utitur expressè. Nec juvat nomine adorationis inclinationem purè materialem intelligere, quia in locis à Sylvio citatis præter genuflexionem reperio reverentiam moralem illis personis exhibitam, quibus Abrahamus dicitur genuflectere. Nam decimo-octavo Geneleos; sic lego. *Cum elevarisset oculos apparuerunt ei tres viri stantes propè eum: quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi & adoravit in terram: & cæcus sum, si non reluceat aliqua Abrahami erga Angelos in hac adoratione reverentia. & vigesimo-tertio adoravit Abraham in gratitudinis testimonium, nam cum petijisset ab Hethæis, ut posset Saram uxorem jam defunctam in eorumdem sepulchris condere; ipsi benignè adnuerunt; ipseque ne*

ingratus & inurbanus videretur; surrexit & adoravit eos. Malè igitur Sylvius his duobus testimonijs utitur; ut ostendat in adoratione cultum non claudi, nam & Abraham Angelos & Hethæos adoratione coluit, genuflexione est veneratus. Bene tamen probaret, verbo hoc non semper exprimi latrariam, sed vel latrariam vel duliam; at hæc animadversio tametsi vera, non prodesset, gentium enim idola (hoc est, demones) adoratione duliæ colere illicitum est.

1247 **T**ertio, ut concederetur hæc non agi de cultu idoli, sed de obsequio præstando Regi, cui à brachio serviebat Naaman, adhuc ratione scandali tenebatur ipse non genuflectere, cum Rex genuflexus adoraret. Negat id Sylvius, putat enim nullam subfuisse causam, ob quam qui templo aderant scandalizari possent. tum quia constabat eum unius veri Dei esse cultorem, tum quia nunquam ingrediebatur templum nisi cum Rege. Sed hæc nec certa, nec sufficientia sunt. Constitisse, inquit Sylvius, omnibus templum frequentantibus Naamanum esse cultorem veri Dei. Sed unde habeat hoc Sylvius mihi non constat. id enim nec in sacris literis, nec in authenticis historijs legit. fingit ergo, quæ judicat prodesse posse. Sed ex hac solutione arguo sic. Est error in Dialectica asserere consequentiam clariorem aut certioram præmissis esse; nam, ut communi circumfertur axiome, consequentia semper partem debiliorem subsequitur. Atqui, ut inferat Sylvius Naamanum non habuisse idolum colendi, nec populum scandalizandi licentiam, præmittit esse apud omnes idoli illius cultores notum quod Naamanus non illum fictum, sed verum Deum coleret. Ergo illa consequentia non est certior hoc antecedenti. atque hoc improbable est, ergo & illa. Subsumtum probo, quia cum sit assertio practica à ratione probari non potest, & tamen non datur testimonium, quod illam vel probabiliter persuadeat.

1248 Præterea illa ratio, *Naamanus nunquam ingreditur templum nisi cum Rege: ergo omnes sciunt eum non nisi Deum Israëlitarum colere,*

colere, quâ Sylvius excursum suum claudit, laborat sexcentis capitibus. *Primo* enim, quid scimus, An fuerit falsum antecedens? *Secundo* si illud verum, unde scimus fuisse univērsis notum? Scit ne ipse Sylvius, utrū talis Principis famulus nunquam ingrediatur templum sine suo domino? minimè, quia negotijs suis intentus alienas vitas non examinat. & si hoc ipse scire non solet, cur asserit homines univērsos illos, qui templum Remnonis visitabant, scituros quod Naamanus nunquam ingrederetur templum sine Rege. *Tertio* esto id omnes sciverint, An idēd judicaturi, eum non Remnonem Assyriorum Deum, sed peregrinum aliū colere? Si Petri famulus nunquam ingrederetur Ecclesiam sine Petro, & tamen toties ingrederetur quoties Petrus, quis auderet eum non-Christianum asserere? ergo idēd dicemus de Naamano. *Quarto*, detur omnes scire Remnonem à Naamano non coli, ex hoc non-cultu eum esse veri Dei cultorem non sequitur. posset enim propter alia idola Babyloniorum Deos contemnere. *Quinto*, condonentur Sylvio omnia quæ ne probet, supponit; adhuc nihil habebit. Sciant omnes eum esse veri Dei cultorem, aut etiam ejusdem cum Elisæo religionis, si velis. infert Sylvius, *Ergo scandalizari non poterant videntes illum coram Remnone genuflectere. infero, Ergo non scandalizari non poterant.* Ratio est; quia omnia peccata publica pariunt scandalum, & Naamanus, si crederetur corde Israelitarum Deum colere, & tamen videretur Assyriorum Deo extrinsecum cultum exhibere, censeretur peccare; peccatum enim est in omnium prudentiâ sententiâ, unum Deum mente, & alterum linguâ profiteri.

1249 Maneat igitur, quidquid sit de instantiâ hujus, quæ ex historiâ Naamani desumitur, efficaciam, illi Sylvium non satisfacere. An aliter occurrere eidem possit Lectori judicandum relinquo, non enim libenter dispensationem, quam argumentator urget, concederem, & tamen qualiter negari possit, clarè non video.

AD INSTANTIAM desumptam ex Sacramento penitentiae aliqui mihi responderunt, ita tamen, ut responsionem

calamo indignam judicârim.

In secundo Præcepto

1250 **D**ispensare Deum posse clarè ostenditur. Quia in votis & juramentis purè humanis potest homo dispensare, imò & in divinis in suam utilitatē emissis: ergo & Deus in Theologicis. Patet consequentia, quia nulla est disparitatis ratio. Minorem probo. Si Petrus tibi promittat mille aureos, tenebitur tibi humanitatis; & si promissionem juramento confirmet, divinitatis: & tamen tu poteris cedere tuo jure, & facere quod ille non teneatur illam summam auri donare. Ergo similiter, si voves Deo castitatem, paupertatem, religionem, aut aliam quamcumque virtutem, poterit Deus obligationem condonando in voto dispensare. Imò & hanc potestatem videtur concessisse hominibus, in omnium enim sententiâ univērsi Patres familias possunt in aliquibus votis Deo factis dispensare.

1251 Nec juvat ad materiæ mutationem recurrere; quia homo stantibus eisdem circumstantijs liberè relaxat obligationem natam ex promissione sibi factâ, & nulla ratio suppetit ob quam debeat quis dicere Deum teneri necessariò hominum vota admittere, nec posse hæc ipsis condonare.

In tertio Decalogi præcepto

1252 **D**ispensavit Deus aliquorum sententiâ; cum in observantiâ Sabbati 1. Machab. 2. *Et cogitaverunt (Machabæi) in die illa dicentes, Omnis homo quicumque venerit ad nos in bello die Sabbatorum, pugnemus adversus eum.*

Sed hanc rationem omninò debilem judico; nec illâ utar confirmaturus sententiam mei Bernardi, nam ut bene notat Præpositus, cum huic objectioni satisfacit, in Decalogi tertio præcepto indicitur cultus Dei, & decernitur exhibendus esse tali die. Prima præcepti pars ad legem naturalem pertinet, posterior ad cæremonialem. Addit Deum non dispensavisse in lege naturæ, sed in cæremoniali; quia ut in lege naturæ dispensasse dicendus fuisset, deberet indulgisse licentiam ut rationalis creatura nunquam sibi cultum & adorationem deferret.

At ego

1253 At ego existimo ne quidem in cæremoniali dispensavisse, & ratio est, quia tam olim Judæis indigebatur observantia Sabbati, quam Christianis Dominicæ. at isti possunt pugnare die Dominicâ: ergo & illi poterant die Sabbati. Minorem apud Dianam admittunt viri docti, & probant, quia die Festo omnia opera servilia interduntur, at pugnare servile non est; nam & Principes & Reges pugnant.

In quarto Præcepto

1254 **P**osse Deum dispensare ostenditur; quia id jussit Deus, & tamen non teneremur obedire si non jussisset; nec si inhibuisset, possemus.

Respondet Sylvius ubi supra, præceptum de honorandis parentibus esse affirmativum, adeoque tantum obligare positum certis circumstantijs loci, temporis, & similibus, ita ut cum dicitur, *Honora patrem & matrem*, intelligi debeat, quando & quomodo recta ratio dicat honorem esse impertiendum. Vnde si Deus alicui juberet, ut patri suo nullum honorem vel reverentiam, nullamque sustentationem exhiberet, sed permitteret eum mori fame, tunc recta ratio non dicaret honorem illi esse impertiendum, ac per consequens ille non obligaretur patri honorem exhibere; non quia Deus cum eo dispensasset (non enim fecisset quod liceret non exhibere patri honorem quando juxta rectæ rationis dictamen exhibendus est,) sed quia præceptum cum talibus circumstantijs consideratum desineret esse præceptum & cessaret ejus obligatio.

1255 Me miserum! quid dicam aut quid addam? Aut non intelligo, aut non intelligor. Hæc solutio extra difficultatem exorbitat, & omnes etiam juris positivi divini, & humani dispensationes tollit. Peto à Sylvio, An hodie præcepto circumcisionis teneamur? & si non, cur non teneamur? aut discipio, aut respondebit Deum veterem illam legem solvisse, & in ejus rigidâ obligatione dispensasse. Quid si ego dicerem, præceptum de circumcisione esse affirmativum, adeoque tantum obligare positum certis circumstantijs ita ut intelligatur homo debere

circumcidi, quando recta ratio dicat? Sanè sicui Deus circumcisionem inhiberet, tunc recta ratio dicaret circumcisionem non esse admittendam, ac per consequens ille non obligaretur circumcidi. non quia Deus cum illo dispensasset (non enim fecisset, quod liceret non circumcidi, quando quis juxta rectæ rationis dictamen circumcidendus est) sed quia præceptum tali circumstantiâ (nempe, præcepto contrario posito) desineret esse præceptum, & cessaret ejus obligatio? Sanè verbis ejusdem uteretur, & duas simillimas quæstiones eodem prorsus modo resolverem. Cum Deum in Decalogo posse dispensare asserimus, & Sylvius negat, idem omninò sentimus, sed diversimode loquimur. Non volumus, ut Deus relinquat præceptum & cõcedat quod quis illud sine peccato violet, id enim impossibile est, & si esset possibile non esset dispensatio: sed volumus, quod Deus aut non præcipiendo id quod præcipiebat, aut præcipiendo contrarium possit facere quod præceptum desinat esse præceptum & cesset ejus obligatio; quam quidem Deo potentiam expressissimè Sylvius concedit. Nam cum Prælati, qui tibi jejunium indixerat, dicitur dispensare, non concedit ut possis stante præcepto omittere jejunium sine culpa, nec concedat quod illud possis omittere, quando recta ratio non omittendū dicat, sed tollit præceptum, & facit quod recta ratio dicat posse illud omittere. Et si quidem hoc ipsissimum concedit Sylvius Deo, ne abutatur verbis, sed loquens cum multis, D. Thomæ cui mente valedixit, etiam valedicat linguâ, & nostræ sententiæ cui dictamen subdidit, etiam subijciat labium.

In quinto Præcepto

1256 **D**ispensavit Deus teste Bernardo, cum Abrahamo filicidium injunxit, ut superius vidimus: sed & huic rationi alteram æquè fortem adjungo.

Vir quidam de filijs Prophetarum, ait Spiritus sanctus 3. Reg. 20. 35. dixit ad socium suum in sermone Domini. Percute me. At ille noluit percutere. Cui ait: Quia noluisse audire vocem Domini, ecce recedes à me, & percutiet te leo. Cumque paululum recessisset

THEOLOGIA MORALIS

314

ab eo, invenit eum leo, atque percussit. Sed & alterum inveniens virum, dixit ad eum; Percute me. Qui percussit eum & vulneravit. Ergo Deus non solum dispensabat in quinto præcepto Decalogi, sed & percussio- nem illam præcipiebat.

1257 Si obijcias Deum potuisse illum Pro- phetam sub dominium plenum socij ejus submittere: dicam certum esse, quod Deus id potuerit; non tamen probabile quod fecerit. Præceptum enim in Sacra Scriptura clarè video, donationem non video. Præterea, si ille filius Prophetarum servitute plenâ (nostri servi non cognoscunt dominum plenum, non usua- rium, sed utilem: adeoque ille Propheta strictius teneretur socio, quam servus emptus suo emptori) subderetur socio, qui potuit domino imperare? verba enim illa, Percute me, imperium sonant. qui sine licentiâ postea à domino innocenti recedere? an & Deus iterum donatione factam revocavit, & dominium concessum percussori substraxit? sunt somnia, quæ ab afflictis finguntur quod sua aliâ placita tueri non possint. cum tamen facilius esset mentes ad exemplar Sacrae Scripturae reformare, quam illam ad mentis suæ fluctuantes ideas torquere.

In sexto Præcepto

1258 **D**ispensasse cum Oseâ Prophetâ ostendit Bernardus, & nos ejus mentem sequuti.

Sed & eandem Melliflui Doctoris sententiam sic confirmo. Polygamia jure naturæ est illicita; atqui Deus in eâ dispensavit, cum Patriarchis posse habere plures simul uxores indulset: ergo.

Hæc ratio fortissimè stringit omnes illos, qui concedunt majorem. Præpositus minorem negat, & rationem negandi sic proponit. [Quævis enim Deus permiserit aliquando uni viro simul habere plures uxores, id tamen non fecit propriè dispensando in lege naturæ, sed ratione supremi dominij, ratione cujus potest permittere ut vir acquirat jus perfectum in corpus fœminæ, ita ut illa jus in suum corpus nequeat simul in alium transferre, concessio tamen eidem fœminæ jure imperfecto in corpus mariti, & cum quo sese

compatiatur quod alteri fœminæ simile jus in corpus suū possit concedere. Quamvis enim id non possit mulier propriâ autoritate; potest tamen Deus, ut ex dictis patet, valens varijs incommodis, quæ nata essent sequi, occurrere. videri possunt quæ diximus 3. parte de matrim. q. 1. d. 8. eodem modo Deus non dispensavit in lege naturæ permittendo libellum repudij secundum eam sententiam, quæ censet per illum matrimonium fuisse solum, sed tamquam supremus dominus sustulit vinculum quo partes sibi invicem adstringebantur; quo sublato vir licitè ad alias nuptias poterat convolare.] Hucusque ille.

1259 Hic iterum ad supremum dominium, frustra tamen recurritur, nam & ego nunquã doceo posse Deū de potentiâ ordinariâ dispensare in Decalogo, sed id concedo uni & soli supremo dominio seu potentiæ absolutæ. Igitur ex concessis à Præposito sic argumentor. Potest Deus ratione sui supremi dominij concedere ut Petrus acquirat in singulas uxores verum & adæquatum jus, & tamen singulæ in eum inadæquatum & partiale. Ergo vel lex naturalis non concedit adæquatum jus fœminis in corpus viri, vel Deus ratione sui supremi dominij potest aliquid jubere contra legem naturæ, & per consequens in illâ dispensare. Atqui Præpositus Polygamiam jure naturæ interdictâ concedit: ergo & debet concedere Deum in lege naturæ dispensasse. Ceterum Polygamiam esse jure naturali interdictam nemo mortalium evidentè probabit: hæc tamen ratio ad hominem, ut dicitur, fortissima est.

In septimo Præcepto

1260 **C**um Israëlitis dispensasse certissimum est, ut superius ostendimus, cum mentem Bernardi exponeremus: possent similes historiæ etiam adduci, sed quia nulla clarior recensitâ, non juvat exempla analogâ multiplicare.

In octavo Præcepto

1261 **P**osse dispensare, non negabunt illi qui ausi sunt asserere Deum ipsum de potentiâ absolutâ mentiri posse. Sane si posset

posset ipse contra suam mentem ire, etiâ posset homini concedere, ut licitè contra propriam procedat & mentiatur. Sed quia nimis durum videtur primum illud assertum, nos tenemus Deum non posse mentiri, & tamen posse in omni mendacio dispensare, illumque qui mentiretur positâ tali dispensatione processurum esse contra mentem & veritatem ut hodie, non tamen peccaturum contra Deum. Deum de facto dispensasse in hoc præcepto aliqui fortiter contendunt, non tamen reperio instantiam, quæ sit fortis ut intentum persuadeat.

In nono & decimo

1262 **V**idetur materia aliorum præceptorum resumī; adeoque ex his, quæ de alijs præceptis dicta sunt, constare poterit, quid de his duobus præceptis dicere debeamus.

DISPVT. X.

Possimus-ne adversariorum objectionibus clarè & demonstrativè satisfacere?

1263 **R**ESPONDEO affirmativè; quia ex ijs quæ diximus, tam clarè satisficit contrariæ partis argumentis, ut nemo prudens possit illa indigere aliâ satisfactione suspicari.

Arguis primo.

1264 **S**ententia, quæ contra omnes aut saltem ferè omnes Theologos militat, non solum non est demonstrata, sed ne quidem probabilior; atqui talis est Bernardi sententia; ergo demonstrari non potuit. Minorem probas, quia Bernardum sequuntur valde pauci, cum tamen contrariam amplectantur sententiam D. Thomas quæst. 100. art. 8. & in 3. dist. 37. art. 4. Caiet. ibid. Sotus lib. 2. de just. q. 3. art. 8. Richardus in 3. dist. 37. art. 1. q. 5. Molina tom. 1. de justitiâ tract. 1. disp. 4. Becanus tract. 3. cap. 3. quæst. 4. nu. 5. Vasquez disp. 179. c. 2. Valentia disp. 7. q. 4. puncto 6. §. hæc sententia mihi. Lorca de legib. disp. 9. memb. 2. §. nihilominus tamen. Ricardus in 3. dist. 37. art. 1. quæst. 5. Abulensis in c. 20. Exodi quæst. 35. Caiet.

Conradus, Medina, 1. 2. quæst. 108. art. 8. Montefinus disp. 26. de legib. difficul. 3. Azorius tom. 1. lib. 6. cap. 1. Becanus tract. 3. de lege naturali cap. 3. quæstione 4. Suarez lib. 2. de legibus cap. 15. Vasquez disp. 179. Salas quæst. 94. tract. 14. disp. 5. sect. 9. Granadus controver. 7. de legibus tract. 2. disp. 6. Tannerus disp. 5. 2. quæst. dub. 4. & alij plures

Respondeo Bernardi sententiam esse etiam communem in schola Scoti, adeoq; demonstrari esse probabilem; nemo enim tam esset efrons, qui unius scholæ sententiæ auderet improbabilitatis notam imponere.

Arguis secundo.

1265 **N**on subsistit sententia, cujus rationes & fundamenta facili negotio difflantur: atqui fundamenta Bernardinae opinionis dirui possunt: igitur sententia non subsistit. Minor probatur à Vasquezio 1. 2. in quæst. 100. art. 8. ubi sic. [Facile dissolvi possunt omnia argumenta; quibus nonnulli probare nituntur in aliquibus præceptis naturalibus Deum dispensare posse: solum enim probant hoc ipso, quod Deus præcipit ali- quid fieri, id, quod aliâ esset contra præceptum naturale, illud sine peccato fieri, non quia dispenset in præcepto ipso, sicut humanis legislator in sua lege dispensat, permanente materia & circumstantijs, cum quibus illa obligat sola renaissance factâ præcepti erga aliquem; sed quia Deus auctoritate sua præcipiens illud fieri, mutat aliquam circumstantiam necessariam ex parte materiæ, sub quibus illa soluti prohibita erat jure naturæ.]

1266 Sed aut fallor, aut Vasquez ad dispensationem implicatoriam confugit, de qua quam sit absurdum disputare, jam vidimus, quia solo Dei mandato materia præcepta non mutatur, sed sola circumstantia se tenens ex parte materiæ (sic ipse loquitur) quæ aliâ esse non potest, quam dispensatio; ut jam totâ manente materiâ interdicta, & interdictione, illa sola circumstantia varietur. Sed hæc expositio, ut vidimus legem Deo onerat superfluis circumstantijs & tamen talibus, quæ non possint illam ab humana distinguere. Nam si Rex hanc legem.

legem ferret, nemo sine licentia oves occidit. posset concedere licentiam Petro, & tamen ex vi hujus facultatis indultæ, nec relaxaretur præceptum, nec mutaretur substantialis præcepti materia, sed una sola mutaretur circumstantia necessaria, se tenens ex parte materiæ non secus ac Vasquez affirmabat.

Arguis tertio

1267 **E**X Sylvio, & ais, Præcepta, quæ continent ipsam intentionem Legislatoris, sunt omnino indispensabilia: sed præcepta Decalogi eam intentionem continent: ergo sunt omnino indispensabilia. *Major probatur*; quia tunc in præceptis legis locum habet dispensatio, quando talis casus occurrere potest, in quo si verba legis fervarentur, ageretur contra intentionem legislatoris. *Minor prob.* quia præcepta Decalogi continent vel ipsam conservationem boni communis, vel ipsum ordinem justitiæ & virtutis: tria enim prima quæ ordinant ad Deum, continent ordinem ad bonum commune & finale quod est Deus, cætera verò continent ordinem justitiæ inter homines observandæ, ut scilicet nulli fiat indebitum & cuiuslibet reddatur debitum: secundum hanc enim rationem intelligenda sunt præcepta Decalogi.

1268 *Confirmatur*, intentio legislatoris primò & principaliter ordinatur ad bonum commune, secundariò autem ad ordinem justitiæ & virtutis, secundum quem ipsum bonum commune conservatur & ad id ipsum pervenitur: illa igitur præcepta quæ continent ipsam conservationem boni communis vel ipsum ordinem justitiæ & virtutis, continent intentionem legislatoris, ac per consequens sunt indispensabilia.

1269 At tu negas illa præcepta quæ continent ipsam intentionem legislatoris esse indispensabilia; quia si major Sylvius esset verus, nullum esset præceptum dispensabile; nullum enim datur, quod ipsam intentionem legislatoris non contineat. Ad majoris probationem totum nego; leges enim non consistunt formaliter in verbis, sed in intentione & voluntate obligandi, verba enim requiruntur ut medium tan-

quam animi indices. Cum aliquis casus occurrit, in quo si verba legis fervarentur contra intentionem legislatoris ageretur, non est petenda dispensatio; quia si non fuit intentio legislatoris in tali casu obligare, certum est non dari in eodem casu obligationem, adeò nec legem. Sed videtur Sylvius non velle scire quid formaliter sit dispensatio. Est enim *actus liber superioris eximentis unam aut plures personas in uno vel pluribus casibus à legis, alias in suo vigore mansuræ, vigore; ita tamen ut illam aut illas etiam non eximere possit.* Necessaria enim immunitas dispensatio non est, oritur enim ex naturâ rerum præceptorum etiam superiore nolente. Exemplo res dilucidatur. Est in Decalogo expressa lex homicidia interdicens, & tamen cum invaderis & ni occidas evadere non potes, non est dicendus legislator concedere dispensationem, sed non dari legem quæ homicidium necessarium inhibeat. Et hoc quidem clarissimum est. Sed condonemus Sylvio, ibi dispensationem concedi, & inferam sese confodere hoc adsumpto, quia si in præcepto quinto locum habet dispensatio, stat Bernardi Thesis asserens in secundâ legis tabulâ posse Deum dispensare.

Ad probationem minoris admitto præcepta primæ, & si velit secundæ tabulâ, continere ordinem ad Deum, ad bonum commune: at his non obstantibus posse non præcipi constanter dico: Deus enim liber est, & jubet quod vult, quando & quibus vult, nec posse dici sine suæ auctoritatis præjudicio existimo, debere Deum in suis legibus ab hominibus necessitari.

1270 Confirmationis antecedens concedo, & nego utramque consequentiam; quia multa sunt quæ nos in Deum dirigunt, publicum & commune bonum respiciunt, & tamen divinitus præcepta non sunt. Charitas enim nos intimè connectit Deo, & tamen attritionis actu contentus contritionem omnipotens clementia non præcipit. Puræ etiam humanæ promissionis religio in bonum commune collimat, conducit ad proximi tranquillitatem, quietemque, & tamen non est divinitus præcepta, licitè enim promissioni etiam acceptatæ

ceptatæ, si purè humana ipsa fuerit, non stare potes.

Arguis quarto

1271 **E**X eodem Authore, si in communitate aliqua statueretur, ut nemo Rempubliam destruat, nullus civitatem hostibus prodat, nullus injustè aliquid faciat, illa præcepta essent penitus indispensabilia; idque propterea quia continent intentionem legislatoris & conservationem boni communis: sed si aliqua alia præcepta traderentur, quibus determinarentur aliqui speciales modi, puta quod ad meliorem civitatis conservationem, ex singulis vicis aliqui excubias agerent; hæc essent dispensabilia: cum igitur præcepta Decalogi intentionem Dei legislatoris contineant omnino indispensabilia sunt, etiam si alia quibus speciales modi conservandi boni communis & justitiæ jubentur, dispensabilia sint.

1272 Omnia videntur falsa. Primò enim dico præcepta etiam præcisè necessaria conservationi privatæ aut publicæ esse dispensabilia. & ut melius intelligas demus casum, quod Deus quinto suæ legis præcepto Sacerdotis eadem interdicit sub peccato mortali, eandem Ecclesia sub excommunicatione, eandem Respublica sub poena capitis, qui casus verus est, & admitti ab adversarijs debet. Si petam an Respublica possit in Sacerdotis eadem dispensare, errabis, si absolutè affirmes, aut absolutè neges. dispensare enim potest in lege à se latâ, non in alijs. Hoc est, potest cassare legem illam, quæ Sacerdotem occideret, peccaret primò contra Deum & peccati mortalis crimine inficeretur; peccaret secundò contra Ecclesiam, obstringereturque excommunicationis vinculis: & tamen non violaret legem Reipub. nec esset condemnandus capite. Sic similiter, cives, quia jurant Magistratui obedire, tenentur ratione voti, & erunt sacrilegi si inobedientes. Ponamus ergo hunc casum, ann. MDXLI. noluerit lege latâ Respub. prohibere proditionem, anno sequenti de facto prohibuerit, anno

subsequenti in lege dispensavit. Sistantur tuo tribunali tres proditores, quorum primus anno illo MDCXLI. alter sequenti, alter subsequenti peccaverit. Me consule dicas primum peccasse quidem contra Deum & quintum præceptum Decalogi, nò tamen inobedientem fuisse Reipublicæ, nec fuisse perjurum, quia supponitur nec præcepto nec juramento ad fidelitatem obligari, adeoque solo jure Decalogi teneri. Addas secundum & inobedientem esse respectu Dei, & respectu Reipublicæ, & simul duas leges alteram divinam, alteram humanam temerasse. Et subjungas tertium esse similem primo, quia tametsi Decalogum temeret, non temerat legem Reipublicæ. Hinc ad argumentum respondeo distinguendo majorem, si in civitate statueretur, ut nemo illam destruat, hoc præceptum esset indispensabile, distinguo; divinitus, nego; humanitus, subdistinguo; esset indispensabile quæ humanum, nego; quæ divinum concedo. Ratio est: quia tunc destructio illa Reipublicæ esset interdicta duabus legibus, humanâ & divinâ. & Deus dispensare in utraque; at homo in sua, non tamen in divinâ, posset.

1273 *Secundò*, non video cur eadem præcepta debeant dici præcisè necessaria & non potius utilia & ad melius. Si Deus nec furta nec homicidia moraliter interdiceret, posset adhuc homines arcere ab hujusmodi actionibus lege purè pœnali; posset mero consilio, puta si virtutes contrarias commendaret. Sed & homines possent lege sibi prospicere, ut in multis alijs, quæ nec divinitus indicta nec interdita sunt. Nam sicut homines damnis ex clandestino matrimonio emergentibus salubriter providerunt, sic etiam possent obviam ire alijs quibuscumque periculis leges peculiare ferentes.

Arguis quinto

1274 **E**X eodem Sylvio, nam materia præceptorum Decalogi est secundum se debita ut fiat, vel debita ut non fiat: ergo non potest super illam cadere dispensatio; alioquin sequeretur unum & idem

habere rationem debiti inseparabiliter annexum, & eam rationem non habere. Quod enim dicitur, materia Decalogi est secundum se debita, non ita est accipiendum, quasi solum sit debita, stante præcepto & manente ejus obligatione, quo modo etiam aliorum præceptorum materia est debita; sed significatur esse debita secundum se, hoc est, secundum naturam & conditionem materiæ relatæ ad actum creaturæ rationalis, etiam si non esset ullum præceptum positivum.

²¹⁷⁵ Tibi & Sylvio subscribunt, qui sic ratiocinantur; præcepta Decalogi jubent ea quæ ex se, seu ex natura sua sunt bona & debita; prohibent verò illa quæ ex se seu ex, natura sua sunt mala & illicita; ergò in illis non potest dispensari, ne quidem per Deum; cum Deus facere non possit, ut quod ex natura sua est debitum, non sit debitum, & quod ex natura sua malum est, non sit malum.

¹²⁷⁶ Sed respondeo nec materiam præceptorum Decalogi secundum se sumptam aut debere fieri, aut debere non fieri; quia secundum se est indifferens ut præcipiatur, aut non præcipiatur. Si præcipiatur, debet fieri; si non præcipiatur non debet: & si inhibeatur, debet non fieri: non enim obligatio aliqua aut peccatum intelligitur ante omne præceptum. Sed & vides in hoc argumento, adversarij ut nos oppugnent contradictorium nostræ Theses supponunt, nostra enim Thesis cum Paulo asserit ante omnem legem nullam posse prævaricatione assignari: lex enim divina non interdicat actus, quia mali; sed isti mali potius evadunt, quia interdicti.

Arguis sextio,

¹¹⁷⁷ Sed uteris verbis Præpositi contrariam sententiam probantis. Sic ais; Quod semel lege naturæ fuit vetitum, semper manet intrinsecè malum remanentibus iisdem circumstantijs; atqui Deus nullo modo potest dispensare, ut agatur id, quod est intrinsecè malum, ergò non potest dispensare in eo quod lege naturæ est vetitum remanentibus scilicet iisdem circumstantijs. *Confirmatur.* Actus lege

naturæ præceptus ita dicit necessarium respectum, ad naturam rationalem, ut ejus omisio vel actus contrarius sit contra rectam rationem, ut plurimis exemplis potest declarari: v. g. colere Deum ita dicit respectum ad rectam rationem, ut omisio ejus pro tempore quo urget præceptum, sit contra rationem. *Confirmatur iterum.*

Si in Deo solo conciperetur potestas legislatoris, nullo modo posset dispensare in lege naturæ: ergò neque nunc potest directè & immediatè dispensare.

¹²⁷⁸ Respondeo te vel nomine circumstantiarum, quæ dicuntur remanere, vel intelligere præceptum ipsum vel non. Si primum dicas, concedo majorem, non enim potest Deus facere quòd maneat & tollatur præceptum, aliàs duas contradictorias veras haberemus. Ergò quia non dicis primum sed secundum, neganda est major. manentibus enim eisdem circumstantijs & sublato præcepto, illa omnia quæ mala erant, transeunt in licita. Vbi obiter ille terminus *intrinsecè malum moraliter* pro nulla re supponi notandum est; nulla enim dantur, quæ moraliter sint intrinsecè mala, tota enim malitia est accidentaliter denominatio desumpta à libero præcepto.

¹²⁷⁹ Ad primam confirmationem respondeo. multa subsumi falsa, multa ambigua. Primum enim non credo actus illos qui contra rationem militant, militaturos fuisse, si interdicti non essent. Ratio est, quia tota ratio pugnandi contra rationem est lex. Contra rationem enim militat hæc assertio, *Non volo obedire Deo*, non tamen hæc, *In rebus à Deo non interdictis sequar meam libertatem.* Secundò esto pugnent contra rationem ante omne præceptum & legem; quis non videat esse alienas ab omni formâ & syllogisticâ figurâ has consequentias, *Mendacium contra mentem militat: ergò & contra Deum.* Nam & labor & studium & nimia attentio plus nocent menti quàm mendacium, si non esset divinitus interdictum noceret, & tamen contra Deum non sunt. Etiam militat contra rationem & honestatem humanam, quod stantibus eisdem circumstantijs & fundamentis dictamen mutes, & tamen

tamen in purè probabilibus liber es, & mutare sententiam poteris sine scrupulo, ut ferè omnes Doctores affirmant. Non stare promissis absurdum, & tamen peccatum non est. nisi illa sint juramento aut contractu firmata. Et, ut verbo dicam, innumeræ actiones sunt, quas non audent coram alijs facere, ratio enim dicit secretò esse faciendas, & tamen non semper essent peccata si publicè coram populo fierent.

¹²⁸⁰ Ad secundam confirmationem respondeo negando antecedens; quia nihil aliud est non dispensatio, quàm legislatio perseverans; idem enim est dispensare, quàm pro tali tempore aut personâ aut materiâ, nil jubere.

DISPUT. XI.

Utrum Decalogus sit, aut esse possit lex merè pœnalis?

¹²⁸¹ **D**E lege pœnali in mei Comment. in Regulam Benedictinam numer. 30. ideo uberioris quàm de alijs legibus, quoniam in ipsa Regula, lex quidem, sed pœnalis est. Legem quæ obligatoriam contemplatur in moralem, pœnalem, & mixtam divisi; & definij moralem obligare conscientias; pœnalem res extrinsecas (puta commoditatem, opes, auctoritates) talemque audire, quod conscientias non liget, sed solummodo pœnas imponat: mixtam ex utraque componi. Nunc inquirò, An Decalogus, siquidem est lex obligatoria, sit merè pœnalis? & si moralis sit, An esse purè pœnalis potuerit?

Decalogum non esse legem purè pœnalem.

¹²⁸² **I**Nter alias positiones ex operibus Petri Abailardi collectas & Innocentio Papæ hujus nominis secundo à Mellifluo Claravallensium Abbate transmissas reperio hanc de essentiâ peccati originalis. *Quod non contraxerimus culpam ex Adam, sed pœnam tantum.* at quia Franciscus Amboësius in præfatione Apologeticâ pro Petro Abailardo subdubitavit, an illi quos Bernardus enumerat errores, sint ex doctrina Petri electi, an verò injustè aff-

cti; addam, quæ circa hunc errorem Parisienses Doctores invenerunt reprehensione digna, ut constat ex eorundem Censurâ quæ Operibus Abailardi impressis Parisijs ann. 1616. præfigitur, nihil omninò Bernardum imposuisse Abailardo, sed ejus sententias candidè & sincerè exscriptisse, exscriptas censurasse. Ibi lego. *Paginâ 419. lin. 5. in solutione xvi. Problematis, præceptum de diligendo proximo, à Christo Domino commoratum, solos Judæos devincire autumat; nec videt Decalogi præcepta, quia juris naturæ sunt, singulos homines obstringere..... Pag. 555. lin. 30. & 31. In duobus aberrat. Primum quod censeat ei, qui antequam baptizetur justus est nondum in baptisate dimissa esse peccata; ille etenim per votum baptisati jam veniam delictorum est consequutus. Secundò quia peccata nondum dimissa, pœnam non adhuc exolutam interpretetur..... Pag. 582. lin. ult. Per peccata, quæ moriendo Christus sustulit perperam Abailardus pœnam solum ablatam exposuit. Sic & pag. 630. lin. 12. & 14. ad eundem scopulum allidit. Pag. 586. lin. 7. Verba hæc D. Pauli, In quo omnes peccaverunt, ad pœnam tantummodo revocat, & reatum ipsum peccati originalis, in quem incurrerunt omnes, omittit. Pag. 588. lin. 13. in eodem lubrico nutat. similiter & pag. 590. lin. 6. eisdem & pag. 592. lin. 9. & 10. pag. 597. lin. 29. & 30. & lin. 33. Pag. 591. lin. penult. & pag. 600. (quæ falsè numerum præfert 592.) lin. 36. Abailardus peccata dimitti perinde existimat ac pœnam ipsorum condonari. & pag. 592. lin. 3. aliquem habere peccatum, præteritâ peccati actione, nihil aliud, quàm remanere obnoxium pœnæ. Sed hanc illius opinionem Catholica explodit Ecclesia. Hæc de hoc errore Doctores Parisienses. Videat igitur prudens Lector audiendus sit Amboësius dum dubitat (*reperita, si credere fas est, partim in libro. &c. dicit expressè*) an heterodoxa capitula, quæ Bernardus ex libris Abailardi excerpfit, sint verè ejusdem Abailardi? an dicemus olim Bernardum & diversorum Conciliorum Patres, & hodie Doctores Parisienses in Abailardi intelligentiâ hallucinatos, & solum Amboësius concessum ut mentem ipsius poterit adsequi? an levî hujus fautoris conjecturæ cõtra expressas*

Abailardi periodos stabimus? minime: Libri prostant, & quæ olim displicuerunt Bernardo, etiam hodie Doctoribus displicent, etiam alijs Theologis quibusque displicebunt. non displicebit tamen pœnitentia Abailardi & errorum retractatio & correctio, omnes enim locos quos hoc errore infecerat, hoc uno in Apologia profligat firmamento, *Ex Adam, in quo omnes peccavimus, tam culpam quam penam nos contraxisse assero.* Sed adhuc vellem scire, quid nomine culpæ intelligeret. Exolevit hic error, & jam à nemine quem sciam, in Europa defenditur.

Potuisse Deum lege merè pœnali nos ad legem naturæ obligasse.

1283 **N**on ago de præceptis, in quibus, si qui sunt, Deus dispensare non potuit, sed solum de illis in quibus asseritur posse dispensare, & inquiris, an quæ omnino permittere potuisset, pœnaliter potuerit interdicerè? nimirum, an ad secundæ tabulæ observantiam potuerit obligare homines monitis & præceptis pœnalibus, ita ut prævaricatores non essent rei culpæ, sed pœnæ?

1284 Sanè monita opponi consilij in Scholij elimati ad Regulam Bened. num. 31. 37. ostendi. quod si semel admittas consilium, esse legem merè præmialem; monitum, merè pœnale; teneberis concedere dari de facto leges merè pœnales à Deo latas, & ferri plures posse, si legislatori placeret. consilia enim & monita in sacra doctrina reperimus. Imò & videtur non dari consilium sine monito saltem negativè, aut è contra. Si enim illustrem talem actionem patraturò mille aureos promittas lege merè præmiali, non patraturò carentiam eorundem promittis lege merè pœnali negativà, non enim positivam aut novam pœnam infligi, sed præmium illud non concedi. Non aliter, si homicidium pœnâ crucis inhibeas, non homicidas præmio negativo afficies, hoc est, non punies. Sed præscindendo ab aureolâ aut pœnâ negativâ, addo me nescire, cur non possit Deus sicut & legem purè præmialem tulit, cum consilia tradidit, ferre etiam leges merè pœnales circa aliquarum observantiam virtutum.

Posse & purè morales.

1285 **S**unt & aliqui Authores, qui nescio quo judicio præventi millenas Deo libero necessitates imponunt. Non posse peccata non punire, inquirunt, non posse ignoscere sine satisfactione ex parte peccatoris positâ: nos verò, qui alius de Deo sentimus, posse peccata condonare sine physicâ peccatoris mutatione, imò & posse condonare pœnam manente culpâ asserimus, & potuisse leges merè pœnales constituisse affirmamus. Non esset Deus qui liber & Dominus non esset, nec Dominus qui aliquid non posset, quod repugnantiam non involveret.

DISPVT. XII.

Impossibiles aliquas Hypotheses supponit, ut Decalogi examinet vires.

1286 **S**OLENT Theologi utiliter aliquas propositiones, & si apertè falsas & impossibiles supponere, ut radicibus aliarum veritas investigetur. Tales sunt, An si Deus cœcè & ignoranter, aut saltè necessariò daret creaturæ intellectuâ illa eadem auxilia quæ modo, ipsa liberè operaretur? An, si careret scientiâ mediâ & decretis conditionatis, posset certò & infallibiliter aliquem prædestinare? An, si vellet & nollet idem objectum simul, hæc volitio & nolitio identificata voluntati distinguerentur inter se? & si distinguerentur, an essent duæ personæ divinæ? an in tali casu admittenda esset personarum quaternitas? An si creaturæ possibles repugnarent Deus esset omnipotens? an repugnante unicâ, tota tolleretur omnipotentia? An, si creaturarum passiva possibilitas haberet terminos magnitudinis & parvitas, omnipotentia Dei esset categoricè infinita? an si Deus inciperet in tēpore velle aliquid, quod non voluisset ab æterno, mutaretur realiter? An, si prædestinatus in sensu composito cōdemnaretur, frustraretur divina voluntas, divina falleretur scientia? An, si natura intellectualis esset capax plurium potentialium, quàm intellectus & voluntatis, essent plures in divinis personæ? An, si

prius

prius operaretur voluntas quàm intellectus, secunda persona esset Spiritus sanctus à solo Patre procedens; tertia Verbum ab utroque? an in tali casu Verbum esset Filius Spiritus sancti? an si à Spiritu sancto in tali casu non procederet, ab eò distingueretur? An, si poneremus, nullum volitum quin præcognitum, & adderemus naturam divinam in volitione infinitâ consistere, dici deberet Verbum non esse primæ personæ Filium, sed primam & secundam per modum unius principij generativi producere Spiritum sanctum tanquam utriusque Filium? An, si Spiritus sanctus non procederet à Verbo, distingueretur ab illo? An ita inhabitet iustorum corda, ut si careret immensitate & ubiq; non esset, nihilominus adhuc hujus inhabitationis ergò, futurus fuisset realiter præsens iustorum animabus; an solum moraliter, vel intentionaliter? An, si daretur subsistentia communis omnibus tribus personis, una potuisset sine alia incarnari? Et supponendo non dari potentiam ad præteritum, An, si Adamus non peccasset, Christus venturus fuisset? An, si merita Christi essent finita, nos effemus redempti? An, si malitia peccati infinita potuerit dari meritum majus peccato? An, si habuisset gratiam infinite intendere plus fuisset promeritis? An, si nolisset mori & Pater in præcepto posito non dispensasset, peccasset? An, si peccasset Christus, etiam peccasset Deus? An, si Deus posset mentiri, darentur articuli fidei? An, si hæc duæ positiones *Deus est, & Deus verus est* non demonstrarentur, esset aliqua in mundo religio, quæ obligaret conscientias? An, si Theologica virtutes componerentur cum vitijis oppositis in eodem animo, iste talis damnandus, an salvandus esset? An, defendi posset immaculata Virginis Matris Conceptio posita peccati & gratiæ coexistentia in uno indivisibili instanti reali? An, si Deus impossibilia præciperet tyrannus esset? An omnipotens, si innocētem affligere non posset? An ex hypothesi, quod animam omnino innocētem pœnalitibus affligere non possit Deus, defendi vel apparenter posset B. Virginē peccato omni caruisse? & si non possit, An ratio

eodem modo in Christi impeccabilitatem militaret? Has & alias similes hypotheses, tametsi impossibiles, utiliter solemus supponere, ut inde veritatum aliarum essentias & formalitatum necessariam connexionem aut impossibilitatem eruamus: igitur utiliter procedemus supponendo aliquas Theses impossibiles, ex quarum suppositione resultabit quod valeantius cognoscere quid per locum intrinsecum, quid per extrinsecum, quid per utrumque, quid per neutrum opponatur aut non opponatur Decalogo. Hypotheses autem impossibiles, quæ veritati dilucidandæ proderunt, sunt sex. *Prima*, Deum non esse. *Secunda*, Esse quidem, sed non cognosci. *Tertia*, Cognosci quoad existentiam, non verò quoad præcipiendū potestatem. *Quarta*, Cognosci verè Deum potentem obstringere conscientias, nesciri tamen eas de facto obstringisse, sive quod idem est, nesciri Deum tulisse nullam legem moraliter obligatoriam. *Quinta*, Dubitari. *Sexta*, Cognosci probabiliter. *Quarum* quidem Hypotheson, tametsi prima sit omnino impossibilis; reliquæ in multorum opinione possunt admitti ut verè possibles, ut videbitur; cum de singularum positione tractabimus.

HYPOTHESIS I.

Deum non esse.

1287 **V**T Ethnicorum & Atheorum universorum mores formem, suppono per impossibile non dari Deum, reliqua autem natura ducta necessario aut contingenti eodem prorsus modo discurrere quo nunc, & hæc chimerâ suppositâ mores hominum examinabo, ut videam, an malitia & bonitas sit ipsis actibus intrinseca; an sit denominatio extrinseca desumpta à Deo.

1288 Posita igitur hæc impossibilis hypothesi dicendum est. *PRIMO*, *super vacanteum futurum fuisse alitui Deorum cultui aut religioni vacare.* nulla enim tunc daretur religio, nulla conscientia moralis obligatio: ratio est per se nota; quia habitus intellectuales ita dependent ab objectis, ut ijs repugnantibus esse non possint. Si

non essent colores posibles, non daretur visus; nec medicina, si corpus non esset sanabile; adeoque nec Theologia, nec fides, nec spes, nec charitas, nec gratia, nec religio, si non daretur Deus.

1289 **SECUNDO**, *Cultui divino vacantes non fuisse dicendos irreligiosos, nec superstiosos, sed vanos stultos stolidos.* Ratio est; quia in illo casu nulla esset possibilis superstitio, nulla irreligio; neutra enim sine religione (nam ipsi opponuntur) potest intelligi. & data hypothesis omnem proscribit religionem. Sanè qui superstiosus non esset, stulti essent; summos enim honores adtribuerent non-enti, & se creaturas non existentis rei profiterentur, non secus ac si hodie aliquis in Insula deserta oberrans assereret se esse in Magni Alexandri palatio, illique reverentias faceret, morem gereret, libellos supplices scriberet, arboribus creditis Regis vicariis genuflexus offerret: nemo enim hunc irreligiosum diceret, nemo bonæ mentis compotem crederet. Hinc necessario sequitur nullam pro illo statu esse possibilem blasphemiam, infidelitatem, nullum perjurium &c.

1290 **TERTIO**, *Nullum peccatum mortale aut veniale commissum iri.* Ostenditur, quia mortale peccatum gratiam excludit, hominem Dei inimicum constituit, & veniale si gratiam non remittit, saltem fervorem debilitat, & impedit aliquarum gratiarum accidentalium infusionem; atqui in tali hypothesis, nec daretur gratia quæ excludi, nec Deus qui offendi posset: ergo nec peccatum daretur.

1291 *Dices.* Ideo Deus peccato offenditur, quia peccatum malum est; ergo prius est quod malum sit quam quod Deum offendant: ergo sublato Deo adhuc remanebit peccatum. *Et confirmas à simili*, quia prius est quod paries coloratus sit quam quod videatur, unde sublatis oculis non sequitur colorem auferendum esse; & ut clarius procedamus, possumus supponere Petro colorem viridem displicere, & arguis sic. Prius est agrum esse viridè quam Petro displicere: infero, ergo, si tota ratio displicendi est viror, non displiceret si viridis non esset; ergo nec viridis esset, si Petrus non esset. Concedis primam &

negas secundam consequentiam, quia tamen Petrus non esset, ille ager viridis esset. ergo similiter, si Deo displicet omnis actus peccaminosus; bene inferri potes, actum A. non displiciturum Deo, si peccaminosus non sit, malè autem, non futurum esse peccaminosum, si Deus non sit; nam ut dicebatur prius est esse peccaminosum, quam offensivum Dei.

Respondeo negando primum antecedens; quia ideò actus aliquis moraliter peccaminosus est, quia Deum offendit, non è contra; nam si Deum non offenderet, non esset peccaminosus moraliter. unde sublato Deo aufertur quod Dei offensa sit, ac per consequens quod peccatum sit.

1292 **QUARTO**, *Et si nullæ leges humane positivæ darentur, adhuc daretur tota secunda tabula naturaliter, non tamen moraliter obligatoria.* quam proderit singulatim discutere.

Filii essent parentibus pleno jure subditi, ut dominio proprietariis, adeoque deberent suum esse parentibus; tanquam causis efficientibus liberis, & illis deberent vivere & operari. Esset igitur physicè injurius patri filius qui aut nollet illi vivere & se occideret, aut nollet illi operari & non obedire; non secus ac pictura, si capax esset rationis, & nolens existere pictori se dissolveret, aut nolens ipsi obedire, aufugeret.

1294 *Parentes*, utpotè filiorum pleni & directi domini possent de illis disponere tanquam de suis tam dominio usufructuario; quod operationes, quam usufructuario; quod respicit ipsam substantiam. Possent igitur illis invitis quamcumque legem aut præceptum imponere, & tandem etiam innocuos & obsequiosos sine causa interimere, non secus ac pictor imaginem à se pictam potest non solum ducere quæ vult, affigere ubi vult, sed & igni mandare quando vult, tametsi perfectam & artis regulis correspondentem.

1295 *Filii* essent parentum hæredes; iudico enim hanc consequentiam, *Est filius, ergo hæres*; quæ Paulus utitur, esse necessariam ex natura rei. Filius igitur hæreditatis dominium capiens, omnium rerum quæ ad patrem pertinebant dominium caperet, ac propterea cum & ipse ad patrem pertinuerit

1296 pertinuerit se ipsum etiam caperet, & in sui dominio patri deviventi succederet. Esset igitur respectu sui, dominus vitæ & mortis, nec sibi esset injurius se occidendo. Sed quid si multi fratres essent? si primogenitus solus adiret hæreditatem, esset aliorum omnium fratrum dominus proprietarius, adeoque illos possit sine causâ interimere. Si omnes simul adirent, unusquisque sui dominium caperet. Sicut, qui hominem suum occideret, jure suo uteretur, & nemini faceret injuriam; sic etiam, qui alienum, peccaret physicè & purè naturalem injuriam faceret, non quidem homini occiso, sed ejus proprietario domino. nimirum occisi parenti, si supervivat, aut ipsi occiso si & ipse emancipatus, sui sit dominus.

Unusquisque emancipatus esset dominus sui corporis, & non emancipatus haberet corpus subditum parentis dominio. Filius ergo familias, qui sine parentis licentiâ mollitiem aut fornicationem committeret, contra patrem suum peccaret, & contra fœminæ etiam patrem, si & illa esset filia familias. At emancipatus & sui juris vir, qui cum emancipatâ se commisceret, nemini injuriam faceret. mollities illi esset licita, & quæcumque seminis effusio non judicaretur turpis & deordinata. Si emancipatus cum filiâ familias, aut contra, commisceretur, in patrem familias delinqueret, cui scienti & consentienti nulla fieret injuria. Adulteria dari non posse ubi non essent matrimonia scis, at in tali rerum statu non repugnaret dari concordiam circa corporis usum ad tempus, aut in perpetuum, quæ, si daretur, deberet servari, & sine injuriâ violari non posset. cæterum talis contractus à filiis familias sine parentum licentiâ injuri non posset. Debere in tali rerum hypothesis admitti incestus deformitatem, & consanguinitatis aliquod impedimentum non video; nec scio cur dici debeat esse contra decentiam aut naturæ humanæ aut paternitati debitam, si pater aut filiam duceret, aut uteretur non ductâ.

1297 *Darentur vera furta & latrocinia; omnes enim qui aliquam rem faceret, esset illius naturalis dominus, virtualis*

qui emeret, & fur qui alienam raperet. Possent dari nobiles & ignobiles, illustres & infames, & qui honorem alienum detraheret, esset injurius infamato. nec redderetur æqualis ante condonationem aut restitutionem.

Essent venditiones, emptiones; non tamen usura, aut simonia. Non illa, quia nemo teneretur dare mutuum; non hæc quia non darentur sacra aut supernaturalia quæ sacrilegè aut indecenter venderentur. Essent & donationes. Vxor invita non possit dari, volens posset; quia volenti & permittenti injuria non fit, nec tunc daretur lex quæ talem actionem interdiceret.

Mendacia opponerentur menti physicè ut nunc, deciperent proximum ut nunc, & in filio familias erga patrem essent injusta, quia patri teneretur dicere veritatem, utpotè summo jure subditus. An & ali homini; nescio cur.

1298 *Bella, seditiones, & lites essent; & non semper de iniquitate arguenda.* Qui bello justo hostem caperet posset occidere adeoque & inire contractum quo victor jure occidendi cederet, victus jure fugiendi & remaneret perpetuo servus. Sic servatus esset victoris servus & tametsi esset suæ vitæ dominus proprietarius, careret usufructuario sui dominio, id enim pertineret ad dominum, qui exceptâ vitâ posset de omnibus actionibus servi disponere. Hinc est, quod servus non posset se occidere, nec occidi; non occidi ex vi contractus, non se occidere, quia nec qui locat domum aut equum potest aut illam incendere aut istum occidere, tametsi sit directus dominus. deberet in rebus justis obedire, non posset ducere uxorem, fornicari, aut mollitiem committere sine licentiâ domini, cum illâ posset. Si illi præciperetur se occidere, posset, non tamen teneretur obedire. ratio est, quia cessaret omnis ratio ob quam se occidere non posset; non tamen teneretur, quia illud præceptum impingeret in servationis contractum. Si præciperetur occidere aliquam personam pleno jure domino suo subditam, deberet obedire, aliàs non. Non posset domino mentiri, nec ipso præcipientente furari, quia cum domino

domino omnes actiones ejus subsint, non posset sine injuriâ negare veritatem: nec deberet alteri nocere, quia nec ad hoc se obligavit, nec potuit cum fœdus securitatis vitæ inivit.

129) QUINTO, *Leges humanæ ferri: Communitates, & Respublicæ possent, quæ bene regerentur, institui.* Sed nexum vitæ communis non tam facili negotio explicabimus. Primò enim deberet dari hominum communem vitam agentium consensus seu contractus, sed unde ille securitatem & perennitatem haberet? Firmari juramento non posset; in tali enim hypothesi, nec juramenta essent nec perjuria. deberet ergò ad leges pœnales recurri; & pro transgressionis qualitate multam determinari, assignatâ etiam ultimâ sententiâ etiam in materia levi, si assentirentur universi. qui enim, se possent sine culpâ interimere, possent etiam acceptare legem quæ levi culpæ pœnam mortis imponeret. In vitæ communis contractu nec filij familias, nec servi haberent vocem. Patres familias possent quascumque leges statuere circa filiorum regimen, emancipationem, & modum adeundi hæreditatem; circa jus vitæ & mortis, circa matrimonia, fornicationem, & immundicias venereas; circa bonorum dominia; circa nobilitatem, famam, honorem, & authoritatem; circa furta & latrocinia; & circa mendacia, detractiones, calumnias: quæ quidem leges semel latæ & acceptatæ obligarent pœnaliter, & deberent absolutè servare; & nulla posset dici injusta, ni Respublicæ propriæ limites prætergressa aliam Rempublicam aut aliquem huic non subditum directè offenderet. Ratio est, quia quidquid tunc juxta legem fieret, si malum, humanitatis malum id esset: ergò vel contra aliquem contentum in contractu, vel contra non contentum. Primum dici non potest, quia potenti se directè occidere, scienti & volenti non potest fieri injuria. at si secundum dicatur, stat nostra positio.

1300) Peris. An in tali casu expediret ferri leges de religione; cultum divinum præcipere; Dei reverentiam commendare; præmia bonis promittere, pœnas transgressoribus perpetuas minitare? Respon-

suri sunt affirmativè omnes Gentiles veteres, qui prævio Deorum consilio dicuntur prima fundamenta rerum publicarum jecisse; sciebant enim se mentiri, & tamen Deorum revelationes, præmisiones, & minas nonnunquam, ut generosos animos ad virtutem & egregia facinora incenderent, ut dissolutos cohiberent & refranarent, vociferabantur. Vnde Marfilus Ficinus in Platonis Minoem chart. 1131. omnes Deos, quos antiqui legum Authores asseruerunt, recenset, & ait, *Legum-latores illustres omnes, legum inventionem in Deum, sed per diversa nomina reculerunt. Zoroastes, Bricianus Persique leges tradens in Horomasm, Trismegistus, Aegyptijs in Mercurium, Minos Cretenfisibus in Iovem, Charondas Carthaginensibus in Saturnum, Licurgus Lacedæmonijs in Apollinem, Draco & Solon Atheniensibus in Minervam, Pompilius Romanis in Ageriam, Mahometus Arabibus in Gabrielem, Zytmolxis Scabis in Vestam, Plato noster Magnesijs & Siculis in Iovem & Apollinem, Et in Plat. de Republ. dial. 7. chart. 1409. Leges à Iove Minos contemplando petijt, Scipio Iove Magistro ad Rempublicam accedebat, Numa Pompilius civitatem religiosi legibus gubernavit.* Quibus etiam subscribent Christiani omnes illi, qui falsis miraculis aut tyrannidem suam, aut ambitionem firmanant, & mentito numinis patrocinio securiorem reddunt.

HYPOTHESIS II.

Deum esse, non tamen cognosci.

1301) **S**uppono, id quod luce meridiana scariùs, videlicet Deum esse: suppono etiam dari homines, qui illum ignorent. Secundam hypotheseos partem non omnes judicant impossibilem: nam si tu, vir doctè, id scis, propter aliquas rationes scis; & si propter aliquas, ignorabit absolutè Deum, qui nullas equivalentes habeat, & has ignoret. *Exceptis paucis*, inquit Augustinus tract. 106. in Ioannem, *in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum hujus mundi fatetur Authorem.* Vnde posse dari invincibilem Dei ignorantiam quoad aliquod tempus saltem breve, ferè omnes

omnes Scholastici admittunt; at verò posse dari hominem bono judicio præditum, qui invincibiliter totâ vitâ atheus sit, pauci admittunt; paucioresque posse dari Rempublicam, quæ invincibiliter ignoret Deum. Sanè multas fuisse & quidem bene gubernatas, à quibus omnis Deorum cultus proscripuitur apud excellentissimos Authores videmus. Veteres Hispaniæ Scriptores Gallicos fuisse bellicosos, putasse hominem habere vitæ & mortis libertatem, nullam habuisse religionem, imò & in multis regionis montibus nullam Deorum notitiam scribunt. & ut veteres historias intermittam, hodie pertinax Hispanorum & Holandorum diligentia novis oceanis allapsâ incognitas insulas reperit, in quarum multis nulla divinitatis notitia.

1302) Statutâ igitur hac hypothesi (possibilis fit aut impossibilis; id enim examinabo uberiùs cum de Deo uno tractabo) existimo in hac secundâ danda esse peccata materialiter, non formaliter; ideòque si disputaretur de mortali peccato, illum rerum statum cum nostro, in quo vivimus absolutè coincidere; si de formali, coincidere cum primâ hypothesi: mores enim illorum, qui invincibiliter ignorant Deum, ventrent eodem prorsus modo ac si Deus non esset, judicandi. Esset tamen propter peccatum originale aliqua differentia; nam si Deus non esset nec peccatum originale esset, fortè nec animæ essent absolutè immortales; at si Deum esse, ignorari tamen supponamus, peccatum originale & immortalitatem animorum debemus necessariò supponere; non enim illud abluit, nec hanc proscribit invincibilis Dei ignorantia. Igitur si non daretur Deus, homo & canis eodem prorsus modo morerentur, aut saltem si post mortem animus humanus superviveret, non puniretur: at Deo ignorato mortui hominis animus, tametsi actuali peccato careret (nemo enim peccat ex insuperabili ignorantia) originali infectus deberet eadem condemnari sententiâ, quâ pueri in matrum visceribus oppressi damnantur.

1303) Si viro invincibiliter atheo leves proponeres rationes, ut Dei existentiam ostenderes; levis ipse esset, si propter leves

sententiam in re tanti momenti mutaret.

Dices. Atheus ille posset incipere dubitare, & dicere: vel datur Deus, vel non datur; si detur & non colam illum, ipse damnabit me; si non detur & tamen colam, nocere non poterit: præstat igitur in dubio Deum colere.

1304) Respondeo vix posse dari dubium circa hanc materiam. quia vel Deum cognoscis, vel non. Si cognoscis, rationes graves habes, ergò fieri non potest ut dubites; quia cum rationum gravitate dubium stare & componi non potest, quod si negativum sit omnem rationem, si positivum omnem gravem excludit. Si Deum non cognoscis, in atheismo instructus à majoribus es, quorum autoritas cum levis non sit cum dubio compati nō potest. Sed esto admittamus verum circa hanc materiam dubium, dico tunc standum esse pro possessione dictaminis (veri, aut invincibiliter erronei) nam dubia, non sunt prudentiæ regulæ nec debent aliquid mutare. unde invincibiliter atheus adhuc positâ notitiâ dubiâ maneret invincibiliter atheus, igitur teneretur inquirere veritatem; non tamen ante repertam Deum credere. Nec argumentum objectum alicujus est ponderis, nam eliditur isto. Vel datur Deus, vel non: si non, prudenter illum nego. Si datur ipse erit prudens & omnis tyrannidis incapax, ac propterea non præcipiet quod temerè illum credam. Et ad formam respondeo concedendo dilemma majoris; & minoris primam partem distinguo. Si detur, & non colam illum cognitum aut vincibiliter ignoratum, damnabit me, concedo: si non colam invincibiliter ignoratum damnabit me, nego. Aut dicito, nonne posset etiam hodie formari similis syllogismus à Petro. Vel dantur plures Di, vel non: si non, & tamen colam illos, non nocebunt: si dentur, & tamen eos non colam me damnabunt? & tamen certum est, hoc argumento, tametsi priori analogo, nihil convinci.

1305) Si viro habenti Dei demonstratam notitiam, qualem non habemus, proponerentur graves rationes, quæ viderentur divinitatem tollere, non posset adquietescere; quia tametsi ipsæ seorsim sumptæ essent probabiles

probabiles, demonstratione contrariâ ita eliduntur, ut probabilitatem nō habeant. Si autem proponerentur invincibiliter Atheo, posset prudenter Deum credere, quia probabiliter, esset tamen imprudens, si certum esse Deum dari ex antecedentibus incertis inferret. Putarem tamen teneri; si prudenter procedere vellet, & reddere suam salutem certam, debereq; Deum, probabiliter solum propositum credere, si simul & peccati originalis sine fide indelebilis probabilem notitiâ adquireret; at non video teneri sub peccato, contra quem enim peccaturus esset, qui probabiliter non dari Deum existimaret?

HYPOTHESIS III.

Cognosci quidem Deum existere, non tamen habere jubendi auctoritatem.

¹³⁰⁶ **H**Æc consequentia; *datur Deus: ergo qui leges ferre possit, est mihi necessaria; quia, ut judico, tota dominandi auctoritas nascitur ex productione physica vel morali, & Deus ex nihilo produxit nos. Sed & contingeret hominem aliter imbutum, hanc esse consecutionem necessariâ negare. posset igitur scire clarè dari Deum, & tamen ignorare invincibiliter deberi obediri isti Deo. Admissâ hypothese, prima etiam tabula materialiter veniret admittenda, & tamen nullum daretur crimen, nullumve peccatum formaliter. Considera resolutiones subsequentes.*

¹³⁰⁷ Prima. *Si per impossibile Deus non haberet auctoritatem præcipiendi, nullum esset formaliter peccatum. Corollarium. Ergo, qui eum tali auctoritate carere crediderit, crediturus consequenter est nullum dari peccatum.*

Secunda. *Qui Deum odio persequeretur, quique in eum blasphemias & convicia multiplicaret, qui esset perjurus, qui actus religionis omitteret & sacrilegia patraret, esset physice injurius Deo, non verò peccaret moraliter. Patet, quia omnes illi actus, qui recensentur, essent verè & realiter contra Deum, non tamen essent interdicti, atque adeo neque moraliter peccaminosi.*

Secundæ autem tabulæ articuli universi eodem prorsus obligarent, quo in primâ hypothese, in quâ sunt uberius explicati.

HYPOTHESIS IV.

Deum esse & ferendi leges potestatem habere, nesciri tamen aliquam de facto tulisse.

¹³⁰⁸ **S**pecta mihi de affectatione & fictione omnis ignoratio circa Deum; utrùm excusabiles sint Barbari, qui Deū ignorant, ipse scit, ipsi viderint, nostra non interest, tametsi illis, utpote proximis, omnem felicitatem in hac & in vitâ alterâ desideremus. Primò cognosci ut omnipotentem, quam ut Deum, admittunt universi, qui existimant, non nisi à posteriori, hoc est, ab effectibus Dei existentiam demonstrari. Semel admittensâ omnipotentiam admittendam jurisdictionem scio, sed admittensâ auctoritate præcipiendi esse necessariò ponenda præcepta non video. potuisset enim Deus illâ non uti potestate. Vnde igitur Sylvanus, nutritus inter barbaros, tametsi excellentissimo ingenio sit præditus, cognoscere poterit, An Deus leges tulerit, & quas? Hic degens in Lovaniensi Academia Philippum Magnum existere scio, suspicio, amo, veneror; posse Americis leges ferre ignorare non possum; tulisse conjector; & quasnam tulerit aut non tulerit prorsus ignoro; & tamen habeo & habui à quibus doceri, à quibus & discere possim. At inter quercus natus, mugitu boum exultus, rauco fluviorum murmuri aduetus, qui vel non vidit homines vel se doctiores nullos, si eo pertingat ut non solum dari rerum Authorem, sed & hominum dominum habentem jubendi auctoritatem noscat, unde eum leges tales aut tales tulisse discernet? Sane aut ignoraturus prorsus, aut miraculosè docendus.

¹³⁰⁹ His positis dicendum est primò. *Si per impossibile nihil Deus præcepisset, nullum peccatum esset. Secundò. Impossibile esse hominem peccare formaliter aut moraliter, qui sincere existimet nulla lege (affirmativa*

aut ne-

aut negativa) divinitus latâ teneri. Tertio. Posse hujuscemodi hominem peccata materialia & naturalia contra primam & secundam Decalogi tabulam (hoc est contra Deum & hominem) committere. Et constat ex his, quæ prima & secunda hypothesis uberius edisseruit.

HYPOTHESIS V.

Cognosci Deum esse hominum absolutissimum Legislatorem, dubitari tamen, an aliquid præceperit.

¹³¹⁰ **H**Æc positio nova non est, aut si nova analogia multis antiquis. Deum furta interdixisse scimus; ubi sit autem prima ponenda quantitas, quam graviter ipse interdixit, dubitamus. unde nihil speciale in hac hypothese reperio, quod in casu furti posito aut multis illis similibus non reperiamus; aut siquid, solam dubij latitudinem, quia qui dubitat, An Deus aliquod præceptum tradiderit, dubitat de materiâ latissimâ. Dico igitur in omni dubio standum pro libertate quæ creditur esse in possessione. Igitur qui dubitaret, An darentur divina præcepta præter examinandi & interrogandi obligationem, quam omne dubium infert, nullam haberet aliam, quam qui juxta Hypothesin I V. absolute nesciret.

HYPOTHESIS VI.

Credi probabiliter Deum nihil jussisse.

¹³¹¹ **M**agna hoc ævo imperitorum copia viris doctis insultat, quod invenerit opiniones benignas, & per seculissimas probabilitatis semitas homines ad cælum conducant. Nescio quis Anonymus contra Iesuitas virus evomit, & tandem concludit ab hujuscemodi Scriptorum industriâ expectari, ut tandem aliquando totus Decalogus evadat in sententias probabiles. Sanè hoc non expectamus, multa enim in Decalogo tam certa & clara, ut in controversiam probabilem venire non possint: multa sunt fide sancta: multa demonstratione firma.

Sed esto hoc posset fieri: quid mali? quid homo perderet, si esset in tali conditionis statu, in quo mereri magna incrementa gratiæ posset, peccare non posset? existimo Anonymum illum calcasse ingenium tam stolidam periodum scripturus. Nulli probabilitas opinionum nocere poterit. Si res, de qua agitur, necessaria sit necessitate præcepti, ad materiam liberam impulsu probabilitatis reducitur: si de necessitate mediij, vitæ tempore urgere non potest, & in mortis articulo remissius obligat, quàm si cognosceretur evidenter. & ut terminos Decalogi non prætergrediar, si latum esse constaret solum probabiliter, probabiliter solum obstringeret, possemusque aut obedire aut non obedire pro arbitrij libertate. At peccata materialia, quæ à rebus ipsis & non ab opinione pendent, essent eadem quæ nunc, carerent tamen malitiâ moralis, quæ esse nequit, ubi obligatio non cognoscitur.

QUESTIO INCIDENTIS.

¹³¹² **P**ro hujus disputationis resolutione penitentiore, placuit unum actum examinare, quo Scoticos nonnunquam torfi. Dicat Petrus, *Si Deus mihi præceperet audire missam, non obedirem.* Et inquiris, An in hypothesebus præmissis deberet argui de peccato mortali?

¹³¹³ Sanè, si PRIMAM supponamus, ipsum esse peccatum non video, quia contra quem esset? Ergò dicendum omninò est, hunc actum pro tali rerum statu indifferentem esse, ac propterea non esse peccatum.

¹³¹⁴ Si SECUNDAM placeret supponere, video multos existimare Petrum mortaliter peccatum, sed rationis pondus me non premit; quia non est strictius lege devinciendus qui legem ignorat, quàm qui scit, & adhuc eam cognoscens poterit excusari ut videbimus. Cur invincibiliter Atheus deberet mortaliter peccare dicens, *Si Deus mihi præceperet audire missam, non audirem?* An non crederet primò esse impossibilem dari Deum, secundò posset credere posito per impossibile Deo, adhuc esse impossibile eum

habere auctoritatem obligandi. An & ego hodie peccarem si dicerem, *Non obedirem meo cani, si esset Deus?* verè videor potius nugari quàm discurrere, cum canem suppono fieri Deum, & Petrus similiter cum chimæram impossibilem (talem Deum concipit) supponit existere. Severiùs & strictius loqueretur, si diceret *Si daretur Deus, & ipse haberet leges ferendi auctoritatem, & mihi aliquid præciperet, non obedirem.* His enim verbis omne effugium videtur præcludi, & existimo hunc non peccare formaliter, sed objectivè, & hoc non quidem absolute, sed conditionaliter; hic enim assensus est circa materiam, quæ esset interdicta; at verò actus ipse aut non esse interdictus supponitur, aut saltem non cognosci interdictio.

1315 Si ad TERTIAM hypothèsin recurras, hic actus, *Si Deus hoc mihi præcipiat, non obediam,* malus non est; supponitur enim Deus non habere jurisdictionem in homines, nec eos posse præceptis aut legibus obstringere. Si autem iterum conditionem negatam in hypothèsi conditionaliter resumamus dicens *Si Deus indiceret mihi jejunium, tamen si haberet præcipiendi & obligandi potestatem, non jejunarem,* videreris quodammodo Deo, quem esse fateris, obversari; non tamen peccares mortaliter, quia non violares legem, cum hanc impossibilem esse supponas.

1316 Sed ad QUARTAM veniamus; & quia si per impossibile Deus nihil juberet, nullum futurum fuisse peccatum à Scotiis doctè defenditur, an ille conditionatus actus Petri hanc universalem positionem enervet, placet severè examinare.

1327 *Sic arguo.* Ante omne præceptum intelligitur mortale peccatum: falsò ergò assumitur nullum futurum fuisse, si per impossibile nil præcepisset Deus. *Probat* *antecedens.* Si Petrus dicat, *Si nunc mihi Deus aliquid juberet non obedirem,* peccaret, aut non alterutrum dicatur, militat contra conclusionem: ergò. NAM si peccare diceretur, arguerem sic. Petrus dicens illa verba, peccaret: & tamen Petrus sic loquitur ante omne præceptum Dei. ergò ante omne Dei præceptum da-

tur peccatum. non igitur ratio peccati, à præcepto divino, sed à ratione aliquâ præcepto antiquiore & magis necessariâ desumitur. ergò ab ipsa extremorum oppositione. SI AVTEM diceretur non peccare, urgerem sic. Vel Petrus habet obligationem obediendi Deo vel non habet: si habet, peccat dicens, *Si Deus mihi aliquid præciperet, non facerem,* non secus ac Religiosus si diceret, *Si nunc meus mihi Prælati silentium legitime indiceret, non obedirem,* & adolescens, qui diceret, *Si haberem modum lucrandi uxorem Pauli libenter adulterium committerem.* Si non habet obligationem obediendi Deo, nec tenebitur obedire cum de facto Deus illi præcipit, quia invalida sunt præcepta imposita non habenti obligationem obediendi; ut si Magnus Persarum Sophus mihi præciperet adire forum, non enim præcepto obstringeretur, quia ante præceptum respectu illius non habebam obligationem obediendi.

1318 Ut igitur respondeas doctrinam superioris positam resume & dicito dari tria peccatorum genera; objectiva, materialia, formalia. Peccata primi generis respiciunt objectum interdictum, & tamen ipsa, illa lege interdicta directè non sunt. at secundi generis sunt interdicta, non tamen interdicta sciuntur: tertij tandem generis committuntur certâ scientiâ & libero peccantis consensu. Exemplis universa illustremus. Scis homicidium esse interdictum divinitus, & tamen hominè occidis, & committis formale homicidij peccatum. Cæterum si legem invincibiliter ignoras & tamen occidis, peccas materialiter, non formaliter, hoc est, ponis materiam lege ipsâ interdictam, non tamen sub formâ quâ interdicatur, quia non scienter. Tandem volens incurrere excommunicationem formaliter excommunicatus non est; nec sacrilegus qui vult sacrilegium committere; nec mendax qui vult mentiri; nec qui vult occidere homicida: ac per consequens nec qui vult non obedire inobediens. attamen omnes isti actus mali sunt malitiâ resultante ab objecto, & pertinent ad objecti præceptum, & possent entitativè interdici, & tunc entitas ipsorum mala esset malitiâ

malitiâ novâ ab interdictione desumptâ. Dicendum est igitur ante omne præceptum nullum dari peccatum, quia actus mali-objectivè, sunt post præceptum objectivum, mali verò formaliter sunt post præceptum formale. Vnde ille actus, de quo agimus, esset malus objectivè & non formaliter, & eò sensu, quo peccaminosus & malus, esset præcepto posterior. Nam cum Petrus, *Si Deus mihi juberet,* inquit, *non obedirem,* prius ponit objectivè præceptum, quam ponat inobedientiam objectivam. Cæterum in eodem actu formalis inobedientia non involvitur, quia ante omne formale præceptum, nec ille inhibetur, nec actus contrarius præcipitur.

1319 Hinc ad argumentum respondeas. *Nega* *primum* antecedens, non enim ante præceptum intelligi potest peccatum. Ad probationem dicas Petrum illa verba pronuntiantem peccaturum esse, non quidem peccato materiali, neque formali, sed objectivo, illumque actum fore malum, non materialiter, nec formaliter, sed solum malitiâ objectivâ. Ad impugnationem responde argumentorem agere de peccato formali, & te de objectivo, adeoque singulas debere positiones distingui. *Dicit* *Petrus* peccare objectivè & hoc prima impugnatione non dissuadet. Nam majorem distinguis. Petrum dicentem illa verba

peccare; objectivè, concedis; formaliter negas. Et distinguis similiter minorem. Eundem sic loqui ante omne præceptum; objectivè positum, negas; formaliter positum, concedis. & negas illatam consequentiam. *Addis* Petrum non peccare formaliter; & ad impugnationem dicit Petrum verè habere obligationem obediendi Deo, & hanc à vitæ initio tamen si Deus nihil juberet. Intuli, ergò peccaret eodem modo quo Religiosus qui diceret, *Si meus mihi Prælati silentium legitime indiceret, non obedirem.* & respondes peccaturum fuisse Petrum contra Deum eodem prorsus modo, quo ille Religiosus contra Prælatum; cui esset inobediens objectivè non formaliter, quia ille actus non erat à Prælato interdictus, esset tamen aliunde differentia, quia ille actus Religiosi præter inobedientiam objectivam, quæ Prælatum respiceret, indueret aliam formalem inobedientiam contra quartum & secundum Decalogi præceptum jam formaliter positum, quorum prius obedire Superioribus præcipit, & alterum reddere vota alij; at verò præcindendo ab isto respectu, quem actus illius Religiosi diceret ad legem divinam, consideratur prout Prælatum unum concernit, solum esset objectivè inobediens, & per omnia similis actus illi Petri cujus gratia omnia ista sunt dicta.



LIBER III.

DE CONSCIENTIÆ DICTAMINE

SEV TABVLIS LEGIS DIVINÆ.

PROOEMIUM.

Conscientia definita, diuisa; membra etiam diuisa exposita.



V sapientia à scientia, sic synderesis à cōscientia distinguitur. *Sapientia* est intellectus speculativus (fortè naturales habitus ab ipso intellectu indistincti)

prout prima principia contemplatur; *Scientia* est idem intellectus prout contemplatur conclusiones ex principijs necessarijs deductas. Et analogiã servatã definitio *Synderesis* intellectum practicum, quã considerantem primas easque generalissimas veritates morales. Quales sunt, Deo est obediendum; Bonum est amandum, Malum est fugiendum; *Conscientiam* autem definitio esse eundem numero intellectum, quã considerantem conclusiones particulares ex his generalibus principijs deductas. Dicitur *Conscientia*, quasi Cordis-scientia, vel quasi Comes-scientia. Bernardus Meditationum capite XIII. *Quocumque vado conscientia mea mecum est, secum portans quidquid in ea posui, sive bonum, sive malum. Servat vivo, restituet defuncto depositum, quod servandum accepit.*

1321 Omnium inscripta cordibus conscientijsque lex naturalis, non necessitate naturæ, nulli enim Divinitas subdita, sed beneficio Conditoris. Sed tamen Dei digito ubique ipsissimo, non ubiq; æquali claritate expressa. Sunt enim mentes magis & minus aptæ, sunt voluntates magis & minus diligentes, adeoque corda ho-

minum diversimode divinos characteres excipiunt. Hæc diversitas trës dictaminis species peperit; datur enim dictamen Bonum, Malum, Indifferens. Indifferentia in dubio negativo consistit, Bonitatem in conscientia timida, Probabili, Evidenti, & Fideli reperies. Dedi nomina, addam definitiones.

Dubij nomine purè negativum intellige, quando quis hæret, & quid debeat facere omnino ignorantia nulla ratio pro alterutra parte contradictionis occurrit. Conscientia igitur negativè dubitans definiri poterit, *omnis rationis experta*. Vbi enim vel minima ratio occurrit, dubium negativum proscribitur. Hanc conscientiam *Indifferentem* dixi, quòd nullatenus conducere possit ad resolutionem habendam, ita enim se habet ac si non esset.

Si dubio merè negativo melancholia accedat, Conscientia timida constituetur quæ & doctrinã & pharmacis indiget; illis quã dubitans, istis quã ægra, interim quia timida, utilis est. nam dum in partem severiorem inclinat, ni discretionis terminos prætereat, virtutes fovet, & pericula peccandi proscribit.

1322 Scrupulosa conscientia est, *quæ iudicaturã, instruitur ratione levi*. Multi hanc *Dubiam-positivè* nominant, & à *Dubiam-negativè* distinguunt, ita ut negativè dubius dicendus sit, cui nulla ratio aut gravis aut levis occurrit; & positivè dubius, cui occurrit aliqua levis, nulla gravis. SÆPE videas scrupulis melancholiam adsc-

ad crescere, & hominem morbo duplici spiritali & corporeo vexari, nec facile curari à primo, quin à secundo liberetur. Interim etiam hæc conscientia bona & utilis, expedit enim ita horrere peccandi discrimina, ut & levia timeamus & fugiamus. bona inquam quamdiu in superbam non evadit. cum enim superbã inficitur (sed heu, quia rarò non inficitur) est absolute pernitiosa.

Probabilis conscientia, *quæ graves rationes habet ut propositam quæstionem resolvat*. Hanc aliqui *Dubiam-probabiliter* vocitant, ut ab Erroneã, Evidenti, & Fideli, quibuscum nullum comparatur dubium, distinguant.

Evidens dicitur, *quæ omnem Formidinem excludit, principijs per se notis insistentis*. Quam pauca sint humanæ evidentia, &

quam fallibiles ipsæ, inferiùs clarissime ostendetur.

Conscientiam fidelem seu religiosam dicimus, *quæ habet certitudinem Fidei*. & hæc etiam omnem formidinem excludit. ubi admonebo obiter dari multa quæ cum sint de fide probabiliter, formidinem probabiliter excludunt; nimirum ex hypothesi quod sint de fide. talis est, ut alia præteream, thesis illa quæ asserit Mundum septem diebus naturalibus conditum, Augustinus enim probabiliter hos dies ad instantia discretasque Angelorum cognitiones reducit.

Bonæ conscientia mala opponitur, & quia ipsa suos habet bonitatis gradus, oportebit considerare oppositos gradus malitiæ. nam

CONSCIENTIÆ

DUBIÆ { Negativè
 { Positivè
 { Timidæ
 { Scrupulosæ
PROBABI
CERTÆ { Moraliter
 { Physicè
 { De fide.

[Hi conscientia gradus semper sunt boni.]

Sed & dari solent dictamina confusa & ex præcedentibus mixta.

OPPONITVR.

Nulla.
Nulla.
Audax, pusillanimis.
Temeraria, superba.
Improbabilis.
Moraliter } Erronea.
Physicè }
Heretica.

[Isti semper sunt mali.]

Dixi Dubiæ-negativè nullam conscientia opponi, hæc enim hæsitabunda est, & in nullum contradictionis terminum inclinans. videtur abstractorum naturam sapere; Animal enim ut sic nec opponitur rationali nec irrationali, & dubium negativum nec errori nec scientiæ. si conscientia dubia subjecto accidentium contrariorum comparatur, stabit similitudo, nam sicut ligno accrescit calor aut frigus, sic & dubio scientia aut error: & tamen, sicut nec calori nec frigori lignum opponitur, sic nec scientiæ nec errori dubium. Lignu accedente alterutra qualitate nil positivum sed solam privationem perdit, accedente scientia aut ex-

rore nil positivum intellectus dubius, sed solam certitudinis aut erroris privationem amittit.

Timidæ Audax opposita, & utraque in morbo consistit. Melancholia tristitiaque sæpe timorem, nonnumquam audaciam, imò & contemptum aut desperationem pro materia quantitate parturiunt.

Scrupulosæ Temeraria opponitur. Illa cauta, ab opere abstinet quòd vel levi conjecturã apparet illicitum: hæc arrogans & præceps cum vel levissimã ratione excusari se iudicat, illicitas actiones committit.

1324 Probabili contraria Improbabilis, & magnã

magnâ differentiâ à Non-probabili, Audaci, & Temerariâ distinguitur. nam Non-probabilis est illa quæ probabili ratione caret, vel quòd nullam habeat, vel nullam robustam. Si nullam omnino, conscientia taliter non-probabilis, à dubiâ negativè non differt; aut saltem ab audaci, si aliqualis accidat præsumptio, aut desperatio ex melancholiâ aut mærore suborta, si habeat rationes aliquas, sed nullam gravem, temeraria est. Cum autem aliud sit te non videre rationes esse probabiles, aliud & omnino diversum, se videre non esse probabiles. temerariam dicam, conscientiam illam, quæ operatur ubi probabilitatem non videt; improba-

bilem, quæ etiam ubi videt non esse probabilitatem.

Erronea contra evidentem militat; ubi enim altera contradictionis pars est evidens, altera sine errore defendi non potest.

Hæretica contra assertum fidei. nam circa objectum, de quo nihil revelatum, hæresis versari non potest.

Hæ sunt humanae Tabulæ, in quibus Lex divina scribitur: quæ, quia diversimode affectæ, diversimode divinos characteres imbibunt. Hæ secundum quas homines venient judicandi: ne igitur ignoremus prima fundamenta iudicii, easdem calamo secundo resumamus.

C A P V T I.

De Conscientiâ dubiâ.

DISPUT. I.

De dubio operationi prævio.

NEMO tenetur morales obligationes, quæ sibi non incumbunt, cognoscere: non enim tenetur rusticus percallere obligationes regias, quia conditionem suam superant, & possunt sine periculo ignorari. At obligationes officij omnino cognoscendæ; non enim invincibiliter nescius, qui illud admittit, & obligationes adnexas non examinat. Nam officia qualitates sunt practicæ, & nemo ignorare potest, quòd ipsa aliquam agendi & operandi obligationem semel admissa inducant. Sunt igitur Resolutiones.

P R I M A.

QUæsi dubitat, An quadragesimæ dominicis possint commodi lacticia, & tamen non vult ea comedere, non tenetur, aut dubium deponere, aut doctiores consulere. Ratio est; quia si tenetur, directe, aut indirecte, hoc est, præcepto hanc illi scientiam indicente, aut indicente aliud quod requirit necessariò istam scientiam: atqui neutrum potest dici: ergò. Probatur minor, & prius quoad priorem partem:

tem: Quia nec in Decalogo Dei, nec in Pentateuco Ecclesiæ, nec in alijs tabulis authenticis & obligatorijs tale præceptum reperitur. Et quoad posteriorem probatur eadem minor; quia in tali rerum hypothesi scientia huiusmodi necessaria non est, adeoque nec præcepta indirecte, nulla enim actio directe præcepta reperitur, quæ hac scientia indigeat, cum quis vult omnino à lacticijs abstinere: unde qui semper jejunaret, semper sacrum audiret, numquam operaretur, non teneretur Ecclesiasticos fastos, vigiliis, aut solemnitates disquirere.

S E C V N D A.

Idem homo non poterit comedere lacticia illis diebus, quin fecerit diligentius humanitatis sufficientes ad inveniendam veritatem. puta, interrogando, examinando, disquirendo. Patet; quia, qui non vult scire veritatem quâ indiget, sponte se exponit errandi periculo, ac propterea in illo periturus est. Consulto illud, quâ indiget, addidi, ut iterum lectorem monerem multa inutiliter sciri, multa utiliter ignorari; nemo enim tenetur habere notitiam, quâ non æget.

T E R T I A.

FACTIS debitis diligentijs (hoc est, ordinarijs, extraordinarias enim nemo tenetur ex vi ordinariæ legis facere) si adhuc dubium merè negativum (imò & si timor aut scrupulus) maneat, standum est pro possessione quæ fuerat ante dubium: Hæc Resolutio securissima est, fundaturque in illo juris principio *In ambiguis, beatus qui possidet.* & probatur clarissimè. Operationes morales sunt magni momenti, illis enim homo solet perdere, solet lucrari totum Deum. ergò debent dirigi regulâ prudenti & gravi: atqui dictamen dubiû & anceps nec regula est, nec cognitio gravis nec prudens: ergò. Non esse regulam patet; quia hæc debet esse determinata, & quoadmodo prædeterminare indifferentem voluntatem, quod præstare non poterit si anceps & indeterminatum dictamen sit. Non esse cognitionem gravem suadetur, quia est levior scrupulo qui in

ratione levi fundatur. Et tandem non esse notitiam prudentem colligitur; imò prudentis enim qui levis corde, levilque qui dubitat, qui scrupulizat, nam hic leviter impellitur & adquiescit, ille nequidem leviter, & tamen actione ineptissima ex nullo antecedenti præmissio conclusionem creat.

Hanc regulam, *In dubio melior est conditio possidentis*, in materia iustitiæ, non tamen in materia aliarum virtutum admittunt apud Dianam Vasquez, Antonium Perez, Salas, Turrianus, Azorius, Comitulus, Sayrus. cæterum in omni materia habere locum sentio cum Suariò, Sanchez, Coninck, Henriquez, Fillucio, Joanne Sancio, Villalobos, Sanctarello, Tannero, Maldero, Merollâ, Castro Palao. Loca dabit Diana, part. 4. tract. 3. Resolut. 2. & ipsi alios etiam Authores. Vtramque partem æquè probabilem existimat citatus Diana, & miratur Suarium *In 3. part. tom. 5. disp. 40. sect. 5. nu. 18.* asseruisse falsum omnino & sine fundamento esse, possessionem in solâ materiâ iustitiæ suffragari. Sed si rem bene examinem mihi Suarius non displicet, non enim video, cur debeat illa Regula morum limitari; & ut rem fatear, opinio limitans, quæ ratione Authorum ab extrinseco probabilis est, ab intrinseco falsâ mihi & fundamento destituta videtur; est enim me iudice error in Ethicâ humanos mores Regulâ imprudenti & indeterminatâ gubernare. igitur dictamen dubium (sit physicè quale volueris) moraliter est nullum, adeoque virtualiter non est, hoc est, ita se habet, ac si verè in rerum naturâ non esset. Ergò cum dubitare incipis; abstrahe dubium, & ipsas dubitanda rationes leves (graves cum dubio nullatenus componi possunt) abstrahe, & reliquis stantibus ut antea ad morale iudicium accede. Nos enim hac certissimâ opinione præoccupati multas quæstiones difficiles, summâ facilitate, summâ doctrinæ consequentiâ solvemus.

COROLLARIUM I.

Dubitans, utrum casus sit reservatus, potest penitentem absolvere. Ita Diana ubi supra Resolutione IV. citans pro

se Sa, Ochagaviam, Hurtadum, Homobonum, Filliucium, Suarez, Portel. Ratio est; quia cum dubium non sit morum regula, operaturus debet ab eo præscindere & supponere tale dubium non esse: ergo & supponere non esse reservatum.

COROLLARIUM II.

¹³³¹ **S**ciens casum fuisse reservatum, dubitans verò, an possit absolvere, tenetur non absolvere. Dubitat, an possit absolvere, quia dubitat, an Prælati revocaverit reservationem, aut an dederit absolventi licentiam, & tunc quia standum est pro possessione quæ erat ante dubium, standum est pro reservatione quæ erat certa, contra revocationem, aut dispensationem, dubias.

¹³³² Sanchez *In Summa tom. 1. lib. 1. c. 10. num. 74.* limitat utriusque Corollarij doctrinam; non enim primum admittit, ubi est præsumptio fori externi. Nam hæresis, verbi gratiâ, si externa & interna simul, reservatur; præsumenda est reservata in omni dubio; nam si ad tuos pedes provolvatur, qui certò sciat se linguâ hæresin pronuntiasse, & dubitet an mente consenserit, non poterit absolvi, nam in tali casu, ut existimat, censenda est reservata; quia cum verba sint naturaliter signa intentionis, & nullus præsumatur dicere quod in corde non habet, nec aliter quam in eo habet, præsumptio est & possessio in hoc dubio, ut hæresis illa processerit exterius ex vero consensu interiori in illam. Sic Sanchez.

¹³³³ Sed multa sunt, quæ displicent in Sanchezij discursu. Hæresin purè internam non posse reservari certum mihi est, actus purè internos ab humano iudicio eximentis posse reservari purè externam ob eandem rationem etiam certum, at actus ille nimirum, hæresis interiùs asserta & exterius prolata, mixtus est, partim internus partim externus, & qui possit subesse iudici, qui purè externa examinat, vix possum capere, aut supponerem Ecclesiam de occultis iudicare directè, aut dicerem illam circumstantiam interni consensûs ad reservationem non conducere formaliter; aut reservatores processisse prudenter ex sententia probabilis, contra quos militare potest probabilior. Consultò

illud formaliter apposui, teneo enim posse in reservatione dari rationem sine quâ non, liberæ enim reformationes sunt, & possunt ita limitari, ut iudex v. g. non intendat omnem hæresin exteriorem, sed illam solam, quam comitetur interior, reservare. & tunc interior hæresis non dicitur reservata, sed esse rationem sine quâ non, reservatur exterior.

Hæc de ipsa hypothesi. Sed illâ admittensâ videtur omninò tolli casus, qui quaritur. hæc enim consequentia, *Protuli exteriùs, ergò consensu interiùs*, cum Metaphysicè necessaria & evidens non sit, multæ enim hæreses dictantur, leguntur, pronuntiantur sine interno consensu, superest ut leviter aut graviter ab antecedente inferatur. Alterutrum dicas, dubium purè negativum proscribis, id enim nec levem nec gravem rationem compatitur. Si consequentia leviter inferatur, leviter admittetur. ergò quia in pœnitentiæ tribunali gravissimo, non est leviter procedendum, illa consequentia leviter illata admittenda non est, & si non admittatur, remanet debere ceteri illam hæresin labio mero prolata sine interno consensu, adeoque reservationi non obnoxiam. Si consequentia graviter inferatur (consideratâ hominis fragilitate & consuetudine posset inferri graviter) erit quidem probabilis & libera, nam si probabile est fuisse cum hæresis prolata consensum, etiam erit probabile non fuisse, adeoque ille casus erit probabiliter reservatus & probabiliter non reservatus. ac per consequens non pertinebit ad præsentem materiam, in qua non quidem de probabili, sed de dubia conscientia disputamus. A r

QUIA in curiolam difficultatem incidimus, tamen ad probabilem conscientiam pertineat, ne dicta iterum inferri resumamus, inquiram, qui debeat Confessarius, qui Pœnitens procedere, cum reservatio est merè probabilis?

¹³³⁵ Sentio primò Confessarium posse talem pœnitentem absolvere, licite & valide. Licite quidem, quia probabilitas licitas operationes facit; valide, tum quia in communi sententiâ absolutiones à vero Sacerdote, qui tamen habeat probabilem auctoritatem, sunt validæ; tum denique, quia

quia semper intermiscetur aliquod veniale peccatum, & qui probabiliter absolvit a mortali, habet certam auctoritatem absolvendi directè à veniali, adeoque absolvit à mortali directè, si opinio sit vera; aut saltem si sit falsa, indirectè. Consono Merolla *in disput. Theol. tom. 1. disp. 3. cap. 3. dub. 2. corollar. 23. n. 370.* ubi dicit, quod cum reservatio sit odiosa, debet restringi ad certam.

¹³³⁶ At quia opinio probabilis neminem necessitat, dubitari posset, an talis Confessarius posset negare absolutionem subscribens alteri probabilitatis parti? Sanè non absolvi condemnari est, & in iudicio non nisi plene convicti condemnantur; ergò certius videtur Confessarium in tali casu, non solum posse, sed & debere pœnitentem absolvere. Accedit, quòd sit invidia actus negare adstantiam proximo graviter laboranti, si sine damno possumus, aut indemnes reddamur. atqui existens in peccati mortalis statu graviter laborat, & Confessarius sine damno potest illi absolutionem concedere (nam si contrarium probabiliter sentiat, potest mutare probabile dictamen sine periculo aut iacturâ) ergò invidia peccatum committeret, si absolutionem negaret. Dixi videri certius Confessarium teneri in tali casu absolutionem concedere, non tamen esse omninò certum, scio enim has instantias tamen fortes, non esse indissolubiles; nam & Authores dubitant, an ille quem esse plene convictum est probabile, damnari possit, & posse probabile est, & etiam certum est non posse quempiam sine damno mutare dictamen, omnis enim mutatio est argumentum levitatis, & non servatur indemnis qui notam levitatis incurrit.

¹³³⁷ Hic obiter notandum; talem posse esse præsumptionem contra eum qui illâ hæresin protulit, ut videatur esse certitudo moralis; puta, si ex prava hominis consuetudine & illiberali educatione constet, eum semper-moraliter (hoc est, ferè-semper) cum talia profert, habere interiorem consensum. & in tali inquam hypothesi, si est verum dicere, *Non jam dubium aut probabile, sed moraliter certum esse Petrum habuisse consensum interiorem in*

hæresin illam, quam protulit, fore etiam verum, Peccatum illud esse reservatum.

COROLLARIUM III.

¹³³⁸ **Q**ui certò scit se emisisse verbis votum aliquod (castitatis, exempli gratiâ) dubitat tamen positivè aut negativè, aut forte timet vel scrupulizat, an habuerit intentionem obligandi se, voto illo non obstringitur. Ex dictis patet, qualiter verba inferant præsumptionem; hæc enim consequentia, *Emisit verbis, ergò animo*, tamen in foro exteriori potentissima fit, in interiori non semper concludit & vincit. Nam si illatio, consideratâ hominis qualitate, videatur certa moraliter, tunc non est ille dicendus dubitare, timere, scrupulizare, sed certò scire; & tollitur quæstio, qui enim certò scit se vovisse cum animo se obligandi, certò scit se teneri. Si eadem illatio prudentem estimatione sit probabilis, eum voto illo obstringi, & non obstringi, probabile erit. Cæterum, si illatio sit minus quam probabilis (hoc est scrupulosa, timida, dubia positivè aut negativè) dubium erit, an detur verum votum (verba sine animo obligandi vota vera & obligatoria non sunt) ergò, quia hoc votum dubium non potest esse morum regula, debet à quæstione præcidi, & supponi non esse: atqui eo præciso manet in possessione libertas: ergò qui taliter votum emisit, non emisisse votum validum, adeoque nec teneri castitatis voto censendus. Ita Alphonsus de Leone *tract. de potest. Confess. part. 1. recollect. 17. concl. 8. num. 93.* citans pro se Rebelleum p. 1. lib. 2. quæst. 14.

Obijcit tamen Diana, Primò Rebelleum nec hinc nec alibi hanc sententiam tenere. Secundo, sibi non placere, nam quando aliquis est certus de voto & dubitat an habuerit animum se obligandi, tunc possessio non est pro libertate voluntatis, sed pro voto, ut post alios docet etiam Merolla.

SED ad primum respondeo non vacare mihi, ut recognoscam Rebelleum, adeoque utri ille sententiæ faveat, ipsi viderint. Ad secundum fateor possessionem stare pro voto quâ purè vocali præciso ab intentione, nego illam stare pro voto ve-

ro & obligatorio; quia verba sine animo verum & obligatorium votum non constituunt: adeoque nihil esse quod militet contra libertatem.

Cum Sanchez in *Summ. tom. 1. lib. 4. cap. 40. num. 26. & cap. 44. num. 3.* admittit eum voto teneri, recurrit ad præsumptionem; talem ergo, quæ certo intentionem inferat, alias enim non effectur ad præsumptionem recurreret: ergo militat etiam pro nobis; nam si talis sit præsumptio, ut hæc assertio, *Emisit votum verbis, ergo & animo, sit moraliter certa, cessat dubium, adeoque etiam questio.*

COROLLARIUM IV.

¹³³⁹ **Q**ui dubitat, an votum emisit, non tenetur illud implere. Ita Malderus, Villalobos, Faustus, Laymanus, Sanchez, Suarez, Rebellius, Reginaldus, Henriquez, Filiucius, Avila, Agundez, Alvarez, Medina, quos citat & sequitur Diana *part. 4. tract. 3. resol. 10.* Ratio est eadem, quia præscindendo à voto dubio, manet in possessione libertas.

COROLLARIUM V.

Qui scit certo se emisisse votum Religionis, dubitat tamen an poterit ingredi hanc vel illam determinatè, tenetur Religionem quidem ingredi, non verò aliquam determinatè.

COROLLARIUM VI. Qui certo scit se emisisse votum ingrediendi unam è duabus religionibus, nescit verò utram promiserit, non solum tenetur religionem ingredi, sed unam ex illis duabus, non tamen tenetur ingredi alterutram determinatè.

COROLLARIUM VII. Qui scit se emisisse votum castitatis, & dubitat, an virginæ aut conjugatæ, debet servare castitatem, & tamen satisfacit si alterutram.

COROLLARIUM VIII. Qui certo scit se votum castitatis, & dubitat an in perpetuum aut ad tempus, tenetur illam servare, non tamen tenetur in perpetuum.

COROLLARIUM IX. Qui scit se votum ingredi religionem, dubitatque an stabilitatem etiam poterit satisfacere quidem si ingrediatur, non tamen remanere tenetur. [Imò, si rem bene consideres, nec tene-

bitur ingredi; nam stando communibus hominum moribus, melius esset non ingredi, quàm ingredi cum animo egrediendi; quod etiam in meo Commentario olim tenui.]

COROLLARIUM X. Qui vovit se lecturum rosarium, & dubitat an parvum vel magnum, debet rosarium legere, non tamen debet magnum, sed alterutrum. [Omnia sunt parallela, & eidem fundamento innituntur, quia in omnibus pro possessione stamus. Admittuntur à Diana *part. 4. tract. 3. resol. 10.* & apud eum ab utroque Sancio, Petro Corneio, Navarro, Suario, & alijs.

COROLLARIUM XI.

¹³⁴⁰ **Q**ui certo scit se vovisse, dubitat tamen an libere, non tenetur servare votum.

Casus est possibilis; & primò, ratione ætatis; puta, si in tenera emisit. Secundò, ratione perturbationis, ut si in procella aut morbo, in talibus enim miseris viri pusillanimes turbari & perturbari solent. Ratio resolutionis est eadem, & casus similis illi, quem Corollario III. proposui, quia votum sine libertate, non est obligatorium, & tamen si possessio stet pro voto verbis emisso, non stat pro voto emisso liberè, adeoque nec pro voto obligatorio & verò. Ita Sotus, Ludovicus Baja, & alij apud Sanchez *tom. 1. de matrim. lib. 1. disp. 9. n. 12. in 4. arg.*

Sed quia sæpe contingit in dubio dari magis & minus, inquiris, An qui non omninò dubitat, sed magis in eam partem inclinatur, ut votum emisit, vel si se illud emisisse certo sciat, & tamen in eam partem magis inclinatur, ut existimet se liberè illud & validè emisisse, teneatur illud adimplere? Et ego noto illud magis, & dico primò casum repugnare, si agatur de dubio negativo, esse tamen possibilem si de timore, scrupulo, aut dubio positivo. Et teneo contra timorem & scrupulum standum pro libertate, quia nec corporis morbida affectio, nec ratio levis debet esse morum regula: ergo si te tuus morbus torqueat & timore inficiat, aut scrupulus vexet in levi ratione fundatus, sta pro tua libertatis possessione subscribens Garcia, Lorca, Fernandez, Layma-

Laymano, Castro Palao, Sanchez, Vasquez, Salas, quos citat & sequitur Diana *part. 4. tract. 3. resol. 12.* Et hæc dicta sint, si illud magis levem aliquam rationem importet. hoc est, si pro neutra parte occurrat ratio gravis, & tamen illa quæ tibi favet sit levior, quæ obstringit minus levis, levis tamen. Si autem illud magis aliquam gravem rationem afficiat, dubium omne proscibitur, & gignitur probabilitas, quæ etiam neminem ad assensum necessitat. Nam, si sit probabile quòd votum non emiseris, & probabilius quòd emiseris; aut si sit probabile quòd sine animo, aut libertate, aut cum aliquo impedimento emiseris, & probabilius quòd emiseris cum animo te obligandi, aut cum deliberatione plenâ, aut sine impedimento dirimente, poteris liberè in alterutram probabilitatis partem inclinari; secure enim minus probabilem sententiam, ubi non agitur de proximi detrimento tenebis.

COROLLARIUM XII.

¹³⁴² **I**n dubio, An materia de vota sit bona vel mala, teneri & non teneri juxta nostra principia probabile est. Consulto posui illud juxta nostra principia, quia alij Authores si suis liberè permittamus insistere, dividuntur; Suarius enim, Filiucius & Faustus asserunt; Sanchez, Sotus, Castrus Palao & Bonacina negant; Diana utramque partem probabilem putat, & præelegit Suarii sententiam. Nos igitur stando possessioni obligationem sic sed mere probabiliter suademus. Petrus est vir prudens, ergo debet conservare suæ authoritatis opinionem & possessionem in omni dubio, ergo quamdiu contrarium non confiterit, debet credere se examinasse materiam juramenti vel voti, & judicasse meliorem oppositâ; imprudens enim esset si malam aut minus bonam voveret. ergo præscindendo à dubio superveniente illa materia voti est in suæ bonitatis jam prius judicata possessione. ergo & votum est validum. Cæterum, cum illa sententia non sit infallibilis, solum potest dare objecto probabilitatem, & casum potius tollere, quàm inducere necessitatem operandi. Sed libertatem for-

tius & clarius persuadebimus. Certum est, quod homo non possit voto aut juramento se obligare ad actionem malam. ergo quamdiu non constet voti materiam esse licitam, standum pro certâ illâ impotentia, adeoque pro non implendi potestate & libertate.

Si quando essent probabiles Authorem ¹³⁴³ sententiæ teste Diana *part. 4. tract. 3. resol. 13.* circa hanc bonitatem & malitiam, fas esset quatenusque amplecti, etiam minus probabilem. quod quia & ego verisimum judico, meâ qualicumque etiam authoritate roboro.

COROLLARIUM XIII.

¹³⁴⁴ **S**ciens certo legē, quæ excommunicationē, suspensionem aut irregularitatē imponit, latam fuisse, & dubitans an acceptata, aut usum receptam sit, prudenter non esse receptam, & esse receptam putabit temerè & imprudenter. Alterutrum diceretur, non tangeret illos, qui nimis animose communitatem suppeditare & Principes in Tyrannos convertere gestiunt: at nos qui cum viris doctissimis mancipijs, servis, illisque omnibus subditis qui occidi possunt, licere imponi leges etiam invitis; at liberis & ingenuis hominibus non posse credimus; affirmamus nullam humanam legem nos (liberi & ingenui sumus) urgere involuntarios, nullam ante acceptationem habere vim, nullamque post acceptationem majorem illâ, quam ipsa tribuerit acceptatis & usus acceptationis interpretis. Quamobrem in dubio præfenti asserendum, nos teneri illâ lege, si debeat censi acceptata; & si debeat credi non acceptata, non teneri.

Apud Dianam, cujus diligentia multorum ¹³⁴⁵ Scriptorum nomina & suffragia debemus, contra me sentiunt Sanchez, Filiucius, Bonacina, Merolla, Alphonsus de Leone, & alij, & nostra ipsa principia supponentes sic arguunt. Standum est pro possessione; at qui in tali casu possessio stat pro lege: ergo standum pro lege. Minorem probant. Quia supponitur esse lex lata, & solum an acceptata sit inquiritur. Et respondeo eisdem ex hallucinatione Authores contra me militare, cum enim eadem mecum fundamenta supponant,

nant, videntur Dialecticæ defectu deficere. tu autem Lector Candide, utri sumus meliores Dialectici judica, nam communia principia supponentes differimus in consequentiâ. Ad formam igitur concedo majorem, ipsa enim mihi fundamentalis & certissima. nego tamen minorem. Ad probationem admitto legem esse latam & esse in possessione publicationis, nego tamen hanc possessionem sufficere, ut sit vel fuerit moraliter aut pœnaliter obligatoria: lex enim antequam acceptetur, non est vera & formalis lex; unde idem est dubitari, an detur acceptata lex, quàm an detur vera & obligatoria lex, non enim vera & obligatoria ipsa antequam acceptetur.

¹³⁴⁶ Sed Corollarij doctrinam mecum tenent Azorius, Emanoël de Moura, Rebellius, Castrus, Palaus, & alij quos sequitur Diana *part. 4. tract. 3. resol. 14.* asserens esse valde probabilem & tutam in praxi. Salas eidem videtur opinioni adherere, citat enim Azorium, & tamen non impugnat. & ut rem fatear, ex nostris principijs, quæ etiam admittunt adversarij, evidenter inferitur. Arguo enim sic. Standum est pro possessione, & à dubio abstrahendum, supponendumque rem illam de qua dubitatur in rerum naturâ non esse. Abstrahendo igitur ab acceptatione, ipsa enim dubia, remanet lex ab acceptatione præcisa, adeoq; lex nondum vera, nondum obligatoria; non enim intelligi potest habere obligandi virtutem antequam acceptata intelligatur.

COROLLARIUM XIV.

¹³⁴⁷ **I**n dubio, An detur impedimentum ante matrimonij contractum, potes liberè contrahere sine dispensatione. Patet, quia standum est pro tuæ possessione libertatis: ita universaliter Ioannes Sancius in *Selectis disp. 43. nu. 44.* quod est intelligendum de homine libero & nulli certo impedimento obnoxio, tum enim datur vera libertatis possessio. Si autem dubites, an impedimentum habeas, eo quod scias te habuisse verum impedimentum, nescias tamen an obtinueris validam dispensationem, tunc etiam standum pro possessione est, & cum impedimentum in possessione

fit, censendum dari impedimentum.

Emanuelem Sa, virum aliàs ingenio ¹³⁴⁸ forti, claro, imò & audaci peditum, video *verb. dispensatio num. 1.* in re clarissima hærentem & scrupulizantem. in tali casu desiderat recurri ad Episcopum, ut declaret, quod non requiratur dispensatio; aut si & ipse dubitet, ut in dubio dispense. Sed nescio an secuta sit illa Episcopi declaratio, rarò enim ipsi tam docti, ut præponi debeant Theologiæ Professoribus. Felix judico Belgium, ab ipso enim erectionis initio, Episcopatus doctissimos viros præfecit, sed ignorare Sa non poterat in multis Proventijs ad summas dignitates nobiles aut fortè divites promoveri, & in tali casu quid facturus esset cum Episcopi declaratione non sciò. Illa quidem dispensatio in dubio concessa nocere non posset; sed hic non solum requiritur, quid possit, sed quid debeat fieri; & dicimus dispensationem illam in dubio non debere peti, sed posse, multa enim inutilia possunt licitè fieri.

COROLLARIUM XV.

¹³⁴⁹ **S**iquis dubitet, An die Iovis sit hora duodecima, adhuc potest edere carnes. Ratio est; quia est in possessione dies jovis, & non tenetur quis credere non esse diem jovis, quousque evidenter sciat. Ita Ioannes Sancius, Thomas Sanchez, Laymanus, Salas, Naldus, Castrus Palaus, Fagundez, Villalobos, quos citat & sequitur Diana *part. 4. tract. 3. resol. 18.* Eodem modo philosophaberis de quocumque die in quo comeduntur carnes, si sequens jejunijs aut abstinentiæ sit. At ex hoc Corollario inferri debet alterum Corollarium. Nam qui die Sabbati dubitat an sit hora duodecima, nondum poterit comedere carnes, & hoc propter eandem rationem: quia cum sit in possessione dies abstinentiæ, non potest quis prudenter credere eum jam transivisse, quousque habeat aliquam rationem probabilem.

COROLLARIUM XVI.

¹³⁵⁰ **Q**ui dubitans, An esset hora duodecima, comedit & bibit; si die sequenti sciat nondum fuisse duodecimam, potest celebrare

brare aut Sacramentum Eucharistiæ sumere.

¹³⁵¹ **XVII.** Secus verò si sciat fuisse duodecimam. Prima pars est verissima in omnium opinione, secunda tam vera quàm hæc, *Qui ex oblivione aut inadvertentia sumpsit jentaculum, non potest celebrare*; quæ aliquibus videtur difficilis; putant enim leges agere de humanis actionibus. & quæ ex inadvertentia fiunt, animales potius esse quàm humanas, adeoque incapaces pœnæ & præmij. Sed hoc alij viderint; ego enim in Thesi malui ponere communem sententiam. Obiter tamen dicam me audivisse Reverendissimum D. Manriquem, nunc Salmanticensis Universitatis Primarium Professore in Gymnasio publico sic discurrentem. [Siquis ex inadvertentia aut oblivione die jejunijs carnes in magna quantitate comederit, non fregit jejunium, adeoq; tenetur fervare formam jejunijs reliquo tempore eodem modo ac si carnem non comedisset; unde si comederit caponem mane, poterit meridie prædere & vesperi collationem ordinariam sumere, quia leges actibus non-humanis non violantur, & illi qui ex inadvertentia aut oblivione, hominum quidem sunt, non verò liberi & humani. contrarium tamen addebat, non auderem dicere improbabile propter Basilij Poncij de Leone (tunc Primarius Professor erat) opinionem; docentem illud jejunium esse fractum reverà tamen inadvertenter, illudque die reliquâ non obligare, & ab inadvertentia habuisse, non quidem quòd non violaretur, sed quòd violaretur & frangeretur sine culpa.] Sic discurrerat Angelus Manriquis, sic Basilius; tu Lector attentè utriusque sententiam considera, quia ex utraque multa consecraria nascerentur.

COROLLARIUM XVIII.

¹³⁵² **S**iquis putans talem pecuniam esse tuam, noluerit tibi restituere, & tamen postea rem melius examinatâ repererit non esse tuam sed suam, non tenetur illam tibi tradere. Patet, quia error præcedens non mutavit pecuniarum dominium. Tamen dicendus esset peccasse contra dictamen illas pecunias retinendo quando putabat esse tuas, ni fortè rem voluerit melius exa-

minare, & tenuerit se nondum habere certitudinem, quia in probabilitate vel dubio poterat sibi retinere. Nota hoc ultimum, verissimum enim est, & plurimis conscientijs sedandis & componendis proderit.

COROLLARIUM XIX.

¹³⁵³ **Q**ui dubitat, An post horam duodecimam bibere vel comederit, potest communicare. Et ratio, ut ante delimitur à possessione, quia dies hesternus fuit in possessione prius quàm hodierna, nec tenetur aliquis credere illam esse finitam quamdiu non sciat evidenter hanc incepisse. Ita Ioannes Sancius, Layman, quos citat & probabiliter sequitur Diana *part. 3. tract. 4. resol. 26.* contra Thomam Sanchez, Fagundez, Villalobos.

Dices. Standum est pro possessione, atqui tali casu nulla possessio stat pro communicatio, tota stat pro præcepto: ergò. Et respondeo te argumentari ex illorum doctrina, quos contra me citavi, & tamen me desiderare minorem positam suaderi. Possessio stat pro præcepto intra sphaeram præcepti: at pro libertate multò antiquior, & certior. Ergò quousque sit evidens quod sim obnoxius illi præcepto, standum est pro libertate. Præceptum interdicit Eucharistiæ sumptionem non-jejunis, jejunis nihil interdicit. ergò non est in possessione interdicens jejunis hujusmodi sumptionem. ergò nec Petro illam inhihet, quousque evidens sit quòd non sit jejunus. Similis illi lex, quæ licet præcipit suspendere Anselmum propter latrocinium, nec tamen licet, si dubitet an sis Anselmus, te poterit suspendere dicens, standum pro possessione præcepti; quia illud nullum alium respicit nisi solum & certum hominem, nimirum Anselmum; & similiter præceptum illud Eucharisticum solis illis imponitur quos non esse jeunos certum est.

COROLLARIUM XX.

¹³⁵⁴ **I**n dubio, An expleveris vigesimum primum annum, non teneris jejunijs. Et ratio semper est una & eadem; tunc enim bene philosophamur, quando ex eisdem princi-

principijs eodem modo discurremus; veritas enim ubique una, Deus unus, religio una; & qui quaestiones similes resolvit diversimode, unitatem, quae indivisibilis est, conatur dividere, & ingenij debilitatem ostendit. Scis te in annum vigesimum primum ingressum, ita pro possessione hujus anni; non enim teneris te egressum credere, quousque evidenter scias, & quamdiu non teneris credere te viginti unum annum complevisse, non teneris credere te esse jejunio obnoxium; lex enim illa ex Ecclesiae benignitate & omnium Authorum sententiam hanc aetatem completam supponit. Subscribo Ioanni Sancio, Naldo, Castro Palao, Alphonso de Leone, Laymano, Fagundez, Thomae Sanchez, & Dianae part. 4. tr. 3. resol. 21. qui eos adlegat.

COROLLARIUM XXI.

¹³⁵⁵ **S**iquis dubitat, An hodie sit dies festus; & an sit jejunij, non tenetur missam audire, nec jejunare. Ita Suarius de censuris disp. 40. sect. 5. num. 15. & Diana ubi supra. Quod ego limbo ad festa nova, ita ut dubium de praepcepto sit, non de dispensatione; & clarissime expono. Scio diem talem fuisse feriale & liberum & dubito, an solennis sit factus Pontificis auctoritate aut praepcepto? & stabo pro possessione libertatis & ferialitatis, quousque contrarium constet. Si tamen sciam hucusque diem Marianae Conceptionis festivum fuisse, à viro tamen, cujus auctoritas non sufficit ut formem dictamen probabile, audiverim esse à factis expunctum, quamdiu probabiliter non sciam esse expunctum, tenebor stare pro possessione solennitatis: & idem de jejunio dixero.

COROLLARIUM XXII.

¹³⁵⁶ **S**iquis dubitet, An hodie sit dominica Ramorum vel Paschatis, non potest credere esse Paschatis. Et ratio est eadem. Quadragesimale tempus jejuniumque est in possessione, à qua non potest excidere ante notitiam saltem probabilem. ergo quamdiu non habeas rationem probabilem, non poteris hanc die carnes comedere, nec teneberis sequenti, (nempe die

Lunae) missam audire (ferià secundà Paschatis debes illam audire) quamdiu non habeas certam.

COROLLARIUM XXIII.

¹³⁵⁷ **Q**ui dubitat, An habeat aetatem sufficientem ut profiteatur, aut promoveatur ad ordines, neutrum potest facere. Et hoc ob rationem praepositam. Nam aetas insufficientis est prior & ideo in possessione. Ita omnes Authores Coroll. xx. citati.

Sed ex dubio dubium suboritur. Sit casus. Petrus dubitans an haberet sedecim annos aetatis vota emisit, & re postea bene examinata reperit se non habuisse illam aetatem, & inquit, An sit verè professus? Et communis omnium DD. resolutio est negans.

¹³⁵⁸ Sed Paulus, qui eodem dubio laborans professus est, & diligentiam post professionem adhibitam reperit se habuisse septemdecim annos cum professus, an validè sit professus inquit. Et respondeo hanc non esse quaestionem tam facilem quam multi judicant. venit enim interpretanda Pauli, Abbatis, Communitatis, & Ecclesiae voluntas; quorum omnium, si vel unus prudenter judicetur renuere, nihil factum. Ecclesia sedecim annorum aetatem ita exigit, ut professionem aliter factam, non solum illicitam, sed nullam declaret; quid de dubio sentiat, non exposuit. Praelatum Communitatemque, si scirent esse dubium de aetate, non fuisse admissuros professionem illam, videor non praesumere, sed certò scire; & si hoc verum, involuntarij contrahunt. sed erga quid involuntarij? erga contractus substantiam, an erga modum? si erga purum modum, validus ille est. Sed quis Novitium in tali dubio vota emittentem à peccato mortali absolvet? & quis crederet dari tam stupidam communitatem, quae vellet admittere, quem mortaliter peccaturum deprehenderet? Sed haec inter dubia à me per modum dubij proposita alij examinent. non enim auderem in re tanti momenti praecipitare iudicium. professionis illius valorem non video, nullitatem non adstruo: quaestionem doctioribus resolvendam relinquo.

COROL-

COROLLARIUM XXIV.

¹³⁵⁹ **Q**uando constat legem fuisse latam, & dubitatur utrum in tali casu obliget, erraret qui universaliter obligationem aut affirmaret aut negaret. Ratio est; quia tamen standum pro libertate sit, non est semper eadem possessionis ratio, nam alias erit in possessione lex, alias libertas. Si instantias casusque ad oculum exposuero, non tam videbor Authores conciliare, quam interpretari.

¹³⁶⁰ Potest primò universaliter lata lex fuisse in sua universalis auctoritatis possessione, & dubitari an totaliter, partialiterve exciderit, ob contrarium praepceptum, praescriptam consuetudinem, aut legitimam dispensationem; & in his casibus standum pro legis possessione, quousque saltem probabiliter constet contrarium. Et hanc existimo esse mentem Ioannis Sanci, Thomae Sanchez, Medinae, Suarij, Naldi, Villalobos, quorum opinionem vocat communem Diana part. 4. tract. 3. resol. 22.

¹³⁶¹ Potest secundò universaliter lata nunquam fuisse in possessione alicujus articuli aut circumstantiae, aut dubitari an in tali possessione unquam fuerit; puta si dubitetur an fuerit legislatoris intentio talem casum sub talibus circumstantijs interdicere, an communicatis legem in eodem, aut sub eisdem acceptare. & si constet illum voluisse etiam illum casum comprehendere & hanc de facto acceptasse, adhuc quis (sed hic non jam dubio sed probabili discursui locus; legis enim ratio & acceptatio sunt gravissimae auctoritatis) posset opinari neutrum potuisse. In hoc igitur dubiorum aut probabilitatum concursu vera omnino erit sententia Ioannis Salas, contra quem nemo prudens procedet, sciri enim in dubijs pro possessione debet, in probabilibus potest; cumque ante legem dubiam aut probabilem, stet in certa possessione libertas & immunitas, standum est pro libertate.

¹³⁶² Hinc patet eum, qui dubitaret an jejunia, abstinentia à carnibus aut similia sibi notabile nocumentum allatura, non tenere jejunare aut abstinere. quia cum

certum scit Ecclesiam nec posse nec velle ralia jubere in subditorum destructione, stat in possessione libertas, non lex; & hoc supponendo timeri nocumentum, quod si velles etiam illa Decalogo admittere posses: nam si hoc tale sit, ut in Decalogum vel leviter impingat, stabit pro possessione Decalogus, omnium aliarum antiquissima lex, nobiscum natus, contra quem nulla hominum auctoritas prevalere poterit.

COROLLARIUM XXV.

¹³⁶³ **D**ubius ob tenuitatem beneficii non tenetur recitare officium divinum.

Suppono esse Doctorum receptissimam sententiam quae docet, eos qui nimis tenue beneficium habent non teneri totum officium divinum quotidie recitare (an ad partem teneantur, cum tenue beneficium congruae sustentationis pars sit? an teneantur recitare aliquando, resolvam alibi suo loco) & inquiri quid in dubio dicendum? Et assero, dubium bifariam posse accidere. uno modo, si sciat se habere tenue beneficium, & dubitet an illi qui tenue beneficium habent, includantur in lege quae lectionem horarum praecipit. alio modo, si sciat non comprehendit hanc lege, qui tenue beneficium habent & tamen dubitet utrum ipse habeat tenue vel crassum beneficium; hoc est, si dubitet, quot aurei requirantur, ut beneficium esse tenue aut non tenue dicatur. Ut ergo dubio satisfaciam.

¹³⁶⁴ Dico primò, Si Ecclesia omnibus tam habentibus pingue quam habentibus tenue beneficium lectionem horarum indixerit, & postea mota precibus horum cum ipsis dispensaverit, lex est in possessione erga universos, & nemo potest certam legem evadere titulo dispensationis dubiae, ergo quamdiu non constet probabiliter beneficium esse tenue, dicendus est beneficiarius ad lectionem divinam obligari. Huc refer Vasquezium 1. 2. disp. 63. c. 3. nu. 11.

Dico secundò, Si Ecclesia solis habentibus beneficium pingue horarum lectionem indixerit, quamdiu ipse non sciat evidenter suum esse tale, non tenebitur legere. Ratio est eadem; quia in hoc casu

libertas erat in possessione, à quâ non debet violentiâ dubiâ legis excidere.

Dico *tertiò*, Si sciat suum beneficium esse tenue, dubitet tamen utrùm illa prima lex quæ horas præcipit, extendatur etiam ad eos qui tenue habent; stare pro suâ libertate poterit; quousque contrarium evidenter cognoscat. Pro his duobus ultimis assertis adlega Ioannem Salas 1. 2. tract. 8. diff. unic. sect. 17. n. 154.

Diana universaliter loquendo utramque sententiam probabilem iudicat *part. 4. tract. 3. resol. 24.* Sed si Authores bene legantur, puto non dari duas sententias, sed omnes mihi præire illas positiones, quas tradidi. Utrùm probabiliter ab ipsis possis discedere, tu videris, non tamen me focium habebis, si discedas.

COROLLARIUM XXVI.

¹³⁶⁵ **C**ommodatarius, Locatarius, & Depositarius, si dubij sint, an res sit suâ culpâ corrupta aut amissa, non tenetur ad restitutionem. Et probatur eadem ratione. Nam in dubijs standum est pro possessore. atqui qui restituet, est dominus rerum quas reponet: ergò manuteneat illas, quousque certò sciat ad alium illas pertinere. Ita Ioannes Sancius, Thomas Sanchez, Villalobos, Lessius, Salas, Castrus Palaus, Henriquez, Diana *part. 4. tract. 3. resol. 30. & alij.*

Hic obiter notandum esse Dianæ *ibidem* & apud eum Soti, Ledesma, Henriquez, Emanuelis Sa, & Lessij opinione liberum à restitutione, quicumque damnum proximo intulerit sine peccato gravi; puta, si animo favendi, aut ex inadvertentia, aut ex negligentia peccaminosa venialiter. quæ doctrina valde necessaria & utilis est, ad sedandas scrupulorum conscientias. Eam tamen limita, si res ablata aut ejus pretium extet, tunc enim debet restitui.

¹³⁶⁹ Pro foro exteriori non est mala Dianæ, Mascard. *de probat. verb. Depositarius. concl. 509.* & aliorum doctrina, asserens posse præsumi dolum, si res depositarij appareant incolumes, & sola perierit deposita. Contra istam præsumptionem potest probare depositarius se non potuisse simul suas & illam servare (non deberet

suas contemnere, ut servaret alienam) puta si incendium, inundatio, aut aliud infortunium acciderit.

Dices. hoc posse intelligi de depositario, qui ex humanitate & gratis deposita ab amicis conservat, non verò de publico qui stipendijs civicis alitur, nec de privato si pretium pro labore recipiat. quia cum suum laborem vendat, debet omnem curam adhibere; unde si ex negligentia venialiter peccaminosa, aut ex eo quod res suas depositæ præposuerit, hæc perierit, tenebitur ad restitutionem.

Respondeo stipendia communia & pretia ordinaria exigere ordinarias & communes diligentias; & ordinariæ sine levis negligentijs fieri non solent, nec secundum communem modum agendi tenetur homo majori curâ aliena quam propria conservare. At posset quis dare extraordinaria jura depositario, ut rem restituat si contingat qualitercumque; perire aut perire, & si talis iniretur contractus, deberet servari procul dubio, & qualitercumque, perdita restitui per æquivalentiâ.

COROLLARIUM XXVII.

¹³⁶⁸ **Q**uando duo dubitant uter illorum pater illegitimi sit, uterque tenetur contribuere, ut illegitimus nutriatur. Est communis. Si alter sit ditior debet plus contribuere; unusquisque enim debet dare mediam partem summam quam daret aliis. Si alter non possit aut nolit, alterum debere dare totum asserunt Villalobos & Azorius, negant Castrus Palaus & Salas: & tu in praxi ne à communi Authorum sententiâ discede.

At ego bene video posse in foro exteriori utrumque condemnari, quia cum certum sit in isto binario hominum esse contribuendi debitum, potest Respublica ab illo binario summam necessariam exigere, & qui judicaverit hoc durum, non degat in tali Repub. aut contra mores & leges, si potuerit, reclamet.

¹³⁶⁹ Non tamen bene video cur debeat alter credere se debitorem illi proli. Non dari semipatres à Medicis & Physicis (an solidè, alij viderint) semper supponitur: ergò Petrus v. g. discurrere sic posset: [Ego cum non sim hujus parvuli semipater, ero

ter, ero vel pater, vel non-pater: si pater, non jam mediam congruam, sed integram debebo: si non-pater, nihil debebo illi. Ante duos annos non eram pater ipsius: ergò eram in possessione carenti tali filio: stabo ergò pro mea possessione quamdiu non probetur contrarium.] Eset quidem dura resolutio matri, severa proli, talis tamen quam non facili negotio iniquam ostenderes. vel si iniquam putes, oppugna non testimonijs, fateamur enim esse communi doctrinæ oppositam, & idèò illam non defendimus, proponimus tamen, desideramusque videre quâ possit à ratione dissolvi.

COROLLARIUM XXVIII.

¹³⁷⁰ **D**ebitor certus de debito, & dubius de solutione, debet solvere. Ostenditur, quia ante solutionem dubiam stat pro debito certo possessio. Ita uterque Sanchez, Vasquez, Salas, Suarez, & teste Diana *part. 4. tract. 3. resol. 32.* communiter omnes Doctores. Vbi noto Primò, posse debitorem prudenter solutionem differre quamdiu affulgeat spes veritatis liquidius indagandi. Secundò, non bene dici dubitare debitorem, quia creditoris testimonium est notabilis autoritatis, adeoque tale dubium melius vocaretur certitudo aut probabilitas; vide quæ sub finem Corollarij XXX. dicturus sum.

COROLLARIUM XXIX.

Debitor dubius de debito, nil debet solvere. Patet ex eadem ratione; quia ante debitum dubium, erat certa libertas, ergo standum pro possessione libertatis.

COROLLARIUM XXX.

¹³⁷¹ **S**i debitor & creditor certi sint de contractione debiti, & dubij de solutione, debet debitor solvere. Ita Merolla *tom. 1. disput. 3. cap. 3. dub. 2. num. 65.* At Tannerus 1. 2. *disput. 2. quæst. 6. dub. 4. num. 49.* putat tunc creditorem non teneri solvere; & Diana cum Layman mediâ viâ incedentes concordiam suadent, & rem in duas partes dividi, ne vel unus bis solvat, ne vel alter debito careat. Si concordia fiat, erit utilis; nam ex vi illius non tenebitur illam mediam partem restituere creditor, si postea debitum

fuisse solutum; nec debitor alteram mediam refundere, si postea debitum non fuisse solutum comperiat; nam in illa concordia uterque se exposuit periculo lucrandi & perdendi.

Meam Thesin sic probò. Quando debitum fuit certum ut supponitur, solutione in opinione debitoris dubiâ non eliditur, sed manet in sua possessione: atqui nec elidetur si & creditor de solutione dubitet, ergò. Minorem probò. quia semper manebit debitum certum, & dubia solutio.

Confirmo & legas hic attentius. In aliquo casu est verum quòd debitum certum maneat in possessione non obstante solutione dubiâ; atqui hic casus tantum potest contingere, quando uterque (nempe debitor & creditor) dubitat: ergò quando uterque dubitat, standum est pro possessione debiti, & debitor debet solvere. Minorem probò. Est impossibile quod unus solus dubitet: ergò. Probatur antecedens. Quia quando non recordaris an solveris, si creditor te non solvisse dicat, solutio non est dubia, sed certa aut probabilis; datur enim gravis autoritas pro parte negativa & quod sit gravis evidenter probatur, nam si creditor assereret se recepisse debitum, ab omni obligatione esse liber.

COROLLARIUM XXXI.

¹³⁷² **D**ubius utrùm proximus extremè indigeat, tenetur veritatem sine morâ investigare, aut statim succurrere. Non audeo dicere casum esse possibilem in Republica bene gubernata. Ita pauperibus succurritur, ut pietas multis noceat, qui ignavi sunt, & malunt ex liberalitate aliena quam ex proprio labore victitare. Pœnas imponi vidi otiosis mendicantibus, imò & stipem dantibus. In Montiframensi Collegio Philosophus pientissimus Prælati subfui, cuius erga pauperes zelum, non prudentiam laudabo. Conquesti sunt vasalli Monasterij de elemosinis; experiebantur enim non posse juvenes artibus applicari, nam scientes se ad Monasterij portam victum reperturos, nolebant operari. Debuit Prælati admoneri, & habenas suæ pietati contrahere.

Cæterum, si contingeret aliquem dicere se esse in extrema necessitate, nemo teneretur illicò credere, nam similia mentiuntur mendici, at deberet rem examinare, & si hoc nollet, illi succurrere deberet.

Si post examen adhuc maneret dubium, quid fieri deberet, inquiris. Et respondeo debere succurrere.

Arguis me de inconsequentia, & ais. In omni dubio standum pro possessione quæ erat ante dubium. atqui ante illud dubium, quod proponitur, erat dives in suarum divitiarum possessione. ergò si postea maneat dubium pro possessione sua potest stare.

¹³⁷⁴ At respondeo me ubique curare summam dicendi consequentiam, & ut existimo in hac materia de conscientia servasse. Ad formam argumenti respondeo concedendo majorem, & minorem negando, non est dives in possessione suarum divitiarum, sed pauper qui laborat extremè, & ostenditur. Ex donatione Dei (facta fuerit Adamo, aut facta hominibus; nam utrumque disputari poterit) omnia communia fuerunt; divisa sunt dominia ex hominum concordia, qui debuerunt necessariò extremam necessitatem excipere, non enim poterunt cedere tali jure. Si igitur divisio bonorum in tali casu non fuit admissa, imò nec potuit, in tali casu est in possessione bonorum communio. ergò qui dubitat an pauper laboret extremè, dubitat an detur in tali casu bonorum divisio. Ergò ubi bonorum divisio est dubia, standum est pro bonorum communione certâ quæ erat in possessione. Hæc instantia in communi sententiâ fortissimè est; communiter enim dicitur naturæ jure non dari bonorum divisionem, at nos qui etiam in jure naturæ bonorum divisionem cognoscimus, addimus vix dari aliquid, quod materiam saltem communem non supponat, adeòque semper supponitur gentium contractus, qui ad casus extremæ necessitatis non extenditur.

COROLLARIUM XXXII.

Dubius, An incurrit excommunicationem, non est censendus excommunicatus, nisi forte dubium in revocatione aut dispensatione consistat. Omnia (multa enim hic dici & obijci solent) breviter ostendemus.

Primo, Si dubium sit circa jus, hoc est, An lex præcipiat sub excommunicatione, præsumendum est quòd non sit affecta excommunicatione. Quia cum ante legem essemus in libertatis possessione, non debemus à tali possessione excidere, quousque constet contrarium. Ita Molina, Azorius, Sayrus, Turrianus, Vasquez, & Diana part. 4. tract. 3. resol. 35.

Secundo, Si dubium circa factum versetur, an commissa sit talis actio cui annexa est excommunicatio, assero debere unumquemque stare pro sua innocentia possessione, nec teneri credere se fecisse, quod fecisse non constat. Ita Diana, Layman, & Thomas Sanchez.

Tertio, Qui sciens legem fuisse latam affectam excommunicatione, & dubitans de dispensatione si culpam commiserit, censendus est excommunicatus. Patet, quia possessio stat pro censura, dispensatio enim aut abrogatio dubia esse supponitur.

Quarto, Eo casu quo quis potest se judicare non excommunicatum, potest etiam judicare alium non excommunicatum. Patet, quia ubi eadem sunt circumstantiæ, idem iudicium debet esse; habemus enim Deum còmunem non particularem. Vnde cum solum excommunicatos vitare teneamur, sequitur neminem posse vitare aliquem in dubio an sit excommunicatus.

Quinto, Quando excommunicatio est conditionalis, & dubium an conditio fuerit imposita, censetur non obstringere. Quia censetur conditio manere in possessione sui non-esse. Ita Sanchez. Et ego obiter noto omnem quæstionem facti esse de conditione posita aut non posita. Hujus enim legis, Ego te excommunico, si percusseris Clericum, dubium circa factum, & circa conditionem est.

Sexto, Consulenda est sententia Fillicij tom. 1. tract. 13. cap. 7. num. 129. tametsi

tametsi reducta ad limam scholasticam non videatur vera, est enim stricta & securâ. Ipse loco citato sic inquit. Quando dubium esset de validitate actûs, ut si quis confiteri velit ei, quem dubitat esse denunciatum, tunc abstinendum esset ne se exponeret periculo faciendi Sacramentum irritum, modo absque scandalo vel alio periculo fieri posset.

¹³⁷⁶ Fateor esse res omninò diversas loqui, & confiteri: illa minoris & aliquando nullius ferè momenti, hæc semper gravis. illa debita (urbanitas sæpe ex iustitia communicationem exoptulat) indebita hæc, communiter enim loquendo sunt multi Confessarij adeoque securius est non confiteri tali viro, si valor futuræ confessionis prospicitur. Nescio tamen cur dicendus esset peccare qui illi confiteretur. Huic enim rationi Emanuel Moura satisfaciat. Ad approbatum, inquam, & non excommunicatum Sacerdotem, potest quis ratione confessionis accedere. atqui eum de cujus excommunicatione dubitat, potest (imò & debet) non-excommunicatum præsumere: ergò licitè confitebitur ei. validè quidem, si revera careat excommunicatione, invalidè verò si non careat. Et hanc rationem tametsi fortem sic confirmo. Si ad sit scandalum aut periculum potest quis confiteri excommunicato dubio: ergò etiam si desit scandalum periculumque. Antecedens est expressum Mouræ. consequentiam probo. Si potest in casu scandali confiteri illi, vel dicendum est, eum habere absolutè authoritatem confitendi tali Sacerdoti, vel non habere, recipere tamen à circumstantia scandali. hoc secundum est ridiculum, quia hæc circumstantia non mutat naturas rerum, nec dat aut demit potentiam intrinsecam activam aut passivam sacramentalem. ergò dicendum est illud prius. ergò si dependenter à scandalo habeat talem authoritatem & potestatem, etiam poterit, licet desit circumstantia scandali. Sed quia tametsi dicatur talem confessionem fore licitam, est dubium an sit valida, consulendum poenitenti est, ne patiatu confitendi pudorem, ni certò sciat confessarium habere liberam & expeditam (hoc est omnis impedimenti impotem) authoritatem.

Septimo, De interdicto, suspensione, & quibuscumque censuris & penis eodem prorjus modo philosophandum est. Patet, quia quoad hoc non est dabilis disparitatis ratio.

COROLLARIUM XXXIII.

Si certus sis de voto emisso, & dubites an ¹³⁷⁷ in pubertate, an post minorem ætatem emissum sit, pater non poterit illud irritare. Supponit hæc positio vota puerorum in minori ætate constitutorum posse à parentibus irritari etiam post multos annos: non verò facta ab adolescentioribus.

Probatur. Quia votum ante dispensationem est certum & supponitur obligare. ergò vel irritabitur dispensatione certa, vel manebit; dubia enim votum certum irritari non potest, juxta ea quæ sæpè resumpimus. Atqui pater non potest concedere dispensationem certam. ergò. Probatur minor. Vbicumque est dubium, an materia sit capax, non erit certum agens operaturum esse; idem enim est dubitare an corpus sit coloratum, ac an sit visibile. Atqui in presentiarum dubitatur an votum sit dispensationis capax (nam si est personale ante annos pubertatis, aut reale ante vigesimum quintum teste Salas citando indispensabile omninò est) ergò dubitabitur, an pater validè dispeset. Atqui ubi obligatio est certa & dispensatio dubia, standum pro obligatione est. ergò.

¹³⁷⁸ Scio contrarium valde prodabiliter & plausibiliter teneri à I. Sancio, Th. Sanchez, Dianâ & Villalobos. Sed ratio, quâ armantur, videtur non posse subsistere. Audio ipsos argumentantes sic. Licet votens possessione suâ careat, & sic votum respectu ejus possideat; at pater possessionem suæ potestatis dominativæ habet ad irritanda vota, & ne independenter ab ipso ea emittantur: ergò dum non constat de exemptione ab hoc dominio per lapsum ætatis, qua hoc durat, non est privandus hæc possessione. Sed non urgeor. Pater enim non est nec unquam fuit in possessione irritandi vota personalia facta post quartum-decimum ætatis annum, nec realia facta post vigesimum-quintum. Ergò idem est dubitare an ante vel post talem ætatem illud emissum sit, ac dubi-

ac dubitare an pater sit in possessione aut non-possessione dispensandi.

At Villalobos ex eisdem principijs fortius argumentatur. Dubium est; inquit, de ætate in qua votum emissum est. ergo quia prior fuisti puer quam juvenis; non teneris credere te annos pubertatis excessisse quousque id constat. Hac ratio valde probabiliter concludit, & posset in Gymnasio defendi, sed consequenter deberemus dicere uxorem, si dubitet an votum emisit ante vel post matrimonij contractum, adolescentem ante vel post professionem, debere præsumere quod in priori tempore. hoc est ante matrimonium, ante professionem. &c.

COROLLARIUM XXXIV.

¹³⁷⁹ **S**acerdos, qui dubitat, An habeat absolvendi potestatem, debet supponere non esse in rerum natura illam circumstantiam in qua dubium fundatur, & stare pro possessione præcedenti.

Hinc est, quod dubitans, An Episcopus concesserit illi licentiam, non possit absolvere. quia præcindendo à licentia dubia intelligitur Sacerdos sine jurisdictione. Hic in casu necessitatis absolvat sub conditione. An cum onere iterum confitendi eadem peccata? Affirmat Naldus, negat Salas. Sed mihi videtur Naldi sententia evidens, quia talis absolutio non est probabilis, sed dubia; nisi tanta credatur necessitas, ut cuicumque non approbato audire confessionem licere.

Hinc etiam, quod sciens se habuisse licentiam, si tamen dubitat an revocata sit, Episcopi aut Vicarij morte aut voluntate contraria, poterit stare pro possessione licentiæ certæ contra revocationem dubiam.

COROLLARIUM XXXV.

¹³⁸⁰ **Q**ui scit certò se vovisse castitatem, & dubitat an religiosam, hoc est servandam ex vi voti solenniter emittendi, non tenetur ingredi religionem. Patet ex dictis. Quia ipse est extra religionem de facto, poteritque hanc possessionem tueri, quamdiu non constat clarè votum Religionis emisit.

Hinc solvitur dubium occurrens. Scit Petrus se vovisse castitatem, dubitat autem an absolutè; aut conditionatè, hoc est, si Religiosus fiat. & petitur, an debeat præsumere se absolutam, an verò conditionatam promississe. Et Sanchez in Summ. tom. 1. lib. 4. cap. 16. nu. 114. ad formulam promissionis prudenter recurrit; quia cum verba sint voluntatis indices, ex ipsis est illa judicanda. Si verba exciderint ex memoria, vel etiam ambigua & dubia sint, libertatis possessio, contra omne dubium manutenenda est, dicendumque vovisse solummodò conditionatè; hoc est, si Religiosus fiet.

COROLLARIUM XXXVI.

¹³⁸¹ **I**n dubio, An effectus proveniat à causa naturali, an à demone, præsumendum est procedere à causa naturali. Ponitur contra multorum levitatem & præsumptionem, quæ omnia quæ non intelligunt, hoc est plura, de superstitione incusant. Rem fatear; libenter disco, & semper vaco literis & experiencijs, & singulis diebus crescit apud me naturalis potestatis opinio, decrescitque dæmoniæ iniquitatis potentia. Si alea sermonis Nicromanticos tangat; quàm multa, quàm pulchra, quàm rara, quàm stupenda audiemus! Sed ubi illa, & quando sunt facta à alio ævo; in alia Provincia; unde tales historiæ, non incongruè possint ultramarina mendacia vocitari. Si Madriti sis, Nicromanticis Bruxellam scaterè audies, si Bruxellam adpuleris, coactos esse in Italiam; si Romam venias, in Morvegiâ solido familiares vendi, ventos asse; & si tandem totum orbem terrarum circumveas, nihil videbis, quando excedat vires naturæ. Deum posse hominem punire scio; & posse in poenam ei permittere dæmonis familiaritatem non ambigo; id aliquando fecisse historiæ sacræ & prophætiæ testantur. Sed exempla sunt rara, & ita rara, ut in consequentiam traduci non valeant. Siquid rarum videas, gratias age naturæ conditori. potentissimus condidit potentissimam; hoc suppono. sublatere aliquod pactum, aut dæmonis interventum, quousque

usque videam evidentè non credam.

¹³⁸² Pro Sagarum & Nicromanticorum causis legendus inter alios juniorum libros, parvus ille qui inscribitur, *Cautio criminalis*. Somniant domini mei, cum vigilant anus decrepitæ; cum sapere videntur, delirant; & Nicromantici, cum Scioli censentur in suâ prætensâ superstitione, sunt vani, impostores, mendaces. Aliqua vera fuerunt, aliqua vera reperiuntur, pauca tamen. adeoque iudices timide debent pronuntiare sententiam; errabunt enim frequentissimè, si Sagarum declarationi & confessioni semper credant.

COROLLARIUM XXXVII.

¹³⁸³ **Q**ui vovit dare tot mensuras tritici, non debet dare majores. qui dare vinum, non tenetur dare optimum. qui unam partem auream, non tenetur dare maximam, qui calicem, non tenetur aureum dare, sed sufficit talem qualem decenter Ecclesia recipiat. Patet; quia cum promisit, vel promisit rem in genere & universaliter sumptam, vel determinatam. Si in communi sumptam, puta si mensuras ut sic, abstrahendo à magnis parvisve; vinum ut sic, abstrahendo ab Hispano, Gallico, Rhénano; voto satisfacit si det illam rationem genericam aut communem quomodocumque contractam. nam qui tibi promitteret unam bestiam, æquè satisfaceret si leonem, quàm si canem daret. Si determinavit differentiam, & recordatur determinationis, debet reddere Deo vota sua, quæ distinxerunt labia sua. Si non recordatur bene, aut opinabitur probabiliter, aut dubitabit, & alterutrum fecerit, ita se habebit ac si solum genericam aut communem rationem promississet; quia cum abstrahendum sit ab omni circumstantia dubia, hic factâ abstractione tantummodo remanet ratio communis aut generica. Videatur Diana *part. 4. tract. 3. resolut. 48.* ubi aliquos Authores citat, & plures posset, quia hæc videtur communis omnium Doctorum opinio.

COROLLARIUM XXXVIII.

¹³⁸⁴ **I**n bello eodem prorsus modo ac in lite proceditur. Tunc licebit bella movere dubia, cum jure dubio litigare. Hoc est, si rem bene examines, nunquam, aut raro.

In dubio licet litem instituire contra eum qui etiam dubitat, & tamen non vult concordiam prudentem admittere. Et quidem tunc duo dubitant cum neuter possidet. nam contra possessionem debent esse rationes moraliter convincentes.

Non aliter in Monarchijs. Si sit una provincia juris dubij (ubi dabitur? omnia Regnorum dubia in ratione gravissimâ fundantur) carens possessore (hoc non caret, quæ sui est juris, & se ipsam possidet: qualis est Veneta, Genuensis, & aliæ) Principes qui jus dubium habent in illam, debent eam pacificè dividere (quia est communis Theologorum opinio) & si alter velit habere totam, injurius erit alteri, poteritque bello compefci. Si alter Princeps illam provinciam possideret, cessaret dubium; ratio enim, quæ ex possessione desumitur, fortissima est, contra quam debent esse arma moraliter justa, realiter convincentia. Sed hoc alibi uberiùs, apparo enim Theologiam militarem, ubi casus omnes, qui solent in militia accidere, uberâ brevitate resolvo; primus ut opinor, qui se commisit huic oceano.

COROLLARIUM XXXIX.

¹³⁸⁵ **I**n dubio, An puer, qui nondum complet vit septem annos, habet usum rationis, debet non absolvi absolute, potest conditionatè, imò & aliquando debet. Quod absolute absolvi non possit, ostenditur; nam cum ipse prius caruerit usu rationis, possessio stat pro carentia illa, adeoque præsumendum adhuc etiam carere, quamdiu non constat de ipsius ingenio & mentis maturitate. At quia sacramentali regenerationis lavacro omnes homines indigent, ne fortè contingat aliquando, subesse præsumptioni falsum, consulendum omnibus esset, ut dubiæ capacitatis pueros conditionatè absolverent, ne illos, si capaces sint, tanto beneficio privarent.

privarent. Hoc semper utile, at in mortis articulo omnino necessarium; apposita conditio non est injuria sacramento, & interim animæ favet. Nam cum possibile sit iudicium ortum ex præsumptione esse erroneum; quid si ille puer, qui non esse doli capax præsumitur, esset de facto in peccato mortali, cum dicitur non debere absolvi? an non, si absolute conditionata careret, in æternum periret? Ita Layman, Zambranus, Villalobos, & Diana parte 4. tract. 3. resol. 53.

1386 Sed quia nostra fundamenta præmissimus, aliorum etiam, tametsi nobiscum sentientium, rationes discutiamus. *Arguunt primò*, In dubijs favendum est peccanti, atqui in nostro casu puer peccans est: ergo illi favendum. Probatur major. Quia juxta omnium legum præscriptum favendum est semper reo; & cum peccans in tribunali confessionis reus sit, favendum peccanti est. *Secundo*, Injuria est procedere contra alicujus jus, atqui puer ille habet jus ad Sacramentum confessionis: ergo. Minorem probant; Quoniam tale jus omnibus Christianis concessum. *Tertiò*, Quando aliquis adultus fatetur unum peccatum dubium & nihil præter illud, absolvendus est sub conditione, ergo etiam puer. *Quarto*, Rationes quæ articulum mortis respiciunt, ferè æquè probant extra illud articulum: ergo universaliter debet absolvi sub conditione.

1387 Sed nulla urget. Sententiam teneo, & fundamenta disto. *Ad primam rationem* respondeo in dubijs favendum esse peccanti dubio, eo modo quo leges & jura præscribunt, hoc enim convincit probatio; addo tamen illas, illa favere præsumendo crimen dubium commissum non fuisse. Ergo si illa jura ad forum confessionis deberent rigorosè extendi, probarent, absolute contrarium, quam argumentatores intendunt. contra eos enim eandem rationem efformarem. Juxta omnium legum præscriptum favendum semper est reo, præsumendumque bonum esse bonum quousque probetur malus; puer in tribunali confessionis reus est; illi ergo favendum, præsumendumque eum esse innocentem quousque pro-

betur malus. Atqui innocens non absolvitur, nec penam aliquam vel levi condemnatur: ergo ille puer absolvi non potest, nec penitentiam judicalem recipere. Constat igitur rationem primam non urgere. *Ad secundam* etiam respondeo concedendo majorem, & negando minorem, Ad probationem nego assumptum. quoniam multis Christianis illud jus (agitur de proximo) non conceditur; amentes enim, deliri, & pueri doli incapaces non habent tale jus: & ille puer, de quo procedit quaestio, non esse doli capax, adeoque illo jure carere præsumitur. *Ad tertiam* respondeo Deum scire an antecedens omnino verum sit, & tamen quidquid de illo sit non esse bonam consequentiam. Audi Dianam illud antecedens censurantem. [Si quis adultus, inquit, fatetur aliquid quod dubitatur an sit peccatum veniale, est absolvendus sub conditione; quamquam in dicto casu melius sit dicere aliquod peccatum saltem veniale certum vitæ præteritæ, etiam si sit confessum.] Et quidem ego extra necessitatem has conditionales sacramentorum formas non libenter admitto. Sed quidquid de antecedenti illo sit, probo consequentiam nullam esse; quia in adulto scitur quod potuerit peccare, & quod actionem fecerit, & posset præsumi peccasse. in parvulo dubitatur an potuerit peccare, adeoque an illam eandem actionem fecerit. (qui enim peccare non potest, in narratione potest vel mentiri vel falli) adeoque semper sint majora dubia, unde cum argumentatio sit à minori ad majus non urget, malè enim supponit eum qui potest minus, posse majus. *Ad quartam* dico rationes, quæ in articulo mortis necessariam confessionem probant, non probare esse citra eum articulum necessariam; bene tamen esse utilem: quia cum illo tempore aliter, quam sub conditione dari non possit, ne longo tempore gratia puer destituatur, etiam sub conditione absolvi potest. Ad do tamen non bene inferri, potest, ergo debet.

COROL-

COROLLARIUM XL.

1388 **I**n dubio, an puer septennis aut major, habeat usum rationis, debet absolute & sine conditione absolvi etiam extra mortis articulum.

Mirabilis natura in effectibus, ludit, ablutit. Et tametsi ordinem & regulas generales ut plurimum observet, etiam ipsa nonnumquam extra leges exorbitat, jam prodiga, jam liberalis. Hoc tametsi in omni creatura verum, clariùs in homine, & usu rationis conspicitur. Censur iste, quem ipsa homini solvit anno septimo; hoc enim tempus lege communi præscriptum videtur debere observare. At ipsa præcox aliquando festinat, & aliquando moras trahit. Innocentes illos, quos Herodis crudelis mundo perdidit, anticipata arbitrij libertas, in multorum sententiâ, cælo lucrata est. Legimus in Sanctorum vitis etiam quinquennes pueros flammis æternis absortos; cum tamen è contrario duodecennes, ne adolescentiores producam, doli omnino incapaces. Qualiter philosophandum de ijs, quos prævenit dubius rationis usus, corollario præcedenti discussum: de ijs quos prævenit ætas ante certum usum rationis impræsentiarum disputabimus. De pueris, quos vel ante septimum ætatis annum suarum operationum dominos, vel post septimum adhuc doli incapaces evidentè cognoscimus, agendum non est: de illis enim ut de adultis, de istis ut de infantibus philosophamur.

1389 Vt igitur hanc Ecthesin aut Corollarium probem, præmittam breviter Dianæ verba valde docta, & valde necessaria. Partis enim quartæ tractatu III. Resol. III. sic inquit, *Quando dubium est, An pueri rationis usum habeant, præsumendi sunt habere, si compleverint septennium, secus antea. Quia præsumptio desumenda est ex communiter contingentibus.* Imò si rem bene examines, videtur non posse dari verum dubium, sed probabilitatem. Quia regulæ generales debent admitti, ubicumque non probetur contrarium, & ut existimo hæc consequentia, *Ferè omnes septennes pueri habent usum rationis: ergo etiam Petrus, videtur probabilis, & debere ratio-*

nibus fortibus elidi. Imò, si nulla ratio contra eam militet, videtur moraliter certa.

His positis discurre sic. Cum ambigitur, an puer septenni major habeat usum rationis, debet supponi illum habere. Cum illum habere supponitur, supponitur posse absolute absolvi: absolvendus est igitur sine conditione.

COROLLARIUM XLI.

1390 **I**n dubio, An Petrus innocens an peccator sit, censendus est innocens. Si sciatur esse peccatorem & de penitentia dubitetur, si tamen sit casus possibilis, censendus impenitens. Si sciatur esse impenitentem & ambigatur, an secreta vel publice, non est præsumendus publicus & scandalosus peccator, adeoque non debet arceri ab Eucharistiæ Sacramento.

Omnia semper deciduntur eodem modo, nam in omni dubio *beatus, qui possidet.* Petrus prius fuit innocens, quam nocens, ergo in dubio standum est pro possessione innocentia, contra dubiam limitationem. Cum autem prius fuerit peccator quam peccans, si penitentia dubia sit, censendus est impenitens: at non video, quando possit videri mihi proximi penitentia dubia. Nam si ipse illam verbo vel facto insinuet, & ego nullam rationem contra habeam, omnino credendus est; si habeam convincentem, non jam dubia sed certa impenitentia est; si fortem & merè probabilem, non jam illa dubia, sed probabilis; ideo consultò, ut responderem posui, *si sit casus possibilis.* Et tandem cum impenitentia prius sit secreta quam publica in publicitatis dubio censenda est secreta. Adeoque illi concedenda Eucharistia: Nam cum neganda publico peccatori dicitur, distinguendum est inter peccatorem & peccantem: non enim publicus peccator, qui publice peccat, sed qui publice hæret in peccato; ille qui publice ea facit, quæ cum penitentia stare non possunt. Cum penitentia bene stat Sacramentorum frequentatio, non stare officij peccaminosi confessio. Consono Ochagaviæ tract. 2. de Euchar. q. 10. num. 4.

1391 Sed iterum difficultatem urges, & petis, quid facturus esses, si publicus peccator vellet publicè communicare? Si esset inter alios, quando Eucharistiam distribueres? Responderem tibi legendam esse illam historiam Magdalene, quam Christus prædicandam commendat. Publica erat peccatrix, & Simoni Christi hospiti, & reliquis circumstantibus nota. Et tamen non erat notum omnibus illam cognosci à Christo, qui dicebant, si esset Propheta cognosceret, quæ & qualis esset hæc mulier; mirabantur, quòd illam Christus non cognosceret, non tamen quòd ignotam admitteret. Fortè igitur, cum publicus peccator omnibus notus, non omnibus notum, tibi illum notum, non omnibus notum te aut devotione absortum, aut alijs studijs distractum illum non cognovisse, & ubique fieri possit, scandalum vitandum est: & puto majus oriri, si meretrici publicæ negaretur Eucharistia, quam si daretur.

1392 Præterea. Usurarij publici & communes peccatrices aliquando tanguntur à Deo, & respiscunt; an omnibus debent dare rationem: & si non, temerè credentur impenitentes, si ad Eucharisticam communionem accedant. Heri vidisti in lupanari Antoniam, hodie vides communicantem. an audebis jurare eam esse contumacem & impenitentem. & si non, cur potiùs scandalizaberis, quàm gratias ages clementi & omnipotenti Deo, qui non solum in Sanctis suis, sed in ipsis peccatoribus mirabilis est.

1393 Me consule, magno consilio & examine utaris antequàm publicè petenti Eucharistiam neges publicè, & quia in altari nec tempus examinandi suppetit, nec dantur quos consulere possis, ubicumque præviâ resolutione antè quàm eò veneris, sanctè & coram Deo non statueris negare Eucharistiam tali personæ: si peteret, concedito; nam negare est res gravissima, quæ non debet heri impetu extemporaneo. Ego quidem prima vice nemini mortali negarem, quem non scirem certò esse in omnium opinione non ba-

ptizatum, delirum, aut arbitrij impotentem. Si certo scirem illam habitare in lupanari, istum in teloneo, & ex altari ad has domos iterum peccaturos & populum scandalizatuos reverti (sed quando similia monstra actionum data?) audacter communionem negarem.

COROLLARIUM XLII.

IN dubio, an metus fuerit incussus, præsumendus non incussus: & si sciatur incussus, in dubio an fuerit magnus vel parvus, censendus parvus. Ita Sanchez, Bartholomæus de Vecchis, Suarez, Lessius, Gratianus, Sanctarellus, quibus subscribit Diana part. 4. tract. 3. resol. 55.

Lego Aliquos authores, qui cum audiunt aliquam quæstionem de valore professionis moveri, illicò clausis oculis validam dextrorsum finistrorsum statuunt, dicuntque in omni dubio esse pro Religione standum. Sic ipsi, & quòd mirabile est, etiam religiosi, zelo & amore statûs religiosi præventi omnia habere volunt, non distinguentes inter pharmacum venenumque, inter bonum & malum. Sanè si pro Religione (ego putabam quòd pro ratione & veritate esset standum) adjudicanda illi suppellectilia utilia, & novicia cavenda. Ergò adhuc illa assertione (fortè iniquâ) suppositâ, non debemus clausis oculis quæstionem decidere, quæ Religionem, & unius hominis vitam integram tangit. Vtrum Paulus sit verè professus inquiritur: & postulo, an non tam benè possit hoc proponi dubium à Religione quam illius tædeat, quàm ab ipso quem tædeat Religionis? ergò si pro Religione standum, & ipsa Paulum non esse verum Religiosum desideret; non stabit pro illâ, qui desinat verum Religiosum. Præterea, ut Paulus scire desideret, & benignam responsionem exposulet; Paulus, inquam, vir probus & Sanctus. Si Religioni favere desiderarem, & supremam autho-

authoritatem haberem, illum expungerem. Nocere posset, prodesse non volet. Ergo quomodocumque discurremus, sanctissimus vir invitus & involuntarius nunquam prodest; & sæpe vel indiscretionem vel probabili subnixus sententiæ communitati nocet. Sit ergo Resolutio I. In certitudine, veritas defendenda est, seu noceat seu prosit Religioni. II. In probabilitate juridicè neuter condemnari potest; & privatim alterutri alterutrum consulere possumus. III. In dubiis standum pro possessione quæ præcesserat dubium. At quia hic casus dubius proponitur, pro possessione omninò standum.

Primò, igitur, in dubio an metus fuerit incussus, cum possessio sit pro libertate & non metu, censendus est vota emissurus caruisse metu, & qui incussisse dubiè asseritur, non incussisse.

Secundò, cum incussor ille sit in suæ innocentie possessione, non est dicendus incussisse magnum metum, quousque convincenti ratione probetur; at incussisse metum magnum non convincitur, cum parvum incussisse probatur.

COROLLARIUM XLIII.

1395 **C**um dubitatur, an abstinentia carniurn illarura sit notabile nocumentum agroti, non est necessaria dispensatio, sed peccabit ille si abstineat, peccabunt qui suadent, gravius qui cogunt. Nomine nocumenti notabilis illud intelligo, quod liberè & sine peccato admitti non potest; illud enim, quod propter mortificationem aut recreationem subire quis licitè potest, notabile dicendum non est.

Contraria sententia est valde communis, & mihi videtur clarè falsa. Multi eam Authores tuentur apud Dianam part. 1. tract. 9. resol. 15. multi apud eundem part. 4. tract. 3. resol. 56. contra quos, si non sufficiat Ioannes Sanchez in selectis disp. 51. num. 9. Bonacina tract. de horis Canon. disp. 1. quæst. 6. punct. 2. num. 5. Diana qui probabiliter subscribit part. 2. tract. 12. resol. 28. Leander Bandtius in Epistolis moralibus, & Ego in Commentario Regule Benedictina num. 14. 29. Et postea in Scholio

num. 83. sufficet aliorum rationes recognoscere, & hallucinationem persuadere, assertionem solidè & robuste probare.

Arguunt sic. In omni dubio standum est pro possessione quæ erat ante dubium. Ergo si dispensatio sit dubia standum pro lege certa, quæ erat ante illam dubiam dispensationem. Atqui necessitas certa est dispensatio certa, ergò necessitas dubia est dispensatio dubia. Igitur cum necessitas dubia est, standum pro lege quæ erat ante illam. Atqui ante morbum erat in possessione lex Ecclesiastica carnes tempore quadragesimali interdicens: ergò standum pro legis possessione quando morbi gravitas dubia.

Audisti, & te convictum profiteris. Sed relege me comite, & videbis (Authorum nomina non tango) hanc rationem esse verè improbabilem, patique evidentes exceptiones; illa enim improbabilis (aut si malis improbativa) quæ subjacet satisfactioni evidenti. Admitte igitur mecum primum entymema, in eo enim nostra resolutio fundatur. Et ad minorem subsumptam veniens, nega necessariam esse dispensationem. Et si te bene negare ostendas idolum dejecisti. Et ut te bene negavisse demonstrarem, sic discurre. Petrus vovet omnibus diebus exceptis Dominicis jejunare, & interrogo an dies Dominica sit dispensatio suæ legis. Porrò negativè respondebis; quia dispensatio est in actu quem tangebatur lex, & diem illam Dominicam vorum non tetigit. imò expressè exceptit. Sic similiter sanxit Deus Decalogum; contra eum, nemini concessit authoritatem præcipiendi, & superioribus (Pontifici, Regi, & reliquis) indulsit authoritatem præcipiendi, modò nihil contra Decalogum: & subditis imposuit necessitatem & obligationem obediendi in omnibus veris præceptis quæ Decalogo non essent oppositæ. Cum jubet rex deici murum, latomus debet obedire, at si transeat aliquis qui occidi possit debet cessare & detinere lapidem non solum qui certò illum sit occisurus, sed etiam illum de quo dubitat an occisurus

rus sit; quia non obstante præcepto diruendi parietem, non potest dimittere lapidem si dubitet an aliquem occisurus sit. Nemo autem dicet, pueri incautam sub muro diruendo præsentiam esse Regiæ legis dispensationem, ipse enim non iussit deijci lapides cum periculo hominum, sed cautè & providè. Cùm Pontifex jubet servari abstinentiam, non jubet, nec jubere potest, quòd occidendo te, violes legem Dei, & contra quintum Decalogi præceptum procedas: non jubet nec jubere potest, quòd periculo mortis te exponas, hoc enim iptum interdicit Deus. Si ex abstinentia sequeretur mors certa, hæc certitudo non diceretur Ecclesiasticæ legis dispensatio certa; nam dispensatio certa non est necessariò præceptiva, & hic necessariò præcipitur non-abstinentia: ergò nec mors dubia.

¹³⁹⁷ His positis meam Ecthesin evidenter, ut opinor, ostendo. Deus præcepit ut te non occidas, nec exponas periculo te occidendi: atqui Ecclesia non potest præcipere contra Decalogum, ergò non datur præceptum Ecclesiæ quod jubeat aliquid fieri cum certâ aut dubiâ vitæ humanæ jacturâ. Ergò non datur præceptum Ecclesiasticum, quo obstringatur æger ut carnis abstinence cum amissione vitæ certâ aut dubiâ: atqui ubi non datur præceptum non requiritur dispensatio: ergò. Imò cùm detur divina lex inhibens, peccaret si abstineret, & peccaret si dispensationem postularet. Peccaret quidem abstinendo, eo modo quo si sumeret venenum dubium, nam in tali casu abstinentia esse dubiè-mortifera supponitur. Peccaretque si peteret dispensationem, quia illa petitio debet supponere dari præceptum carnis interdicens etiam cum jactura vitæ dubia; quod, quia esset contra Decalogum, sine injuria Pontificis supponi non potest.

Hæc doctrina meo judicio est certissima. Diana part. 4. tract. 3. resol. 56. in fine, an sit probabilis alijs judicandum relinquit, at part. 2. tract. 1. 2. resol. 28. dicit, *Mihi placet opinio, & sub finem, est probabilis & ut spero ante annos paucos erit sola; ab eo enim tempore quo cœpit tra-*

di, contrariæ probabilitas videtur paulatim excidere.

COROLLARIUM XLIV.

Quam dubitatur, an consuetudo sit obligatoria, censendum non esse. Si obligatoria supponatur, & dubitatur, mores ne an commoditatem obstringat, censenda merè personalis & mores non tangere. Ita Suarius de legib. libr. 7. cap. 15. Maceratus in summ. D. Thom. tom. 1. tract. de legib. disp. 15. sect. 2. num. 3. Diana part. 1. tract. 10. resol. 30. & part. 4. tract. 3. resol. 58.

Id demonstrat libertatis possessio consuetudine antiquior, adeoque non limitanda aut condemnanda ante-quam certum sit consuetudinem habere vim legis.

COROLLARIUM VL.

In dubio an votum reservatum sit, censendum non esse reservatum, adeoque posse in eo dispensare inferiores Prelatos. Hoc est, In dubio an Pontifici reservatum sit, procedendum ac si reservatum non esset, quia cum reservatio sic limitatio legis, non est præsumenda quousque certò nolcatur.

Aliqui in tali casu ad Episcopum pro dispensatione confugiunt, sed non video rationem inferendi. Considera ipsorum discursum. Dubium est an votum sit reservatum Pontifici: ergo præsumendum est Pontifici non esse reservatum: ergo præsumendum Episcopo reservatum: ergo Episcopus potest concedere dispensationem. Ex antecedenti ad primam consequentiam, & ex tertiâ ad quartam; non autem bene ad tertiam à secundâ transitur. bene enim posset quis dubitare an votum, quod irritari à patre aut ab Abbate potest, sit summo reservatum Pontifici.

COROLLARIUM XLVI.

Quam dubitatur, An incurrerit excommunicationem, debet præsumere se non esse excommunicatum; adeoque audire missas potest & omnia illa facere, quæ solent non-excommunicari. Ratio eadem, quæ hucusque. Quia cum prius fuerit non excommunicatus, non est ejiciendus à suâ possessione antequam certò constet illum esse.

COROL-

COROLLARIUM XLVII.

Quam dubitatur, An fuerit egressus ex excommunicatione, debet præsumere se esse excommunicatum. Do rationem. Ipse erat certò excommunicatus, ergò erat in possessione excommunicatio certa, quæ non cedit absolutioni dubiæ.

Vtrumque casum (ultimum & penultimum) videtur confundere Cornetus in 1. 2. tract. 8. quest. 19. disp. 4. dub. 4. Sed quia consequentiam doctrinæ amat veritas, debuerunt necessariò distinguui.

COROLLARIUM XLVIII.

¹³⁹⁹ **C**um dubitatur, An puer sit baptizatus si staremus pura rationi & juri rigido, non deberet sepeliri in loco sacro. At considerata Ecclesiæ benignitate debet, adeoque semper debet. Esse sepeliendum in loco sacro Homobonus, Bonacina, & Diana part. 4. tract. 3. resol. 69. affirmant cum summâ latitudine; nimirum, seu dubium in conferente fuerit, seu in recipiente, seu in materiâ, seu in formâ; esset in conferente, si de ejus rectâ intentione disputaretur: in recipiente, si baptizatus fuisset secundinâ indutus, aut dubiâ vitâ præditus. In materiâ, si esset aquâ rosaceâ, eam enim carere partibus aquæ naturalis dubium est; In formâ, si ipsa male pronuntiaretur. Cæterum huic rationi nescio an ipsi possint respondere. In omni dubio standum pro possessione, quæ erat ante dubium; atqui ante baptismum dubium, erat peccati originalis possessio; ergò censendus est ille infans non-baptizatus, censendus peccato originali infectus, censendus Ecclesiæ non-incorporatus. Hæc quidem de rigore juris. At Ecclesia neminem vult privare nequidem iure dubio nisi indirectè, hoc est, manu-tenendo alterius filij ius directum. Hic non agitur contra alterum Ecclesiæ filium: ergò propter ius dubium in loco sacro sepeliendus est. Confirmatur à simili. In materiâ civili proprietatis dubia certæ cedit; at videmus multos permitti adire possessionem dubiam, cùm nemo reclamât, cùm certum est alios ne quidem dubiam habere. Sed quia hæc materia est nostra miseria

valde frequens, volo curiosum casum subiungere.

In Civitate N. Dominus N. Pastor de ¹⁴⁰⁰ uno cœmiterij angulo cum quopiam cive iure agebat. Volebat illum Pastor ad cœmiterium Ecclesiæ, civis illum ad hortum suum à multis annis pertinere. Interim cùm moreretur infans baptismo dubio intinctus, Pastor censuit, ut qui baptismo dubio fuerat ablutus, deberet in loco sacro dubio sepeliri; adeoque hortum civis vel inviti adiit & curavit ibi in parte de quâ litigabatur, illum infantem sepeliri. Resolutionem sequutæ variæ hominum censuræ, sed quia plerique risu potiùs quàm verbis mentem suam expresserunt, volui meum iudicium subijcere.

Sentio errasset ametfi lepidè Pastorem, non enim unius privati hominis auctoritas debet privare Patres pueri solamine, & puerum ipsum favore, quem Ecclesia tacitè vel expressè concedit. Reperio enim ibi duo dubia omninò disparata & diversa. Si haberent inter se talem connectionem qualem formæ sacramentorum conditionatæ; quæ ita dubiæ sunt, ut si reliqua sint vera sint veræ, aliàs non sint; esset veræ laudandus. Cùm dico *Ego te baptizo &c. si vivis*. Sicut dubium erat an infans viveret, etiam est dubium an hæc forma sit valida; non tamen accidere unquam poterit in sensu composito quòd & fuerit ille mortuus & hæc valida, aut ille vivus & hæc invalida. At in casu illo Madritensi totum aliter. Poterant in sensu composito hæc duæ positiones esse veræ, *Non baptizatus sepelitur in loco sacro, Baptizatus sepelitur in loco profano*.

COROLLARIUM IL.

Dubius percussor Clerici non debet variari. Ita Hurtadus, Suarez, & Diana part. 4. tract. 3. resol. 71. Rationem sapius dedi. Ille enim qui dicitur percussor, erat in suæ innocentie possessione, à quâ non debet excidere quousque certum sit crimen percussoris.

X x 3

COROL-

COROLLARIUM I.

Qui dubitat, an proximus peccaverit, adeoque an & ipse teneatur adhibere correctionem fraternam, non solum potest sed debet eam omittere. Si de vero dubio loquamur fortè nemo potest dubitare an peccaverit proximus, quia cum ille in suæ innocentiae possessione sit temerè censetur reus sine disquisitione sufficiente. Si dentur graves rationes, cessat dubium, & datur probabilitas. Suppono tamen posse dari dubium in tali materia, (hypothesis vera sit, aut non sit) & assero adhuc præsumendum non peccasse proximum, & correctionem omittendam. Omnis enim correptio pœna & medicina est, quam si adhiberet, se exponeret periculo imponendi pœnam innocenti, dandi medicinam viro sano: quarum illæ si iniustæ, irritant & consternunt, hæc humores turbant; utraq; si imprudenter indulgeantur, nocent; juxta illud elegans & verissimum distichon,

*Temporibus medicina faceret. data tempore profunt,
Et data non apto tempore vina nocent.*

DISPUT. II.

De formulis verborum dubiis.

SVNT & dubia, quæ nascuntur ex significatione verborum, ubi non præcessit possessio pro quâ possit stare. Nam si Prælati tibi iubeat aliquid, & non bene capias verborum sensum, poteris dubitare, & debebis instrui ne in simili difficultate oberres. & ne ad possessionem libertatis confugas, pone Deum creare hominem A, in statu perfecto, & in creationis instanti imponere præceptum, circa cujus intelligentiam hæreat; sanè ad possessionem libertatis & immunitatis non recurret, cum nulla, imò nullus fuerit antequam præceptum haberet. Ut igitur etiam in istis dubijs adjuveris, & securè ducaris.

Dico primò. *Quando lex habet duos sensus probabiles, potes sequi alterutrum, nisi sit altera quæ clarè determinet quisnam sit admittendus.*

Dico secundò. *Quando habet duos sensus*

dubios consulendus est legislator si commode possit: alias favores sunt ampliandi, odia restringenda: Reo favendum, possidenti auxiliandum.

Hinc solventur multæ difficultates, quæ aliàs male expenduntur, & implicant varias quæstiones.

QUÆSTIO I. *In dubio, an censura sit lata, vel ferenda; qualis debet præsumi? Ferenda. Aliàs enim odia ampliarentur, ac restringerentur favores.*

QUÆSTIO II. *In dubio, an verba contineant censuram, quid præsumendum est? Nullam censuram continere. Patet ex dictis quia ex duplici sensu dubio, debet benignior eligi.*

QUÆSTIO III. *In dubio, an verba contineant vim præcepti paterni an religiosi? hoc est, An superior jubeat ut pater ex vi quarti præcepti Decalogi, an ut Prælati religiosus ex vi voti emissi? Tenendum id quod favorabilius, nimirum non jubere in virtute devotæ obedientiæ, aut juramenti præstiti, sed in virtute patriæ authoritatis; adeoque inobedientem peccaturum moraliter, non tamen commissurum sacrilegium.*

QUÆSTIO IV. *In dubio, an sit præceptum morale vel penale? Dicendum esse penale. Benigniores enim leges sunt quæ pœnas imponunt, illis quæ conscientias obstringunt.*

QUÆSTIO V. *In dubio, an debeas obedire statim, an post aliquod tempus? Hoc ultimum dicendum est.*

QUÆSTIO VI. *An qui vorit jejunare in quadragesimâ & dubitat, voluerit ne vovere abstinentiam à lacticiis, teneatur ab illis abstinere? Respondeo negativè cum Angles, part. 1. de jejunio qu. 9. de abstinentiâ à cibo art. 1. dub. 2. Ioanne Salas in 1. 2. tom. 2. tract. 8. disp. unica sect. 25. n. 250. Diana part. 4. tract. 3. resol. 20. cōtra Turrianum in opusc. Theologicis. tom. 1. opusc. 10. disp. 1. dub. 1. ubi docet tutiorem partem eligendam, ac si non sufficeret eligere tutam. Tutior enim, ut jam supra exposui, consulitur, tuta præcipitur.*

QUÆSTIO VII. *An in dubio, utrum causa sit justa, possit superior dispensare? Qui evidentem in dispensatione requirunt, illam tollunt. Cum enim causa est moraliter*

liter certa, nulla dispensatio requiritur. De dispensatione uberius in Commentario meo & Scholio, nunc breviter. si fit evidens, quòd lectio officij divini v.g. grave nocumentum sit illatura ægroto, dispensatione non est opus. Nec opus est, si fit probabile. Sufficit si fit dubium; sive illud dubium ex verborum obscuritate nascatur, sive ex causâ non bene exploratæ virtute. Hæc autem dispensandi in dubijs authoritas residet in Prælati, & non innititur illi principio, *In dubijs standum est pro possessione*, sed favori Pontificis, hanc authoritatem superioribus ad solamen religiosorum concedentis. Videatur Diana part. 4. tract. 3. resol. 44. Vbi iterum moneo, debere hominem, si posset, veram semper verborum intelligentiam acquirere; si id non possit, posse benigniorem amplecti.

DISPUT. III.

De casibus, quos alij Doctores dubios, Author dubij incapaces judicat.

MULTA quidem in dubium scriptores vertere conantur quotidie, quæ extra dubij aleam posita, aut ad certitudinem, aut ad probabilitatem spectant. Si rem bene consideres, multa hic & valde miserè confusa. Sit securissima quæstionum resolvendarum.

BASIS.

Impossibile est dari dubium, timorem, aut scrupulum, ubi intervenit prudentis superioris mandatum. Prudentem, omnem toleratum existimo, non enim video stultos ad officia promoveri, aut semel promotos tolerari; aliud enim est superiorum esse minus prudentem, aliud & omninò diversum, eum esse imprudentem, hoc est talem, cujus mandata debeant necessariò iniqua & inconsiderata præsumi. Exposito igitur Resolutionis sensu, impossibilitatem sic demonstro. Et primò non posse in tali casu dari dubium negativum; id enim subreptit ubi pro neutrà parte est vel levis ratio; atqui in præsentibus est pro præcepto gravis præcipientis

authoritas, unde defumitur gravis ratio quæ potest æquitatem rei præceptæ graviter suadere: ergò dubium negativum in casu hujusmodi dari non potest. Sed neque positivum; ubi enim relucet gravis ratio aut authoritas, id consistere nequit. Ergò nec scrupulus nec timor; quia scrupulus idem est ac dubium positivum; timorque est alterius dubij (positivi aut negativi) pedesequus. Quæ omnia breviter resumens sic discurro. Impossibile est dari dubium negativum, timorem, aut scrupulum seu dubium positivum, ubi gravis ratio aut gravis authoritas stat pro unâ contradictionis parte. Atqui prudentis Superioris authoritas & resolutio gravis est: ergò est impossibile dari dubium, timorem, aut scrupulum; ubi intervenit mandatum prudentis Superioris.

Hanc evidentissimam doctrinam posui ut basin, quæstiones plurimas, quæ hucusque visæ difficiles resoluturus.

QUÆSTIO I.

AN miles dubitans de justitiâ belli possit bellare? Vidi tres Authorum sententias. PRIMA asserit, & absolutè defenditur à Petro Navarrâ, quem citat & sequitur Ioannes Salas 1. 2. D. Thomæ. quæst. 21. tract. 8. disp. 1. sect. 26. num. 272. Viguierius 2. 2. quæst. 40. art. 1. dub. 3. num. 50. & Suarius illam docuit Romæ asserente Tannero 2. 2. disp. 2. quæst. 6. dub. 4. num. 49. SECUNDA negat, & defenditur à nostro Lorçâ 2. 2. sect. 3. disp. 53. num. 7. & Vasquez 1. 2. disp. 66. cap. 9. num. 53. TERTIA distinguit, & subdito militi concedit, negat non-subdito talem militandi licentiam. Et illam tenet Adamus Tannerus, Thomas Sanchez Sylvius, Valentia, Bannez, Iacobus Granado, apud Dianam, part. 4. tract. 3. resol. 7. qui tametsi omnes tres probabiles iudicet, ultimam existimat probabiliorem.

At ego, nego casum esse possibilem: quia totius Reipublicæ & Consilij supremi authoritas gravis est; quâcum, ut vidimus, nec dubium, nec timor, nec scrupulus, componi possunt. Imò & addo hoc ipsum authores universos sentire, tametsi videantur verbis laborare. Nam Diana pro

pro primâ sententiâ hanc rationem adducit; [Dum de iustitiâ belli clarè non constat, semper est præsumendum quòd Princeps bellum indicens iustè procedat.] Infero. Ergò hæc præsumptio gravis est. Quia ut regula morum proponitur, & ista gravi regulâ, non vero levi aut nugatoriâ, regulantur; militare enim res gravissima est, in quâ agitur de hominum vitâ, honore, bonis, regnis, imò nonnumquam animabus: Et quia gravissima, ex causâ levi geri non potest. Ergò Authores primæ sententiæ, cum resolvunt, tollunt casum, & nobis apertè subscribunt. Pro secundâ sententiâ hæc ratio proponitur ab eodem Dianâ [In dubio an res præcepta sit licita, non potest subditus obedire, nisi saltem per extrinseca principia dubium deponat, formans iudicium determinatum quo rem illam licitam esse iudicet.] Et subsumo. Atqui non potest dubium non deponere: ergò non potest illud habere. Probatur minor. Quia non potest ignorare illud bellum geri à Republicâ, nec potest ignorare resolutiones unius Reip. esse gravis autoritatis. Ergò non potest esse in tali casu dubitatio.

Dices. Videmus etiam optimas Respublicas errare in materiâ fidei: ergò etiam errant in materiâ iustitiæ: ergò bellum ab ipsis illatum erit iniustum. Præcipuè si sit propter fidem.

1409 Et respondeo hanc tuam consequentiam vel esse fortem, vel debilem. Si fortis, adhuc stat mea resolutio; quia ubi ratio fortis est, dubium, timor & scrupulus exulant. Si levis, me non urget. Cæterum levem esse demonstro. Quia à particulari nil omninò concluditur. Hæc consequentia est bona, Petrus errat in omnibus: ergò etiam in hoc. Hæc mala, Petrus errat in illo: ergò & in hoc. Bene enim potest stare, quod erret in uno & non in altero. Hinc est, quod error in fide non inferat necessariò alios errores, tametsi probabiliter inferre possit; sed ubi est probabilitas, dubium non est. Est enim diversa quæstio, quæ examinat, An miles possit bellare, cum iustitia est probabilis, ab illâ quæ inquirit, An militare possit, cum est dubia.

1410 Sed inquiris, An ex hypothesi quod dubium esset possibile, standum esset pri-

mæ, secundæ, an tertiæ sententiæ? sanè vix admittenda esset hypothesis, nam si supponeretur bellum geri à Principe prudenti, jam pro belli iustitiâ est gravis autoritas; si ab imprudenti esset videndum, quid consilium, quid Respublica de bello diceret aut sentiret, si enim hæc ipsa ad quiesceret, aut saltem non reclamaret, etiam gravi illud autoritate approbare censenda esset: si reclamaret, gravi illud autoritate reprobare. Sed ponatur dubium, ut volunt, ergò standum est pro possessione quæ erat ante dubium. Atqui erat in possessione penes Principem præcipiendi autoritas, & in subdito obediendi obligatio, ergò miles subditus in tali casu non solum potest sed & tenetur militare. Nomine subditi Sanchez, quem citat & sequitur Diana ubi supra, intelligi debere existimat, primò vasallum etiam non conscriptum, indigenam qui tametsi alibi nati vasallorum conditionem titulo honorum aut habitationis persequitur. Alienigenam jam antea mercede conductum. De alienigenâ, qui nomen vult dare militiæ, sic discuro. Standum est pro possessione quæ erat ante dubium, & à dubio omninò præscindendum, ut superius statui. Atqui ille alienigena antequam illud dubium subriperet, potuit dare nomen huiusmodi Principis militiæ: ergò cum dubia nihil mutant, etiam nunc poterit. Ergo admittâ hypothesi aliâs impossibili, tenenda esset omninò prima sententia.

1411 Sed obiter notabo aliquid quod oculis, dum hæc scriberem, occurrit. Lego enim in Dianâ. [Tannerus asserit Romæ Patrem Suarez primam sententiam docuisse, quia advocatus etiam in dubiâ causâ utriusque parti patrocinari potest.] Noto illud quia, & sive Tanneri, sive Dianæ illud sit, mihi non placet; nam dispar est utriusque ratio, clientis enim non est gravis autoritas, cum sape ignorantibus sint, cum tamen superioris autoritas, sit gravis & magna; ille enim locus viros magnos & prudentes ex naturâ suâ postulat. Vnde tametsi quis negaret advocatum posse in causâ dubiâ patrocinari, non teneretur negare consequenter militem in iustitiæ dubio bellare non posse. Illud igitur quia non videtur

videtur dialecticis principiis respondere, siquidem conjugi potest antecedentis falsitas, cum veritate consequentis.

QVÆSTIO II.

1412 **A**N miles certò sciens causam belli esse injustam possit militare? Respondeo casum esse impossibilem. Bella enim arcano consilio & sine geruntur, nec causa cognoscitur à milite gregario. Supponendum est enim multa arcana militibus celeri, pauca exponi. Owenus nomine Scholastici,

Scire tuum nihil est, nisi scire tuum sciat alter;

ait; & nomine Politici subsumit,

Si sciat hoc alter, scire tuum nihil est.

sapè enim expedit rem ipsam fieri, causas & motiva ignorari. Si dubites, legas libros Politicos. Francisco Guicciardini Hypomnesis I. *Princeps Legati sui operâ alium circumventurus primò omnium Legatum ipsum decipiat, oportet.* Ergò cum in rerum politicarum mysteriis sit recondita veritas, & color solus extrinsecus oculis proponatur: impossibile est, alium præter Principem (aut fortè etiam intimos Consiliarios ipsius, sed & hi solent decipi) cognoscere certò veram armorum causam.

Dices etiam illam posse evidentè inferri; nam Principes manifestationes & justificationes suas curant edi, ne iniqua populo credantur: ergò si causa, quæ publicantur, tales sunt, ut bellum evidentè iniustum credendum sit, necessariò tenendum omissas esse debiliores, quia aliâs imprudenter omissas deberent enim poni, ut clarior esset causa justificationis.

1413 Sed nego manifestationes edi, ne Principes iniqui credantur; id enim non semper omnes curant; nam eduntur, ut potèntius adversarios impugnent. Si Græci haberent cõtra Albanos iustas bellandi causas, secretas tamen, & nihilominus sibi ab aliorum fortitudine & numerositate timeret: possent illis declarare bellum, quod Tarquini filium à Romanis profugum amice receperint. Sanè hæc causa non esset sufficiens, ut bellum diceretur iustum, & tamen aliâs esse iustum supponitur, & hunc colorem quæsitum ut provocarentur Romani Albanos invadere, & Græcos Romanam autoritatem propugnantes juvare.

QVÆSTIO III.

1414 **A**N miles, qui putabat sub labaro iusto militare, si postea evidentè sciat sese gessisse bellum iniustum, teneatur licentiâ militari sublata, restituere? Afferit Sylveiter verb. Bellum x. q. 9. conc. 3. negat Merolla tom. 1. disp. 3. c. 3. Collor. 22. n. 334. dicens non teneri consumpta reponere, sed illa solummodò quæ exstant; & illa quorum communionem aut venditionem factus est locupletior. Et ratio Merollæ est; quia cum non peccaverit in accipiendo, non est obligandus ad restitutionem. Sed hæc ratio sufficiens non est, nam si non peccavisse sit ratio ob quam non tenetur consumpta restituere, nec tenebitur restituere non consumpta; quia etiam hæc substat sine peccato. Et si utrumque aut alterutrum verum, etiam erit verum eum qui consumpserit pecuniam alienam putans esse suam, non teneri ad restitutionem, quia & iste in illa consumptione non peccavit. At ego nego casum esse moraliter loquendo possibilem: quia, ut vidimus, nunquam panduntur arcana rerum publicarum.

1415 At casus ut urgeat sub his terminis deberet proponi: In Republica N. ubi regimen est Aristocraticum, quinque penes quos erat imperij clavum, declararunt bellum tali Regi. Petrus militiae dux fortiter bellum illud gessit, multos occidit, multos expoliavit, dives effectus est, & uni Quinqueviro defuncto ad Quinqueviratum adsumptus, causas belli clarissimè cognovit (antea enim & aliâs nõ poterat) insufficientes omninò & improbabilis iudicans, quid sit ipse factururus, me consultit. Primò, an teneatur bello partâ restituere? Secundò, an debeat admitti ut bello finis imponatur?

1416 Respondeo, debere eum primò apud alios Quinqueviros rationes suas proponere, & iudicium proferre: quæ vel luce meridiana clariores & evidentiores, aut aliquam habent connexam dubitandi occasionem vel causam. Si tam evidentes ipsæ, ut sine contrariæ partis formidine eas illegitimas firmare juramento possit, videndum, an sit æquè evidens non dari aliâs rationes, nam in Senatu etiam contingit

tingit aliqua junioribus celari & solummodo tractari à senioribus. Si igitur evidenter sciat causam esse illegitimam, evidenter sciet bellum esse injustum, & tenebitur primò pacem procurare, secundò ut Respublica injustè militans innocentibus afflictis & exspoliatis satisfaciatur. Cæterum cum Respublica solvendo sit, non video cur simplex miles teneatur ad restitutionem. publico enim usurario & publico latroni possum alimenta vendere, & tamen illam pecuniam non teneor illis restituere à quibus sustulit: ergò & miles potest suum laborem à fortiori etià vendere, & recipere stipendium à Principe quem non putat latronem & usurarium, sed justum; & si postea cognoscat bellum non fuisse justum, non tenebitur ad restitutionem, etsi stipendium penes ipsum in specie sit, sed poterit illud tutà conscientia retinere. Si spoliavit hostes contra Superioris sui voluntatem, etiam si bellum justum sit, ad restitutionem teneatur; sed si illis jubentibus aut aduentibus, illa spolia in stipendium convertuntur; nec debet illa restituere; quia ipse non abstulit, nec ab hostibus recepit, sed Respublica est quæ abstulit; & à qua ipse recepit. Hoc ut clariùs reluceat ipsummet spoliatorem contemplator. Hostis divitias diripit: sed quo nomine? quæ autoritate? privatâ an publicâ? verè publicâ. ergò si Reipublicæ nomine, ipsa est quæ hostem spoliat *ut quod*, miles *ut quo*. Sed quia miles spolia sibi retinet, etiam inquiri, quâ illâ autoritate retineat? verò publicâ. ergò Respublica illis ista dat; ergò illa, non ab hoste, sed à Republica recepit. Respublica igitur tenebitur restituere, si hostis injustè spoliatus sit, non miles singularis.

¹⁴¹⁷ Cæterum, si suspicetur junioribus aliqua celari in Senatu; aut causa non sit tam evidens ut lucem meridianam excedat, videns alios quatuor in priori opinione persistere, potest prudenter credere faciliùs posse unum experientia & praxi destitutum falli, quam quatuor longâ experientia doctos, & in negotijs jam à multis annis versatos, adeoq; non solum tutâ conscientia potest illis acquiescere, sed prudentiùs acquiescet, est enim inde-

cens, quòd ad Senatum promotus statim seniores de ignorantia & injustitia arguat & velit solus æquus & peritus videri.

QVÆSTIO IV.

¹⁴¹⁸ **A**N *Ministri Principum, si dubitent de justitia sententiæ, possint aut teneantur eam exequi?* Posse sentit Martinez 1. 2. tom. 1. quæst. 19. art. 6. dub. 5. conclus. 2. Sed ego præmissis principijs insistens nego casus possibilitatem. ubi enim est Principis autoritas, ibi gravis ratio saltem ab extrinseco reperitur, & ubi ratio aut autoritas gravis, ibi nec dubium, nec timor, nec scrupulus. Dicendum igitur est, ut minimum, probabile esse sententiam latam esse justam. ergò & possit Ministris executioni mandari.

Sed major est difficultas si an teneantur, inquiras. Et respondeo cum Martinez, cui videtur Diana consentire, teneri. quia Ministri non est disputare cum domino, sed obedire. aliàs enim Respublicæ essent miseræ, si Ministris esse inobedientes liceret.

QVÆSTIO V.

¹⁴¹⁹ **A**N *subditus, dubius de legitima Prælati potestate, possit non obedire?* Respondeo negando casum esse possibilem; quia, si ille est in possessione, & toleratur, habet pro sua autoritate & jurisdictione gravem & probabilissimum titulum, qui omne dubium excludat.

Sed quia in tali casu adhuc maneret probabilis Superioris autoritas, inquiris, An subditus obedire teneatur? Affirmat Thomas Sanchez in *Summ. tom. 2. lib. 6. cap. 3. num. 29.* negat Vasquez 1. 2. qu. 19. art. 6. disp. 62. c. 6. sub finem. Et Salas 1. 2. qu. 21. tr. 8. disp. un. sect. 8. num. 78. Vtramque æquè probabilem censet Diana *part. 4. tract. 3. ref. 8.* Et ego si rationes solas considerem, hanc ultimam tenendam existimo, prior enim præter autoritatem & nomen Thomæ Sanchez nihil habet. Nostra assertio probatur. Quia si esset certum quod Superior non haberet autoritatem, esset certum quod non tenereris obedire. ergò si est probabile quòd non habeat autoritatē, erit etià probabile quòd non tenearis obedire.

non eris

non eris ergò imprudens nec temerarius si ei obedientiam neget; non enim temerarius aut imprudens, qui sequitur opinionem probabilem.

¹⁴²⁰ *Dices.* Nemo potest exspoliari possessione propter moram opinionem probabilem: ergò quamdiu non scis certò superiorem non habere autoritatem legitimam, debes ei obedire. *Respondeo* posse dari duplicem rerum statum; alterum, in quo homines nihil decernant de possessione probabili; alterum, in quo statuant neminem privandum possessione sine causâ certâ & evidenti. In hoc secundo verum est antecedens, falsum in primo. Adeoque & eodem modo distinguendum est consequens. Stando rei naturæ falsa est consequentia; at si daretur Religio, in quâ esset lex obediendi Superiori probabili, ingressus talem Religionem, censendus esset cessisse proprio jure, adeoque etiam probabili Superiori obedientiam debere.

QVÆSTIO VI.

¹⁴²¹ **V**trum *subditus, si dubitet an res præcepta sit licita, teneatur obedire.* Stando meis principijs nego casum esse possibilem; non enim dubium, timor, aut scrupulus est, ubi adest Superioris autoritas, quæ ni aliundè evidentiâ aut revelatione elidatur, debet gravis censerì.

Ex hypotheli quòd casus sic possibilis, negativam sententiam tenet Vasquez, affirmativam Sanchez, Azorius, Valentia, Suarez, Molina apud Dianam *part. IV. tract. III. ref. IX.* qui Vasquezij sententiam amplectitur in casu quo obediendo sibi aut proximo grave damnum illaturus sit, & addit pro hac sententiâ Aragonium, Medinam, Henriquez, Lessium, & alios. Sed, ut video, hi Authores dubium eum probabilitate confundunt, & jam scimus ex probabilitatis natura procedere, quòd operaturus possit sequi alteram partem.

¹⁴²² Sed inquit. Favendum est reo: ergò si interrogeris à superiori & dubites, an legitime te interroget, debes tacere. Quia reus est in extremâ necessitate. Et respondeo illud antecedens, si agatur de probabilitibus, distinguendum; nam si detur

lex, quæ jubeat stare pro reo in omni probabilitate, qui acceptarunt huiusmodi legem, tenebuntur illud antecedens concedere: secus si lex talis non detur, tunc enim regnat probabilitatis libertas. Si agatur de dubijs, etiam dubium est utri potius debeas, Reipublicæ an reo favere, præcipuè si non sit causa sanguinis; in dubijs enim potioris pars potior est, & Respublica potior est reo. Subsumitur reum esse in extremâ necessitate, & non urget, quia etiam est in gravi necessitate Respublica, cui succurritur scelestorum hominum condemnatione. Adeoque si dentur leges, quæ decernant non posse in causâ probabili aut dubiâ reum condemnari, standum illis omninò est, aliàs bene videndum cur probabiliter iniquus debeat præponi Reipublicæ certò-innocenti. Sæpe quæstiones similes exilium & proscriptio decidit. Si dubium sit, an Petrus Reipublicæ noceat; iniuste excidio condemnabitur, iuste exilio. Eo enim in exilium misso Respublica tuta servatur.

QVÆSTIO VII.

¹⁴²³ **A**N *teneatur obedire subditus, cum ipse semet Superior dubitat?* Ita Castrus Palaus tom. 1. disp. 3. punct. 13. num. 13. Diana *part. 4. tract. 3. resol. 9.* contra Henriquez, Cordubam, utrumque Ledesman, Lopezius, aliosque. At nos chordæ eadem insistenter quæstioni respondemus, dicendo. Primò, repugnare ipsummet Superiorem si toleretur, de suâ jurisdictione dubitare. Quia & possessio & toleratio sunt graves tituli, qui possunt constituere probabilitatem, quamdiu nec in evidentiâ nec in fidem impingant. Secundò, si ipse Superior dubitet de æquitate materiæ, aut de jurisdictione suâ circa talem materiam, & aliæ rationes non suppetant, poterit legitime illam præcipere, ipse enim est in possessione jubendi, nec debet ab illâ ante certam limitationem excidere. Sed & subditus est in suæ libertatis possessione, quâ, non nisi certa obligatione privari debet.

Sed dices hoc dissidium ex vtrâque parte justum, in religioso non posse reperiri; quia cum votum obedientiæ emisserit, est in possessione obediendi obligatio. *Re-*

pondeo nullum esse, qui obedientiam omnimodam promiserit; ergo nemo, qui non sit in possessione suae libertatis circa illa quae non promisit.

QVÆSTIO VIII.

1424 **A**N qui bonâ fide matrimonium contraxit, & postea dubitat de contractus valore, possit reddere & petere debitum? Teneri reddere debitum, non tamen posse petere, asseruere apud Dianam *part. 4. tract. 3. resol. 15.* Basilis Pontius, Montefinus, Valquez, Hurtadus, Rebellius, Turrianus, Pefantius, quorum resolutionem probabilem putat Diana & multi alij, qui contrariam opinionem sequuntur, & dicunt ante diligentiam adhibitam ad adsequendam veritatem teneri coniugem dubitantem reddere debitum, non tamen posse petere. At sufficienti diligentia adhibitâ, si adhuc dubium maneat, posse reddere & petere. Istis subscribunt præter citatum Dianam Sanchez, Suarez, Henriquez, Emanuel Sa, Sotus, Bannez, Coninck, Ioannes Wiggers, & Petrus de Lorca. At nos plus rationi, quam auctoritati deferendo, stamus nostris principijs, & casus possibilitatem negamus.

1425 Ille dubitat negativè, inquam, qui nullam habet rationem asserendi, nullam negandi, ille positivè, qui habet aliquam, levem tamen. Atqui conjux, qui contraxit bonâ fide, habet rationem gravem asserendi matrimonium esse validum: igitur nec positivè nec negativè poterit dubitare: Quamdiu igitur non constet evidenter matrimonium fuisse invalidum, prudenter credet validum; & invalidum diceret imprudenter. Cum igitur sciat se bonâ fide processisse, censendus est esse in possessione legitimâ, & posse uti suo jure (nempe, petendi & reddendi debitum) quousque constet evidenter contrarium. Si contra quietam possessionem rationes leves occurrant, ut scrupuli rejiciendae sunt, nam inquisitio in materiâ gravi res gravis est, nec ex levi causâ insituendâ. Si occurrant graves, non derogabunt iuri adquisito bonâ fide, sed inducent obligationem inquirendi veritatem, si invenibilis certò credatur. Nam si res obscura sit, nec major claritas haberi possit, nihil in-

quirendum est, nam qui luce caret, quamdiu scit se esse in altis tenebris constitutum, & videre non posse, non tenetur oculos aperire. Si adsit certa inveniendae veritatis spes, tenebitur disquisitionem facere, prudenter tamen; nam posset nocere sibi & alteri coniugi, si procederet incaute & imprudenter. Dum rem examinat, potest quietè & pacificè uti corpore conjugis tam petendo quam reddendo debitum. Et ratio est, quia nemo debet à pacificâ possessione deijci sine evidenti causâ: ergo quousque evidens detur standum pro possessione est. Ergo si pro possessione, pro usu. Nam quamdiu est verum dicere, *Petrus & legitimus maritus Antonia*, est etiam verum, *Petrus potest petere & reddere debitum, ni voto obstrictus sit.* Et post matrimonium contractum bonâ fide, si obijciatur ratio evidenter invaliditatem demonstrans, illa prior propositio [*Petrus est legitimus maritus Antonia*] erit falsa, & cessabit quaestio. Si ratio probabilis, erit probabilis illa propositio; & in purè probabilibus nemo condemnat possessorem. Si ratio levis obijciatur, ita erit circa illa propositio, ut contraria debeat dici improbabilis.

Confirmatur. Habens præciosam vestem à multis annis aut diebus putans sincerè esse suam, tametsi postea occurrant rationes, quibus videatur probari illam ad alium spectare, non tenebitur illam alteri tradere antequam evidenter sciat esse illius. Nec alter poterit impedire usum illius vestis, quousque suam esse clarè & evidenter demonstrat. Ergo similiter, si habet à multis annis diebusve uxorem putans sincerè esse suam, tametsi postea occurrant rationes, quibus videatur probari illam ad alium vitum spectare, non tenebitur illam illi tradere antequam evidenter sciat esse illius; nec alter poterit impedire ne primus possessor illâ utatur, antequam non esse illius demonstrat.

Nec rationes apud Authores repertae aliquid probant contra propositam resolutionem, nam Hurtado facili negotio respondebimus.

In dubijs tutior pars est eligenda, inquit, & subsomit, sed conjugi dubio (sive bonâ

bonâ sive malâ fide contraxerit, sive sit dubius ante sufficientem diligentiam, sive etiam post) tutius est non petere debitum, quia petendo se exponit periculo peccandi contra castitatem, & eidem conjugii tutius est reddere debitum, quia non reddendo se exponit periculo injustitiæ, ex justitiâ enim tenetur illud reddere, & reddendo se exponit periculo fornicationis quæ est contra castitatem, & fornicatione injustitia gravius peccatum est. Ergo conjux in tali dubio constitutus petere non potest, tenetur tamen reddere.

1428 Sed, ut verum fatear, vix est verbum in toto illo discursu, quod placeat. Si concedam in dubijs tutiorem partem eligendam esse, non urgebor, negabo enim posse dari conjugem dubium, nam cum ratio quæ à pacifica possessione & bona fide desumitur gravis sit, qui illam habet non est dicendus carere ratione gravi; & qui gravi, non caret, non est dubius; dubium enim cum gravi ratione non compatitur. Sed neque necessariò concedendum in dubijs esse eligendam tutiorem partem, sufficit enim eligere tutam, nemo enim tenetur facere meliora: cuicumque enim Christiano sufficit à malis abstinere, & bona facere; unde tametsi meliora consulantur, bona solum, nempe illa, quæ sine culpa omitti non possunt, præcipiuntur. Sed esto teneamur tutiora facere; an præcepta rem ipsam physicam, an moralitatem respectant? moralia ipsa, & procul dubio respectura sunt moralitatem. Non ergò eligeret minus tutam, qui se exponens periculo peccandi materialiter, cavet sibi peccatum formale & morale; nec tutiorem eligeret, qui cavens sibi peccatum materiale, se exponit periculo peccandi formaliter & moraliter. Doctrinam explico, & casum propono. Paulus, ne ureretur, & ad alienas foeminas accederet, duxit uxorem bonâ fide. cognoscit fragilitatem suam, & moraliter certus asserit se usurum fuisse alienis si caret suâ; ergò constitutus in dubio circa valorem matrimonij, si non petat debitum & abstineat à sua uxore, reddit se securum ne committat fornicationem materialem (materialiter enim fornicatur,

si ad non-suam accederet, antequam evidenter sciret non esse suam) & tamen se exponit periculo formali & moraliter fornicandi aut adulterium committendi cum alia. Ergò si pars moraliter & formaliter tutior esset eligenda, deberet Paulus petere debitum, hoc enim moraliter consideratâ suâ fragilitate tutius est.

Præterea illa distinctio inter petitionem & redditionem, non videtur tute poni. ratio enim quæ probat non posse peti debitum, probat non posse reddi; & quæ posse reddi, etiam posse peti persuadet: vel si dubites singulas examinemus.

Si enim Paulus non potest petere, ideò erit, quod positus illis circumstantijs debet supponere non esse veram hanc positionem, *Antonia est mea uxor*, nam si posset prudenter supponere hanc positionem esse veram, posset procul dubio etiam petere. nemo enim tenetur non petere ab uxore suâ, ni voto aut juramento impediatur. Atqui si supponat hanc positionem non esse veram, non potest reddere, quia quamdiu illa positio non est vera, non licet debitum reddere. ergò.

Similiter urgeri potest è contrario. Quia si potest reddere, potest etiam judicare Antoniam esse suam, & stante hoc iudicio etiam potest petere. Vnde infero malè inter redditionem & petitionem ab Hurtado & affectis ejus distingui.

Dices. Potest dari casus in quo maritus possit reddere, non tamen petere: non ergò malè ab Hurtado redditio à petitione distinguitur. Probas antecedens, Nam conjux, qui vovit castitatem tenetur non petere, & simul tenetur reddere.

1430 Respondeo, nullum conjugem posse vovere adæquatè castitatem, adeoque qui voveret aut juraret non redditurum esse, peccaret mortaliter vovendo aut jurando, & non obstringeretur juramento; esset enim votum contra justitiam. An possit vovere aut jurare se non petiturum non examinabo, facilius est enim condonare, quam resolvere; & nemo ignorat stando communibus moribus patriæ non esse laudabile virum nunquam condormire suæ uxori, & non laudabilia non possunt juramento firmari. unde si

condormire semper aut aliquoties debeat, idem erit jurare se non esse petiturum, ac jurare se velle esse in proximo peccandi periculo. vel si hoc non est verum, erramus universi asserendo nimiam familiaritatem feminarum esse periculosam, nam si in concubitu nullum reperitur periculum, nullum in cohabitatione solius cum sola reperietur.

¹⁴³¹ Addo ex suppositione, quod quis conjux validè voverit castitatem, esse rationem disparem, quia tunc illa impotentia petendi debitum non nasceretur ex ipsamet substantia matrimonij, sed ex aliqua ratione extrinseca nempe ex voto aut juramento, petitionem non verò redditionem respiciente. *His igitur sic examinatis ponamus aliquot Conclusiones, quæ materiam valde necessariam delucidant.*

¹⁴³² Prima sit. *Qui contraxit matrimonium bonâ fide, si nullæ novæ rationes occurrant, non poterit dubitare de valore matrimonij sine nota temeritatis.*

Secunda. *Si occurrant leves, non poterit dubitare, quin temerariis censeatur.* Patet utraque, quia, in utroque casu standum est pro possessione, ex qua potest defumi ratio gravis, quæ contra omnem levem, debet certitudinem parere.

Tertia. *Si occurrat ratio fortis, non tamen evidens, tunc erit probabile matrimonium, & quia probabilitas neminem necessitat, poterit sequi alterutram partem, stando foro merè interno, & abstrahendo ab omni lege humanâ.* Consultò humanæ legis memini; quia in Republica, ubi datur lex, ut nemo antequam vincatur per sententiam judicis à possessione detrudi possit, qui in tali Republica habitant, videntur compromittere & legem acceptare; adeoque in tali casu conjux non poterit conjugem à domo dimittere ob meram probabilitatem: & videtur talis lex reperiri in omnibus Rebus publicis bene gubernatis. An humanæ etiam leges eum obstringant, ut in probabilitate teneatur reddere debitum; difficile est. Nam si darentur, & acceptarentur, procul dubio obstringerent. unde examinandum, esset quale jus conjux habeat in corpus alterius; nimirum, an jus in re, an verò in rem. Si primum dicatur, legibus, in

possessione defendetur; si secundum; aliter defendi poterit in libertate.

Quarta. *Si occurrat ratio evidens nullitatem matrimonij persuadens, nec petere, nec reddere poterit.* Est clara. non enim aut reddere aut petere potest quis licitè, cum scit se non esse conjugatum.

Quinta. *Qui contrahit malâ fide, modo incerto & dubio (distinguo dubium à probabili: sunt enim res toto cælo diversæ) si conjux & alij, qui adstiterunt contractui, sint prudentes, & tamen judicaverint esse validum, eorum sententia subscribens poterit formare judicium probabile. Si autem tales sint, de quorum prudentiâ diffidamus, aut si prudentes, ipsi etiam dubitent, supponendum est matrimonium esse nullum, adeoque nec poterit debitum reddi nec peti, quousque re melius examinata credatur illud fuisse aut certum aut probabile.* Patet: Quia ante matrimonium illud; erat in possessione lex sexta Decalogi accessum ad illam faminam interdicens: ergò standum in omni dubio pro ista possessione. matrimonium enim est quasi hujus legis dispensatio, & scimus non posse hominem operari contra legem certam intuitu dispensationis dubiæ.

QVÆSTIO IX.

¹⁴³⁴ **S**I sint duo aut plura horologia, in quorum uno insonuerit duodecima noctis, at in altero nondum, Inquiritur, An qui dubitat, utrum melius regulatum sit, possit comedere adhuc carnes die Iovis, aut incipere comedere carnes die Sabbati: & si in horarum interstitio comedat aut bibat, possit non obstante hoc dubio, die sequenti celebrare aut Sacram Eucharistiam recipere?

Sentio casum esse impossibilem, si de horologijs bene gubernatis agatur, quia talia inducunt horam probabiliter, & quia graves causæ, illis reguntur, creduntur habere gravem auctoritatem; & ubi auctoritas aut ratio gravis existit, dubium exulat. Adeoque existimo in tali casu proscripto omni dubio, dari dictamen probabile ex vi cuius, omnia possent fieri, quæ rogantur. Sanè omnia esse licita, tametsi ex alijs fundamentis sensit ante me uterque Sanchez; Thomas quidem de matrim. tom. 1. lib. 2. disput. 41. num. 40.

num. 40. Ioannes autem in select. disp. 53. num. 3. Subscribunt illis Fagundez, Pharaonius, Vega, Villalobos, Merola, & Salas, quos sequitur Diana part. 4. tract. 3. resol. 19. Consultò egi de horologijs bene regulatis, hæc enim vicem gerunt probabilium opinionum, non tamen gererent si essent malè regulata, ut optimè notavit Villalobos in Summ. tom. 1. tract. 1. difficult. 21. nu. 7.

¹⁴³⁵ Dabo tamen verba Merollæ tom. 1. disp. 3. cap. 3. Corollario II. nu. 139. ut candidus Lector videat, non esse idem habere bona fundamenta, & bene discurre. Certissima principia supponit Merolla, & ex illis discurret contra Ethicæ principia certissima, ac si veritas contrarietur veritati. inquit sic [*Falsum est, id quod subdunt aliqui (dicat ferè omnes, aut omnes docti nullo excepto) quod scilicet si diversa sint horologia, & unum sonuerit horam mediæ noctis, aliud verò non, potest, qui tunc solvit jejunium naturale, communicare sequenti die, quia est veluti si essent duæ rationes aut opiniones probabiles: liceret enim alterutram illarum amplecti. Hoc, inquam, falsum est, quia in pari causâ melior est conditio præcepti possidentis, & opiniones probabiles sunt tantum speculativæ, & ideo homo tunc debet se gerere ac quando factum est dubium.*] & ex his concludit standum negativæ parti.

¹⁴³⁶ Ego autem præmissâ debitâ admiratione, horum terminorum connexionem non capio, & tamen condoleo dari virum, qui suæ animæ & ingenij libertatem velit malleo unius campanæ subdere etiam malo regulato. Consultò illud etiam pono, quia Merolla inter horologia bene & male regulata non distinguit. nos verò sic putamus necessariò debere controversiam resolveri. Dicimus enim

¹⁴³⁷ Primum, *Horologia, quæ male regulata dicuntur, non habere auctoritatem opinionis probabilis.* unde inferimus non posse probabiliter dici esse mediæ noctem, quando in ipsis hora duodecima pulsatur; adeoque ni alia testimonia urgeant, supponendum non esse in rerum naturâ hæc horologia. Aut dicat mihi Merolla, cur potius debeam credere horologio male regulato, quam piftaco mihi mediæ

esse noctem dicenti? an mea conscientia, quæ bene gubernari debet, pendebit à causis malè gubernatis.

¹⁴³⁸ Secundò, *Horologia, quæ bene gubernata dicuntur, habere vim opinionis probabilis.* Aut dicat mihi Merolla quid ego facturum essem die Iovis, si cum mulæo egrederer, audirem unum famulum dicentem esse horam noctis primam, alterum esse undecimam? Deberemne causam ab extrinseco decidere? Sanè non possem: quia sæpè de quatuor aut pluribus horis dubito chartis meis impallefcens. sæpè admoneor, & scio esse duodecimam quia admoneor, aliàs affirmaturus esse novam, aut fortassis octavam. Hæc est mæseria mea: fortè campanarum malleos alij melius agnoscunt. ad rem venio. Discere vellem à Merolla utri famulo crediturus essem, an illi qui undecimam, an illi qui primam assereret? & si alicui, cur potius uni quàm alteri. uterque fidelis & diligens est, imò quia meâ sententiâ æquales, non est ratio ob quam uni negem assensum, tribuam alteri. Vtrique igitur probabiliter debeo assentiri: credere eos sic putare, errare tamen posse, quia homines. Igitur si duo homines sine instrumentis habent vim probabilium opinionum, nobis deberet ostendere Merolla cur ipsi homines si utantur instrumentis, aut instrumenta (horologia instrumenta sunt) si ab ipsis bene dirigantur, non habebunt probabilium sententiarum virtutem.

¹⁴³⁹ Tertiò, *Probabilitatem natam ab horologijs esse practicam.* & hoc statuo contra ultima Merollæ verba; oppressus enim rationis præcedentis pondere probabilitatem negare non audent, sed ait merè speculativam esse. & ego monstrabo evidenter esse practicam, & arguo sic. Evidentia moralis seu certitudo nata ex horologijs est practica: ergò etiam probabilitas. Probo præmissam; quia in horologijs bene regulatis certum est quod non devient per duas horas. ex hac certitudine nascuntur hæc positiones practicæ & veræ, *Quando die Iovis auditur noctis decima possunt carnes comedi. Quando auditur secunda post mediæ noctem diei Sabbati possunt etiam.* Ergò. Merolla admittet consequentiam,

sequentiam, aut dabit evidentissimam disparitatem. His positus arguo breviter sic. Certa horæ notitia est semper certa practicè, ergo probabilis, est probabilis practicè. Quid ad ista Merolla? ipse viderit.

¹⁴⁴⁰ Quartò, *Hac positio, in pari causa melior est conditio possidentis, vera est.* addo tamen, *Hac positio, in probabilibus standum necessariò pro possessione, falsa est.* Ratio est, quia non tenemur facere meliora, sed bona; & tamen etiam in probabilibus melior sit conditio possidentis, possumus, ni lege obligatoriâ impediamur, stare pro non possidente, cuius conditio tamen non sit melior, est tamè bona. In hoc enim præter alia dubium à probabilitate distinguas, quòd in dubijs conditio possidentis non sit dicenda melior, sed simpliciter bona, conditio enim non possidentis mala est. adeoque in dubijs absolute docemus pro possessione omnino standum.

¹⁴⁴¹ Quintò, *Et si in probabilibus standum esset pro possessione, dicendum esset errare Merollam.* Et hoc etiam videtur mihi clarissimè monstrari. nam possessio stat pro die priori, nec quis tenetur credere esse crastinam, ni clarissimè constet, & tam clarè, ut possit iuramento firmare; illa enim asserta, quæ non possunt iuramento firmari, certa non sunt; & dies prior non debet veram perdere possessionem ante principium certum die sequentis. Et etiâ possessio stat pro non-præcepto. die enim Iovis nõ est præceptum carnes interdicens, imò est permissio comedendi carnes; ergò hæc ipsa est in possessione, ergò manuteneri poterit, quousque sit evidens incepisse obligare præceptum, hoc est, quousque sit evidens esse aliam diem.

Sextò, *Et si in dato casu deberet se homo gerere ac in dubio, non esset audiendus Merolla.* Quia cum in dubio standum sit pro possessione, & in possessione sit dies Iovis, & permissio comedendi carnes, dicendum esset esse diem Iovis, & carnes adhuc posse comedi.

¹⁴⁴² Præterea siquidem non habemus duos Deos, eodem modo, quo de odiosis, sic de favorabilibus philosophabimur, imò de istis deberemus benignius. ergo teste

Merolla, si standum primo horologio est, possemus die Sabbati carnes comedere cum placeret stulto alicui custodi, qui horologium civicum præcipitaret; vel saltem possemus cum primum audiretur, vel dicendum ad mentem Merollæ favores restringendos, odia amplianda.

Hæc dicta sint, ut videamus qualiter adhuc positus bonis principijs solent exorbitare, qui volunt videri severi, cum potius deberent veritatem inquirere, sive laxi sive stricti dicantur.

¹⁴⁴³ Septimò, *Non credo probabilitatis terminos primo, & ultimo horologio determinari,* non enim auderet quis jurare ante primum non fuisse mediam noctem, aut non fuisse post ultimum. Aut ostendas, cur fieri non possit, ut omnia post mediam noctem hodie, & post mediam noctem omnia cras horologia horam duodecimam insinuent? Huc respiciebam in Commentario in Regulam D. Benedicti, cum num. 1328. egi de horologijs, ubi expenduntur hæc asserta. PRIMVM, *Nullum horologium est infallibile, ideoque nulli necessario est standum.* SECUNDVM, *Omnia horologia habent vim opinionis probabilis, nisi ita exorbitent, ut eorum error clarè & evidenter cognoscatur.* TERTIVM, *Horologia accurata horæ quadrante à veritate deviant.* Intuli in pago, ubi non esset nisi unum horologium, posse, si bene regulatum illud sit, constitui terminos mediæ noctis probabiles à quadrante antequam audiatur duodecima, in sequentem quadrantem. Et quidem mathesin profiteor, & tamen non auderem majorem mihi ab horologijs civicis promittere securitatem. Lege Tychonem, Keplerum, Wendelinum, & videbis nonnumquã optima horologia à Viris in Astronomia versatissimis directa, mediâ horâ integrâ ab ipso cælo exorbitare. multas periodos quas in adversaria conjeceram, non adjungo, hæc enim scribens illis careo. Lege etiam quæ in Comment. illo meo subiungo, affirmans præcepta Ecclesiæ esse moralia, agereque de horis moralibus non de mathematicis, quæ in summa præcisione consistunt.

QVÆ

QVÆSTIO X.

¹⁴⁴⁴ **V**trum facta sufficienti diligentia, an res sit sua, possit possessor bonæ fidei adhuc dubius illam retinere & alienare? Sub his terminis proponitur à Diana parti. 4. tract. 3. resol. 25. & citat Authores pro utraque contradictionis parte; at ego demonstrabo casum esse impossibilem, si de vero dubio agatur. ratio enim, quæ à possessione & bonâ fide sumitur gravis est, & gravis ratio nequit cum dubio (negativum aut positivum sit) componi. & ideo in hac materia sic discorro.

¹⁴⁴⁵ Primò. *Possessor bonæ fidei, non debet ob quemcumque levem scrupulum turbari & inquisitionem instituere.* & persuadeo. Charitas incipit à se ipsa, ergo quia proximus ipsemet tibi, non teneberis inquisitionem contra te instituere in casu in quo non teneretur tuus Superior: atqui debent dari rationes graves antequam Superior teneatur inquisitionem contra subditum facere: ergò.

Secundò. *Possessor bonæ fidei, si occurrant motiva gravia, debet examinare an forte res illa ad alium pertineat, si putet se posse veritatem adsequi. Et quamdiu examinat, non poterit illam alienare:* quia probabilitas sua certitudine futura creditur elidenda. Ita Villalobos in summ. tom. 1. diff. 20. n. 4. Et alij. Si tempore quo examinare poterat, omisit examen, peccavit mortaliter. & si transiverit ad tempus in quo veritas sciri non potest, nemini tenetur restituere, sed potest stare pro sua possessione asserente Bonacina de contract. disp. 1. qu. 2. punct. 2. num. 8. cui probabiliter adherent Castrus Palaus tom. 1. disp. 3. punct. 2. num. 9. & alij.

¹⁴⁴⁶ Tertiò. *Adhibitâ omni diligentia, si rationes illæ graves contra possessionem repertæ in suo vigore maneat, cum evidentes non sint, dicendæ erunt probabiles:* ergò & possessio erit etiam legitima probabiliter. Ergò poterit jam rem retinere, & alienare. Ita tenent Villalobos, Coninck, Azorius, Vasquez, Salas, uterq; Sanchez, Molina, Valentia, Salonium, Bannez, Merolla, Diana, qui ubi supra asserit esse communem Doctorum opinionem. Probatio ex natura probabilitatis desumitur, quia stari

potest pro possessore in omni probabilitate. Quod etiam potest confirmari. Nam conscientia tutâ & securâ potest quis retinere, quidquid lege & in foro exteriori permittitur. atqui in foro externo possessor probabilis non spoliatur. ergò nec in interno. Probatur major, quia forum internum externo debet confirmari, ubi externum falsæ præsumptioni non innititur, asserente Merolla, utroque Sanchezio, Salas, Suario apud citatum Dianam.

Quartò. *Si adhibitâ sufficienti diligentia verus & certus dominus compareat, debet res ipsi restitui.* Ita omnes. Tunc dicitur verus & certus dominus comparere, cum tam clarum est eum esse verum & legitimum dominum, ut probabiliter negari non possit. nam si possit, iterum manet probabilitas, & in probabilitate nemo est necessario expoliandus. Volunt aliqui, ut concordet cum domino probabili probabilis possessor. & ego non semper suaderem, nam vel affulget spes quòd olim certus dominus cognoscetur vel non. Si non, non est cur concordare desideret, concordia enim prodesse non potest, nec defectus concordia nocere. Si affulgeat talis spes, poterit iure cogi ne rem alienet, & tunc erit utilis talis partium concordia.

¹⁴⁴⁷ Quintò. *Si adhibitâ sufficienti diligentia verus dominus non comparuit, & bonæ fidei possessor rem consumpsit, aut vendidit, aut dedit, ita ut nec ipsa nec ipsius pretium apud huiusmodi bonæ fidei possessorem remaneat, nihil tenebitur vero domino restituere; at si factus fuerit venditione aut commutatione locupletior, tantum dare tenebitur quatenus est factus locupletior.* Ita Lessius, Vasquez, Rebellius, Thomas Sanchez, Merolla, apud Dianam, & alij apud ipsos, contra Aragonium, Salonium, Bannez, Salas, & alios opinantes teneri restituere totum pretium rei venditæ. Ratio est, quia non debet esse peioris conditionis, qui bene procedit, quàm qui omittit & nec bene nec male operatur (ago de omissione externa, internam enim, quam puram vocant, non admitto) atqui ille bonæ fidei possessor, si rem dedit pauperibus sanctè est operatus: ergò non debet esse peioris condi-

conditionis illo, qui non fecit hoc opus bonum. At si non fecisset, sufficeret carere re illâ, & dare legitimo domino, & non deberet reddi pauperior: ergò nec modò debet pauperior reddi, & quidem pauperior redderetur, si præter rei carentiam etiam tantundem, quantum valeret ipsa, deberet domino vero consignare. *Confirmatur.* Quando res inculpabiliter perit, non teneris illam restituere vero domino, qui non fuisti in causa ut periret; neque necessariò illam consumpsisti, puta si delirus, aut constitutus in extrema necessitate, nisi fortè alicubi lege civili contrarium decernatur; neque qui inculpabiliter & sanctè consumpsisti: nam cum restituendi onus pœna sit, nemo tenetur obligatione personali, ubi peccatum non præcessit (consultò illud *personali* potui; si enim ipsa res, aut pars, aut pretium ejus, aut pretij pars esset penes illum, qui locupletior factus, tunc est obligatio realis, nam hæc in se vel in pretio remanens, debet ad dominum verum reverti) at qui rem, quam pacificè & bonâ fide possidebat, dedit pauperibus amicisve, aut ita consumpsit ut locupletior factus non fuerit, non peccavit in consumptione: ergò non tenetur obligatione personali. Examinanda igitur est realis obligatio; hoc est, an rei aliquid formaliter aut virtualiter (hoc est in se, aut in pretio) remaneat, & si maneat, hoc vero possessori detur. nihil aliàs.

¹⁴⁴⁹ *Sextò. Si eo tempore, quo diligentia debent fieri ad examinandam veritatem, voluerit bonæ fidei possessor rem vendere, poterit modò hæc circumstantiæ in contractu serventur.* Prima, si nullum damnum inferatur emptori; secunda, si nullum vero domino. Cavetur emptori omne damnum omne periculum; si rationes aut dubitandi aut opinandi illi sincerè exponuntur, & ipsi res venditur sub onere quod illam restituat vero domino si contingat comparere, adeoque & multò minori pretio debet vendi: cavetur vero domino, si venditur personæ securæ, quæ nullam fraudem commissura credatur. Si ex factis diligentijis constat nullam esse spem, ut alter præter possessorem, dominus aliquando compariturus sit, poterit pos-

seffor rem vendere, nec tenebitur emptori exponere rationes quas habuit dubitandi aut opinandi. Ita Ioannes Sancius in *Selectis disp.* 43. num. 12. Bannez 2. 2. q. 62. a. 6. dub. 5. Castrus Palaus tom. 1. *disp.* 3. *punct.* 2. n. 13.

¹⁴⁵⁰ *Septimò. In bonis, quæ alienari non possunt, possessor probabilis, ni lege impediatur, stando juri natura & Decalogo potest illa bona dare alteri similiter probabili domino.* Patet; quia probabilitas neminem cogit ut sequatur unam determinatam partem. adeoque probabilis possessor poterit illa bona, quia probabiliter sua sunt, retinere; & quia probabiliter aliena, etiam restituere, si velit. Consultò illud, *ni lege impediatur*, ad junxi, quia possunt dari leges ne talia bona alienentur, nisi certò sciatur, ad alium pertinere, & tunc qui in tali Republica degent, & hujusmodi legem acceptassent, deberent secundum illam vivere, adeoque nec probabilis possessor posset talia bona probabili domino restituere; nec hic data acceptare.

¹⁴⁵¹ *Octavò. Si probabilis sit rem esse alienam, adhuc stari potest pro possessore probabili.* Casum hunc proponit Diana *part.* 4. *tract.* 3. *resolut.* 26. his verbis, [An si præmissâ debitâ diligentiam adhuc dubiū sit (videtur dubij nomine intelligere non-certitudinem, adeoque comprehendere probabilitatem) propendeas tamen magis rem esse alienam, teneris illam restituere, vel dividere?] Ponit primam sententiam Ledesma, Bannez, Salonij, Sanchezij, Coninck, Valentia, asserentium rem dividendam esse pro ratione probabilitatis. At ipse secundæ adhæret opinioni, nimirum Vasquezij, Bonacina, Salas, Merollæ, Castri Palai, Laymani, Filluicij, quam etiam retractando priorem sequutus est Sanchez, asseritque non teneri quidpiam restituere, & hoc doctè ut semper. sed cum probat, videtur casus possibilitatem negare. Ideò docet possessorem minus probabilem non teneri restituere domino probabiliori, quia possessio præponderat omnibus rationibus non convincentibus. Hic ego. Si possessio præponderat omnibus rationibus quæ demonstrativæ aut convincentes non sunt, impossilile est, quòd possessor bonæ fidei

fidei antequam convincatur, magis propendeat in sententiam quæ asserit rem esse alienam. Possessionem præponderare omnibus rationibus non convincentibus supponit Diana, nec probat, est enim communis in omni tribunali; nullibi enim bonæ fidei possessor excluditur, antequam convincatur. manet igitur primò casum esse impossibilem. secundò non teneri bonæ fidei possessorem aliquid restituere, antequam tam clara sint rationes ut ad probabilem controversiam reduci non possint.

QVÆSTIO XI.

¹⁴⁵² *AN possessor dubiæ fidei, teneatur restituere, antequam certò sciat rem esse alienam?* Respondeo non posse dari talem hominem.

Non est enim possessor dubiæ fidei, qui incepit bonâ fide possidere, & postea reperit contra se rationes leves; ipsa enim scrupuli sunt, & omninò reiiciendi. Nec erit dubiæ fidei possessor, si reperiat graves, quia nulla gravior possessione, adeoque erit possessor fidei probabilioris. Qui à possessore bonæ fidei aliquid emit, aut gratis accipit, in jus venditoris vel donatoris transiens possessor bonæ fidei dicendus est. non enim novam ipse possessionem inchoat, sed antiquam continuat, unde non obstantibus quibuscumque rationibus, modò convincentes non sint, possessor bonæ fidei dicendus est. At dubiæ fidei possessor diceretur ille, qui emerit aut quomodocumque reciperet à malæ fidei possessore, si tamen de ejus fide dubitaret; sicut malæ fidei possessor qui emit aut gratis recipit ab eo, quem scit malæ fidei possessorem.

¹⁴⁵³ Probo igitur non posse dari emptorem aut donarium dubiæ fidei, quia vel nullæ rationes dantur ob quas inclinet in eam partem quæ asserit venditorem aut donatorem esse possessorem iniquum, vel dantur leves, vel dantur purè probabiles, vel convincentes: nihil utiliter asseri poterit: ergò. Minorem probo. Quia, si nullæ dantur, aut leves, non erit emptor aut donarius dubiæ fidei, sed erit iudex temerarius, & venditori aut donatori injurius. omnis enim possessor legi-

timus præsumendus, quamdiu non probetur contrarium. *l. Merito ff. pro socio.* Si dentur probabiles (puta si ex modo vendendi, aut cautelâ adhibitâ in commutatione rem esse furtivam colligatur) non jam dubiæ, sed probabilis fidei emptor aut donarius nominandus. Si convincentes, jam erit possessor malæ fidei.

¹⁴⁵⁴ Negativâ casus possibilitate cessant velitationes illæ Authorum, quorum meminit Diana *part.* 4. *tract.* 3. *resol.* 27. inter quos displicet primò Castrus Palaus, qui videtur nostræ sententiæ lucem aliquam vidisse, quam tamen non poterit adsequi. Ipse enim *tom.* 1. *disp.* 3. *punct.* 3. num. 2. sic inquit. [Si dubitas, an res sit furtiva, & titulo emptionis aut venditionis possidisti, teneris factâ diligentiam & dubio persistente rem dividere inter te & eos de quibus dubitas, quia tunc pro nullo stat præsumptio, ac proinde omnes æquale jus habent: practicum autem à te datum in causa esse non potest quò minus debeas alijs qui non acceperunt, & de quibus dubitas, an eorum sit res, satisfacere. Sicut si compareret verus dominus, tenereris illi integram rem restituere, etiamsi pretium dedisses, quia malâ fide dedisti. Limita supra dictam doctrinam, si à possessore bonæ fidei acceperis, tunc enim etsi dubius acceperis, at non comparente domino post factam diligentiam poteris retinere rem & illâ uti, quia succedis loco possidentis, à quo accepisti titulo emptionis vel donationis. Quâ ratione emens mancipia ab asportantibus etsi dubius emeris an fuerint furtiva, ac factâ diligentiam pro investigando verum dominum, illoque non comparente potes illa retinere, quia tunc non est possessio pro libertate mancipij, sed pro possessore bonæ fidei, qui illud vendidit & cujus loco successisti.] & Diana citatus ejus mentem sic interpretatur. [Verum Castrus Palaus *tom.* 1. *disp.* 3. *punct.* 3. n. 5. hoc intelligit quando rationes efficaces seu moraliter convincentes adessent venditorem vendere rem furtivam. non quando dubiæ sunt & probabiles, tunc enim deponendum est dubium & intelligere alium ritè vendere, quia nemo præsumitur malus, nisi probetur; neque

neque in dubijs delictum commisisse (præsumitur) ex l. *Marito ff. pro socio.* Sed hæc omnia nec sibi, nec veritati consonant aut coherent. singula uberioris doctrinæ gratiâ examinemus.

Ait primò, *Si dubitas, an res sit furtiva;* & esse impossibile hujuscemodi dubium jam ostendi.

1455 Addit, *Teneris dividere.* & non solum etiam admissio casu obligationem negarem, sed ne quidem talem divisionem consulerem. Multa licent Reipublicæ; quæ privatâ autoritate fieri nõ possunt. In pluribus Provincijs bona dubia aut etiam probabilia, si neuter in possessione sit, publicâ autoritate dividuntur, & transeunt in rem judicatam; unde post divisionem juridicè institutam & executioni mandatam, frustra novi tituli examinarentur. at hoc quando aliquis est in possessione fieri non debet, possessio enim semper præsumitur legitima, quamdiu contrarium non probatur. Si res esset in manibus tuis & dubitaret Petrus aut Paulus ad utrum pertineret, si privatâ autoritate divideres, & crastinâ die Paulus rationibus convincentibus se solum esse verum hæredem persuaderet; totam deberet habere, & quo jure deberet esse mediâ parte heri sibi datâ contentus, non video. Si ad compromissionem confugas, bene confugis, sed potuit ille non compromittere, nec ad compromissionem cogi potest; à nemine enim condemnaretur si diceret, *Volo totam habere si mea sit; si non sit, nequidem mediam.* Ergò si eras depositarius, à te exigeret. Si Petro dubio domino esset tradita non titulo possessionis, sed depositi, posset sic discurre. Si cras reperiam hanc rem esse Pauli, totam illi tradam, si hodie illi mediam partem dederò & cras reperio totam ad me pertinere, vix aut ne vix quidem hanc mediam partem recuperabo. Item, si hodie dederò Paulo mediam partem, & perindie reperiam Antonium esse verum dominum illi non potero satisfacere. Ergò servabo illam apud me tanquam in deposito, quia quæ hodie non dederò, potero dare cras; quam male dederò, non potero cras recuperare.

Subjungit. *Pro nullo stat præsumptio, ac proinde omnes æquale jus habent.* non video rationem inferendi. Si diceret. *Tunc pro omnibus æquè stat præsumptio, ac proinde omnes æquale jus habet.* aut fortè, *Pro nullo stat præsumptio, ac proinde nullus jus habet,* quidquid esset de veritate antecedentis, consequentia videretur legitima. Sed si antecedens examines præsumptio debet esse pro possessore, quamdiu non convincatur contrarium.

Et inferius. *Si compareret verus dominus, teneris illi integram restituere, etiam si pretium dedisses, quia malâ fide dedisti.* Si malâ fide dedisse pretium supponatur, non jam dubius, sed injustus possessor est. ut enim esset possessor dubius, deberet esse dubiæ fidei. Præterea, quòd possessor malæ fidei teneatur integram restituere vero domino, si compareat, suas patitur limitationes. Sufficeret enim ponere in manibus illius à quo emerat, si inde posset pretium quod dederat, recipere. & si res in manibus furis fuisset peritura, & tamen ipse conservavit, profuit vero domino eam emendo & debet aliquid habere, nemo enim tenetur alijs servire gratis. Sed de his iterum agemus inferius.

Admittit postmodum posse quempiam esse dubium emptorem erga venditorem bonæ fidei, quod absolute falsum est: quia si caret rationibus gravibus iudex temerarius est, si dubitet: si habet graves aut convincentes, non jam habebit dubium sed probabilitatem certitudinemve.

In servorum venditione duo dubia movere quis posset; nimirum, an essent liberi & an essent furtivi, & ad alium quam ad venditorem pertineant? Sed neutri est locus. Primò enim venditio publica semper præsumitur legitima, & gubernatores non permissuri vendi liberos nomine mancipiorum. Secundò non videtur vero simile, quòd servus unius velit vendi ab altero, nisi fortè dicatur esse tam parvus ut nequidem arbitrij libertatem habeat. & tunc etiam venditor præsumendus veniret bonus, quousque probaretur malus.

Sed apud Dianam dicitur *Castrus Palæus* (verba formalia legitis, modò attendite)

tendite) agere de illo dubio quod esset, quando rationes efficaces seu moraliter convincentes adessent & ego tale dubium non intelligo. rationes enim efficaces & moraliter convincentes non jam dubium sed certitudinem generant. adeoque qui haberet rationes moraliter convincentes, quibus crederet venditorem rem furtivam vendere, non esset emptor dubiæ fidei, sed malæ.

1460 Præterea illud *Non quando dubia sunt & probabiles, est verè lepidum.* Nam si Palæus non agat de dubio quod est quando rationes sunt dubiæ, agit de dubio quod est, quando nullum est dubium. ubi enim rationes dubiæ non sunt, dubium positivum non est; & ipse non agit de negativo, agit enim de dubio quod non solum in ratione, sed in convincente fundatur.

1461 Ergò vides, quòd *Castrus Palæus*, cum rationes moraliter convincentes requirat, dubias proscibat, malè loquatur, certitudinem cum dubio confundendo, & tamen neque admissio barbarissimo possessore sententiam stare. nam ubi dantur rationes moraliter convincentes, non media pars, sed res integræ restitui debet. vel doceat nos an in moralibus sit aliud habere certitudinem, quam habere rationes moraliter convincentes. Qui his non obstantibus adhuc rem aut recipit aut retinet, possessor malæ fidei omninò est, & quid facere debeat, ne similes quæstiones dividantur, subjungam brevissimè.

1462 Dico primò. *Possessorem malæ fidei primarium* (hoc nomine intelligitur, qui injustè rem accepit à justo legitimoque possessore) *debere rem restituere legitimo domino.* & hoc cum omnibus Doctoribus, est enim juris regula, non remitti peccatum, ni reddatur ablatum, si possit.

Dico secundò. *Possessorem malæ fidei secundarium* (hoc nomine intelligitur, qui quomodocumq; recepit ab eo quem sciebat certò esse malæ fidei possessorem) *non potest rem retinere; non tamen semper tenetur illam reddere legitimo domino, sed plerumque sufficit illam reponere in manibus alterius à quo acceperat.* Et ostenditur. Nam si pretio illam habuit, potest venditori illam reddere & suam pecuniam redimere; & si faciat non erit injurius legitimo

domino, cujus rem relinquit in eodem statu in quo erat ante. Si accepit gratis, aliquid debet etiam gratis reddere (gratiæ ipsæ non dantur sed pro gratiis venduntur; unde ingratus dicitur, qui recipit & non rependit) ergò si restituat legitimo domino non servabitur indemnus, sed debet aliquid etiam dare donatori. tunc tamen teneretur legitimo domino restituere, quando ipse vellet eum servare indemnem; servaret, si vel daret emptionis pretium, aut valorem gratiæ quam secundarius possessor primario repositurus est. Sanè quòd possit secundarius iste malæ fidei possessor rem in manus primarij, à quo illam acceperat, consignare, clarissimè ostendo; quia reddendo non facit novum contractum, sed priorem utpote invalidum & solâ privatâ autoritate contra legum tenorem violenter subsistentem rescindit; adeoque non male neque malum facit, sed cessat à malo quod faciebat; & violentiæ, quam legibus inferebat ratificando invalidum contractum, finem imponit.

Dico tertio. *A possessore malæ, aut dubiæ fidei, si hic daretur, potes rem furtivam si vili pretio vendat emere, ut restituis suo domino, recepturus ab ipso illud pretium.* Est communis Doctorum sententia. quia emendo sic, prodes proximo spoliato, qui supponitur non posse aliter nec minoribus expensis rem perditam recuperare.

Cæterum suaderem, ut tali modo empturus bene suo honori prospiceret, & erga amicos fide dignos mentem suam explicaret, ne pati malevolorum obloquia contingeret. ipse enim dominus jus habet resumendi rem suam ubicumque reperiat, & posset contingere quòd talis esset, ut emptorem tamen pium de furto argueret, ne teneretur pretium aut expensas refundere.

QVÆSTIO XII.

1463 **A** N consulens homicidium, furtum, aut quidpiam simile; dubitans tamen an ex tali consilio motus alter fuerit ad faciendum, teneatur ad restitutionem? Et respondeo nos agere de vero dubio, adeoq; negare casus possibilitatem. in tali enim casu dubio negativo non est locus; quæ datur

datur ratio præsumendi affirmativam partem, & dubium negativum omnem rationem excludit. Et positivum non poterit admitti, quia id nascitur ex motivo levi, & consilium est res gravis, & graviter solet influere in humanas actiones: superest ergò quod detur probabilitas aut certitudo moralis. Positâ certitudine teneri ad restitutionem affirmant universi Doctores. Sed inquiritur quid faciendum positâ probabilitate? Respondeo

1464 Primò. Si Petrus non volebat Paulum occidere, & tamen te consulente occidit, moraliter certum est consilium tuum illum prædeterminasse. Ergò quia tu cooperatus es in illud homicidium, aut fortè fuisti primum mobile, teneris ad restitutionem.

Secundò. Si Petrus volebat Paulum occidere, & tamen illum animasti, ni adsint novæ rationes in contrarium, certum est illud consilium in homicidium influxisse. Hæc certitudo, non fundat dubium, quia in ratione forti fundatur. Nam sæpè voluntas remissa mutatur ubi intentio non solet; ergò probabile est quod illa voluntas tametsi esset mutanda, animata hoc consilio confirmaretur, & homicidium perpetraret. Præterea, etsi certò sciretur mutandam non fuisse, adhuc posset stare resolutio, possunt enim dari duo motiva totalia, ut clarè conspicitur in vitæ tutelâ; illam enim propter Deum & propter nos defendimus; eamque defenderemus, tametsi solus ipse præciperet, eandem propter nos, defensuri etiam si homicidia essent actus indifferentes. Posito ergò consilio, necessariò influxus debet concedi, ni impedimentum probetur. Si hoc probetur leviter, erit certum consilium in homicidium influxisse; si hoc (nempe impedimentum) probetur rationibus gravibus, non verò moraliter convincentibus, erit ille influxus probabilis: si hoc probetur moraliter convincentibus, erit ille improbabilis, dubius nunquam.

Tertiò. Quotiescumq; non est evidens aut certum moraliter, quòd consilium in homicidium influxerit, excusabitur consulens à restitutione. Suadetur. Quia nemo tenetur restituere antequam certò sciat se debere.

QVÆSTIO XIII.

1465 **A**N debitor, si certus sit de debito, & dubius de solutione, teneatur solvere creditori petenti? Respondeo casum esse impossibilem. Videatur Corollar. XXX.

QVÆSTIO XIV.

AN qui dubitat, an solum promiserit ingredi Religionem, an etiam profiteri, teneatur profiteri, an sufficiat solummodo ingredi? Mihi casus est omninò impossibilis; nam Comment. mei in Regul. Benedictinam nu. 460. asserui melius esse non ingredi Religionem, quàm ingredi cum egrediendi animo. nemo enim vir prudens alicui honestæ conversationis juveni consuleret, sollicitaret habitum apud Cistercienses v. g. & adeptum post hebdomadam aut mensem dimitteret. Nam si jacturas autoritatis parvi pendas (sæpè honoris cura conscientias obligat) dicas an cum animo egrediendi auderes sollicitare habitum alicujus Religionis quin te multis mendacijs necessariò implicares: & ego non credam te posse voto obstringi ad actum in quo necessariò mentiturus es.

Si casus sit possibilis, adhuc standum esset pro libertate, dicendumque ex vi voti ad solum ingressum, non verò ad stabilitatem teneri. ita Diana part. 4. tr. 3. resol. 36. & Sanchez apud ipsum, ex quorum doctrinâ hanc universalem positionem collige in omni dubio standum esse pro possessione, quæ erat ante illud; adeoque si quis hæreat & ambigat, an se obligarit ad unam vel ad duas res, censendum esse ad unum tantum obligatum.

QVÆSTIO XV.

1466 **A**N subditus dubitans de justitia tributari, teneatur illud solvere? Affirmant Lessius & Malderus; negant Villalobos, Castrus, Aragon, Ludovicus Carbo, Molina, Caietanus, Angelus, Sylvester, Gabriel, Medina, Fillucijs, Ioannes de la Cruz, & multi alij. At ego stando meis principijs non admitto casum esse possibilem. & impossibilitatem ostendo; quia tributa, seu nova seu antiqua sint, non

non imponuntur leviter, sed cum consideratione & magnâ deliberatione. ergò est saltem probabile, ne dicam probabilius esse justa. ergò nulli dubio locus, illud enim cum probabilitate non consistit. Positâ igitur tributorum justitiâ moraliter certò, opus est tributa solvere; at positâ probabiliter, non est opus, quia probabilia neminem cogunt involuntarium, nisi fortè lege acceptâ teneantur in tali Republica obedire Senatui etiam in materia probabilis.

QVÆSTIO XVI.

1467 **Q**uid iudex debeat aut possit facere in lite civili dubiâ? Respondeo casum esse impossibilem, si detur bonæ fidei possessor; nam in tali casu gravis auctoritas stat pro possidente: debet igitur hunc in sua possessione conservare. At si neuter possideat, & certum sit ad alterum rem pertinere, & nequeat sciri ad utrum de facto pertineat, suadet æquitas & usus, ut pro qualitate dubij dividatur, si res divisibilis sit; & forte conferatur, si sit indivisibilis: sic Ledesma, Sanchez, & alij. Si non jam dubium, sed æqualis probabilitas sit, potest iudex rem adjudicare cui mavult. Et sic intelligendus videtur Ledesma de matr. qu. 15. a. 1. dub. 2. ad 3. prim. sent. cum dicit quod ex duobus æque dignis petentibus beneficium potest Episcopus (puta si probabile dictamen formaverit) eligere quem velit. & si sic exponatur, non est cur à Sanchez & Salas impugnetur. In casu inæqualis probabilitatis stando juri naturæ, nec officia debent dari ijs qui probabilius sint digni, neque dignioribus; at positivæ hominum leges possunt de his omnibus pro prudentia disponere, & si faciant acceptenturque, debent absolute observari.

QVÆSTIO XVII.

1468 **A**N dubitans, utrum dispensatio obtenta, sit valida, posset eâ uti? Nego casum, si illa nec subreptitia sit, nec per dubia verba concessa. Si verba ambigua sint, commode, benignè tamen, interpretanda, & quæcumque expositio, quæ probabiliter asseri possit; si benigna, admittetur. Si subreptitia, subiacebit se-

veriori examini; nam error aut fraus in circumstantia accidentali valorem dispensationis non immutat. Sed posset quis ambigere, an talis circumstantia essentialis dicenda sit aut accidentalis. & tunc etiam benignè procedendum assererem cum Sanctarello Variar. resol. tom. 1. qu. 59. n. 5. Diana part. 4. tract. 3. resol. 45. Tota igitur difficultas est, An ille qui bonâ fide causas ob quas petebat dispensationem expandit, illamque obtinuit, possit de ipsamet dispensatione dubitare. Respondeo petitionem ipsam bonâ fide subnixam, concessionem ipsam à viro prudenti emanantem, esse motiva gravia ad hoc ut quis prudenter in partem faventem inclinet: ubi ergò ratio gravis supponitur, dubium non datur.

QVÆSTIO XVIII.

1469 **A**N quando dubitatur, utrum casus indigeat dispensatione, possit Episcopus in lege Pontificis, iudex inferior in superioris lege dispensare? Respondeo negando casum. Quia dispensatio peteretur, aut propter inhibitionem aut impedimentum dubium. Atqui quando dubium est an detur lex inhibens hunc actum, vel aliquod impedimentum apponens, non dubitatur an casus indigeat dispensatione: ergò casus qui præponitur, est impossibile. Minorem probo. Quia in tali casu certum est dispensationem non requiri: non igitur est dubium an illa requiratur. Probatur antecedens. Quia certum est in omni dubio standum pro possessione, quæ erat ante illud. ergò cum actus & operans sint in suâ libertatis possessione, nec ille est credendus inhibitus, nec iste lege obstrictus quamdiu clarissimè non constet. Diana part. 4. tr. 3. resol. 46. Castrus Palaus, Layman, Emanuel Sa, Barboza, & alij tametsi possibilitatem dubij admittant, dispensationem non esse necessariam existimant. Idem ego sensi, sed ut puto veriùs & faciliùs.

QVÆSTIO XIX.

1470 **A**N advocatus possit patrocinari contra reum, si causa sit dubia? Aliqui distinguunt inter materiam criminalem, civilem,

civilemque. alij negant, alij affirmant. & ego re bene consideratâ propositum casum non admitto. Actor, qui dignus audiri gravis auctoritatis est, & dubium tollit, probabilitatem inducit.

Sed esto casus sit possibilis; esset quidem, si actor ignorans ab advocato consilium peteret, & excitaretur ad accusationem. & in hoc casu sic discuro. *Primò*, Si advocatus videt rem non posse convinci, posse tamen probari semiplenè, potest actoris patrocinium sumere. utiliter enim in Republica expediuntur causæ semiplenè probatæ. *Secundò*, Si videat non adesse materiam ne quidem semiplenæ probationi sufficientem, & vigeat in illa Republica Talionis pœna, injustè actionem consulet. inceptæ tamen poterit patrocinari. *Tertiò*, Si actor velit nolit advocatus accusare vult, vel jam de facto accusavit, tamen nullum jus videatur habere, potest illi advocatus patrocinari; nimirum, quantum per leges liceat. examinando bene testes, eorum responsa conferendo & notando. Sapè enim contingit causas bene fundatas male cadere, & sapè male fundatas bene succedere. ingenia hominum varia, dies craftina doctior hodiernâ, & modò nihil contra jura fiat aut in terminorum prolongatione, aut in testium examine, aut in expensarum consignatione, non apparet quare debeat advocatus prudens accusatorem temerarium deserere, cur non possit illi favere quantum per leges liceat: in tali tamen casu actor ad expensas damnandus.

QVÆSTIO XX.

¹⁴⁷¹ **A**N dubitans, utrum ante quinquennium ratificaverit professionem invalidè emissam, maneat obligatus. Respondeo casum esse ab omni possibilitate alienum. Ratificatio enim solennis ante quinquennium fieri non potest. Adluxit Merollæ hæc veritas, & illam exposuit ex parte *rom. 1. disp. 3. cap. 3. nu. 283.* multa pulchra ibi, sed quia etiam aliqua doctè ex alijs fundamentis supponit, non tam præmitto, quàm interlego. Dico *primò*, professionem esse contractum solennem & requirere suas solennitates, quas si sustu-

leris, illam tolles. Post annos sedecim completos, post probationis annum, alibi post binos, nonnullibi post informationes & examen morum & etiam honestatis & nobilitatis. Apud Hispanos Cistercienses ipsamet informationes creditæ necessariae. Requiritur etiam libera proficentis voluntas, physica aut moralis Abbatis præsentia, communitatis consensus, & similia. Ut igitur rem clarè videamus, producamus unum Religiosum anno decimo-quinto ætatis profitemem; omnia enim impedimenta sunt analogica, & analogicè philosophabimur. Tunc quidem profitetur invalidè. ratam habet sapè illo anno professionem, & tamen non reddet illam validam, quia ætatis impedimentum perseverat. Sexto-decimo anno ætatis completo cessat hoc inconveniens, at neq; tunc reddet validam suam professionem, tamen si centies illam ratificet spatio illius quinquennij à concilio ad ratificationem concessi, nam ut bene notavit Merolla *ante quinquennij finem non præsumit Ius Canonicum* (hoc est Ecclesia) *ratificationem professionis*, & si non præsumit, non acceptat; & si non acceptat, non reddit solenniter validam. Si elabi quinquennium permittat & non reclamet, ipsum non reclamare est ratam habere priorem professionem, & Ius ratihibitionem acceptando solennem reddit, ni perseveret aliud impedimentum essentialia; puta si ipse positivè velit non profiteri, aut informationes essentialiter necessariae sint, & nedum factæ. Reclamare in foro exteriori non permittitur quinquennio elapso, ni probet habuisse non reclamandi causas.

¹⁴⁷² A paucis annis consultus de professione in iudicis sententia dubia resolvi libertatem fuisse professione priorem, adeoque pro Religiosi libertate standum. Erat timoratae aut potius timidè conscientiae iudex ille, & quia timebat ne injuriam communitati faceret illum liberum declarando subjunxi, talium Religiosorum discessum esse Monasterijs utilissimum, nocivam stabilitatem. Bonus fit, sanctus fit; voluit discedere, voluit deficere; hoc sufficit, ut omnes illum torvo vultu respiciant, ut ipse convivat alijs

alijs ægro animo. Quæ ab invitis fiunt, nunquam bene; nec ideo infelix communitas quod invitis careat. Dixi & animum sedavi hominis pijs, & involuntarium liberando, profui, ut opinor, illi & communitati.

QVÆSTIO XXI.

¹⁴⁷³ **A**N in dubio accelerationis usus rationis, præsumendum sit pueram peccavisse mortaliter, si ante septimum ætatis annum, aut missam omiserit die festo, aut die Veneris comederit carnes. At non admitto casum, quia supponit falsum, nimirum præcepta positiva Ecclesiæ omnes pueros doli capaces obligare. Placet ingenium Joannis Sanchez & præcipue in *Select. disp. 51. nu. 31.* ubi sic. *Quamvis ante septennium puer doli capax sit, nullo præcepto positivo obligari reor, cum leges positivi juris ante illam ætatem, in qua communiter lumen rationis oriri est solitum, non intendunt obligare, & per accidens in uno vel alio puero rationis usum accelerari in quo [nota hoc bene] absque discordia puto consentire Doctores, nam ad ea quæ frequenter accidunt leges aptantur.* Ad ungerem Castrum Palaum & alios, sed cur concordia Doctorum sententia? Hic ego. Quando certò scitur puerum sexennem habere usum rationis, etiam tunc asseritur eum non teneri jure positivo Ecclesiastico, adeoque nec debere audire missam nec abstinere à carnibus, cum Ecclesia has prohibet, illam indicit. ergò à fortiori etiam in dubio. Hinc inferas adolescentes ante vigesimum-primum ætatis annum, senes post sexagesimum Ecclesiasticis jejunijs nõ obstringi, tamen si fortes & robusti videantur, & hoc ob eandem causam; quia Ecclesiasticæ leges sese communi rerum ordine accommodant, tamen si causæ in uno vel altero per accidens deesse contingat.

QVÆSTIO XXII.

¹⁴⁷⁴ **A**N dubitans, utrum Pater sit in gravi necessitate, ingredi in Religionem posuit? Non video casum possibilitatem. Nam ipse in domo paterna educatus vidit proprijs oculis substantiæ quantitatem, & formavit iudicium, quod manere debet, si novæ instructiones non accidant. ergò

dubio negativo non est locus. Sed neque positivo, quia dictamen illud certum quod est in possessione verbis levibus & nullius auctoritatis proferri non potest; & ubi prudentia operatur, dubia exulant. Igitur, ut filius inquirere debeat & sollicitus sit, debet ut minimum habere rationes probabiles & spem certam sciendi veritatem. Igitur me duce sic resolve.

Primò. Quando quis certò scit Patrem suum esse in gravi necessitate, debet illi succurrere, nec potest Religionem ingrediendo se illi negare. Consultò in gravi dico; non enim filius tenetur solum in extrema, sed etiam in gravi; nam in extrema quicumque Ethnicus & Mahometanus teneretur.

Secundò. Quando probabiliter scit, debet inquirere, & si post examen non assulgeat spes sciendi veritatem (etiam hic casus erit impossibilis, quomodo enim patebit aditus inferendis suppetijs, si non datur epistolis?) poterit uti suâ libertate & facere quod velit. Ita Diana *part. 4. tract. 3. resol. 57.* ubi Bartholomæum à Vecchis & Sanchezium adlegat.

QVÆSTIO XXIII.

¹⁴⁷⁵ **A**N Pharmacopla, cum dubitat, an emptor abusivus sit, possit venena vendere? Respondeo non esse possibilem casum qui ponitur. Nam vel dantur rationes dubitandi, vel non; & si dantur, leves vel graves. Quicumque sine ratione aut sine gravi suspicatur contra proximi innocentiam, temerarius est iudex. emptor autem innocens erat, & debet præsumi innocens & in sua innocentia manuteneri, quousque probetur reus. Si dentur graves rationes, non tamen convincentes, erit probabilitas, & stando juri nature non scio cur non posset in tali casu sua venena vendere aut non vendere, probabilia enim electioni liberæ relinquuntur: at stando juri humano omnes Respublicæ bene gubernatæ cavent tales venditiones emptionesque, & quando servus veneno suum dominum abstulit, statim unde habuerit, inquiritur; unde illa ipsa, quibus contra mures & sordidas alias bestiolas utimur, semper Pharmacoplae cautè & provide vendunt, nec dabunt personæ non notæ. Hinc patet, qui de-

qui debeas de alijs rebus minùs periculo-
sis philosophari.

QVÆSTIO XXIV.

¹⁴⁷⁶ **A**N qui dubitat, utrum suffragium suum concluderit rem injustam, teneatur ad restitutionem. Casum admittit Diana part. 4. tract. 3. resol. 63. & citans pro se Gordonum & Rebellium, respondet negativè: illum etiam admittit Navarra, & affirmativè respondet. Sanè, si casum admitterem, putarem me errare, si à Dianæ opinione recederem. nam cum ille sit in possessione suarum pecuniarum, non debet restituere quousque obligatio sit clarior luce meridianâ. At mihi casus ille impossibilis est. Non submergit navim ultimum arenæ granum, non inebriat hominem haustus ultimus, non terit vires cura extrema, sed omnes simul. Si quis damnatur, non eum ille condemnat, qui ultimum suffragium tulit, sed omnes simul, qui tulerunt. accidit enim iniquitati quod suffragium sit primum vel ultimum. adeoque in hac materia sic discorro.

Primò. Omnes iudices simul compromittunt in plurimum suffragia. Hinc est, quod omnes absolvant, omnes condemnent eum, quem plures absolvendum aut condemnandum declarant. Videar in Comment. in Regulam Benedict. nu. 493.

Secundò. Qui suffragium non dedit contra innocentem, ab omni restitutione liber est. Patet, quia ipse non videtur cooperatus. nam illa compromissio nec casum istum tangit, nec fit nomine ipsorum proprio, sed Reipublicæ.

Tertiò. Qui dedit contra innocentem putans sincerè coram Deo se bene facere, non tenetur ad restitutionem. Patet, quia illa actio est bona, laudabilis & præmio digna; & restitutio non præmium, sed poena est.

Quartò. Qui ex malevolentia vocem suam contra innocentem dedit, qui ex plurimum vocibus, libertate donatus est, non tenetur ad restitutionem. quia tamen si nocere voluerit, non nocuit, & qui occidere aut furari voluit, ad restitutionem non cogitur.

Quintò. Qui ex malevolentia vocem suam contra innocentem dedit, qui condemnatus

est, tenetur ad restitutionem, si ve sua vox fuerit publica, si ve secreta, prima si ve ultima, substantialis si ve accidentalis. Ratio est, quia omnes simul illum condemnaverunt; omnes simul occiderunt, aut omnes simul expoliarunt.

QVÆSTIO XXV.

¹⁴⁷⁷ **A**N contractus factus ab eo, quem minore esse dubitamus sit validus? Inter arella Tolosana quæ Gerardus Maynardus congeffit, pertinent ad hanc difficultatem Decisiones XLV. & XLVI. lib. 3. in illa minor quia ætatem in dubium vocaverat, obtinuit 26. Januarij 1575. ut quantitas debita consignari deberet. In hac resolutum quod pendente causâ restitutionis in integrum, omnia in suo statu permanere deberent; ibidemque Rebuffus, quod contrarium videretur asserere, deceptus dicitur. Sanè quæstionis resolutio ex nostris principijs clara & facilis. Contractus publicus magnæ auctoritatis argumentum est, adeoque puto primò si ante contractum dubitetur de ætate minoris, standû potius pro minori, quam pro majori ætate, quia cum prius fuerit minor quam major, non est asserendus ætatem minorem excessisse quâdiu non constet, stat enim in possessione ætas minor. Puto secundò post initum contractum bonâ fide si is, ut validus sit ætatem majorem requirat, non esse locum vero dubio, datur enim motivum forte (nimirum ipse contractus) ex quo oriri potest probabilitas vel fortè certitudo moralis, si contra illud motivum nullæ rationes fortes suppetant.

I G I T V R

STat primaria resolutio, nempe multos casus ab Authoribus vocari dubios, in quibus dubiû reperiri repugnat, ut plurimû enim aut probabiles aut certi sunt. Præcipuos eligentes & explicantes viam aperuimus ut multis dubijs ad ulterius imò nugis semotis, verum de singulis hypothefibus & casibus iudicium formaremus, præiremusq; solidæ veritatis studiosis, ne cum morum detrimento & jacturâ dubium negativum aut positivum, neve alterutrum cum probabilitate confundant.

DISP V-

DISPVT. IV.

An peccata dubia sint in sacramentali Confessione explicanda?

¹⁴⁷⁸ **E**x cito controversiam, quam omifere veteres, juniores vix audent resolvere ne à communi doctrina in gravissima materia excedant. Ut autem eam intelligas revocanda in memoriam venit Conscientiæ tradita superiùs divisio, docuimus enim sextuplicem apud Ethicos conscientiam esse: nimirum, Fidelem, Evidentem, Probabilem, Dubiam, Scrupulosam, Hypochondriacam. Conscientiam Fidelem vocamus revelationi innixam: Evidentem quæ certa & clara; qualem habet qui certò scit se peccavisse, aut certò scit non peccavisse: videlicet, illam quæ nascitur à scientia experimentalis clara, contra quam vel nulla ratio militat, vel nulla gravis. Probabile dicimus eam; quæ gravibus fundamentis substruitur; qualem haberet, qui ob rationes fortes se peccasse, & propter alias etiam fortes se non peccasse existimaret. Consultò utrobique fortes posui; ille enim, qui haberet, vel fortes contra leves, vel contra nullas, non esset dicendus habere conscientiam probabilem, sed certam: probabilitas enim in morale certitudinem evadit per accidens, quando rationes contrariæ ignorantur. Dubiam conscientiam dico, quæ non innitur rationi gravi. Scrupulosam, quæ nascitur ex ignorantia & superbia; & solet in viris pijs nonnunquam reperiri, qui carent doctrinâ sufficiente ut veritatem examinent, & impediuntur sublatente superbiâ, ne doctiores interrogent. Hypochondriacam tandem dicimus conscientiam hominis humore melancholico afflicti, quem tædet actionum suarum, hæc enim despectu nescio quò præventa, omnes & singulas actiones quas elicit, reprehendit. Hæc omnia dictis sub hujus lib. III. initium cohærent, sed debuerunt breviter resumî ut clarior disputatio, aliàs difficilis & obscura procederet. His positus sit

Protheorema I. Peccata certò commissa, si gravia sint, debent necessariò subdi tribunali sacramentalis Confessionis; & si levia possunt. Ita omnes Authores.

Protheorema II. Peccata certò non commissa, levia vel gravia sint, non possunt subdi eidem tribunali Confessionis. Ita omnes.

Vtrumque probatur evidentè; nam contra institutionem Sacramenti Pœnitentiæ, tam militat peccati perpetrati negatio, quam non perpetrati confessio. Sed postulas; An sit mortale peccatum confiteri peccatum veniale, quod certò scis non commisisse. Si sit pars confessionis benignior resolutio est, forma enim habet materiam supra quam possit cadere: si autem sit tota confessionis materia, videtur esse peccatum veniale Philippo Fabro in Academia Patavina publico S. Theol. Professori tract. de pœnit. in 4. sent. dist. 17. quæst. unic. disp. 14. cap. 3. num. 51. & reliquis omnibus, quos viderim, mortale.

Protheorema III. Qui subscribens communi Theologorum sententiæ, asseruerit esse verum sequi opinionem etiam minùs probabilem, aut inconsequentia laboraturus, aut dicitur peccata, quæ commissa fuisse aut non fuisse probabile est; non esse in confessione necessariò explicanda; sed posse pœnitentem alterutri parti subscribere, & sequi suum arbitrium; nimirum, vel iudicando esse commissa & confitendo, vel iudicando non esse commissa & non-confitendo. Patet; quia aliàs falsum esset quidquid de probabilitate à viris sanctissimis & doctissimis benignè scribitur. Vnde Author Compendij Dianæ impressi Antverpiæ an. 1641. verb. Confessio num. 31. Aliud est, ait, si probabiliter iudicaret se vel non commisisse peccatum, vel non esse mortale, vel se esse confessum, tunc enim ad nihil teneretur quamvis contrarium iudicet probabilius Mart. & alij. & citat Dianam part. 3. tr. 4. resol. 60. & part. 4. tract. 3. resol. 5. & part. 5. tract. 14. resol. 113. Vbi obiter notandum est bene dubium à probabilitate distingui à Sanchez lib. 1. in Præcept. cap. 10. malè autem à Lugo de pœnit. disp. 16. sect. 2. §. 3. dubium positivum cum probabilitate confundi. Sed & Ioannes

A a a 2

Præpo-

Præpositus *quæst. 5. de integritate Confess. dub. 3.* videtur, omne dubium cum probabilitate confundere, ait enim. *Notandum hominem proprie dubitare quando fluctuat, nec potest in alterutram partem determinatum iudicium formare: quod interdum accidit, quia in neutram partem suppetit ratio, interdum verò contingit quia utrimque apparent rationes probabiles.* Displicet illud verbum ultimum, quia si utrimque probabiles rationes suppetant, non est dicendus habere conscientiam dubiam, sed probabilem. hic autem non inquirimus, An peccata, cum non fuisse commissa probabile est, debeant in confessione explicari; hæc enim quæstio omninò diversa est: sed examinamus, An debeas confiteri peccata, si dubites te commississe.

Protheorema IV. *Scrupulosi optimè consulitur, ut omittant in confessione omnia illa, quæ non sunt evidenter peccata mortalia.* Ita Layman *Theolog. Moral. lib. 1. tr. 1. cap. 4. §. 4. nu. 37.* quem laudat & sequitur Diana *part. 3. tract. 4. resol. 60.* Scrupulosi Hypochondriacos adnumera, nulla enim est disparitatis ratio.

¹⁴⁸⁰ Pondus igitur difficultatis ad dubia peccata devolvitur, & quia hæc multis dubijs novis implicantur, explicentur curiosius necessarium est.

Dubiam conscientiam definivimus, ratione gravi distinctam: & in dubiam positivè & dubiam negativè distinguimus. Conscientia positivè dubia illa est, quæ caret gravi, habet tamen unam vel alteram rationem levem: at dubia negativè, illa quæ non solum caret ratione gravi sed & levi. Hæc divisio ab ipsamet conscientia desumitur; sed si objectum aut conscientia contemplerur materiam dicendum est quatuor modis posse conscientiam dubiam esse. Primò de peccati commissione; secundò de quantitate; tertio de qualitate, quartò de absolute.

Dubitat de peccati commissione, qui utrùm fecerit vel non fecerit, nescit: puta si Petrus adhibito debito conscientia examine dubitet an fuerit furatus vel non. vel si tale dubium sub hanc materiam cadere non posse credideris, ad actus purè internos non bene nobis co-

gnitos transi, & experieris esse plurimos qui dubijs torquentur, & utrùm assensum præbuerint vel negaverint, nesciunt.

Dubitat de peccati quantitate, qui certò scit se rem fecisse, an verò peccaverit graviter vel leviter, ignorat. Puta si Petrus sciret certò & evidenter se furatum fuisse; nesciret tamen an materiam gravem vel levem.

Dubitat de peccati qualitate, qui certò scit se peccatum commississe, illiusque quantitatem non ignorat, nescit tamen an ad talem vel talè infimam speciè pertineat. v. g. si Petrus sciret certò se peccasse mortaliter in fornicatione, dubitaret tamen an fæmina, quæ fuerat usus, esset soluta conjugata aut monialis.

Tandem de peccati absolute dubitat, qui scit se illud commississe, & quantitatem & qualitatem peccati non ignorat, nescit an fuerit illud legitimè confessus, aut certè an fuerit legitimè absolutus.

Hæc dubiorum genera Authores nonnulli confundunt, nonnulli plus distinguunt quàm ratio & tribunalis institutio requirit. Vt ergò solidè & clarè quæstionem decidamus, controversiam in tres Articulos subdividemus. *Primus* veras conclusiones statuet & probabit: *Secundus* adlegabit Authores veræ sententiæ consonos: *Tertius* satisfaciet rationibus objectis pro contraria parte.

ARTICULVS I.

Vera sententia proponitur & ratione probatur.

¹⁴⁸¹ Teneo primò eum, qui dubitat de qualitate seu speciè peccati certus de gravitate materia, teneri confiteri. Hoc est, Petrum debere absolute confiteri peccatum furti v. g. si certò sciat se fuisse furatum materiam gravem, dubitat tamen an profanam vel sacram: si certò sciat abusum fuisse fæminæ, dubitet tamen, an sæculari an moniali: ratio est, quia peccata certa sunt in confessione aperienda, & Petrus tametsi dicatur de qualitate & speciè infima aut fortè de circumstantia aliqua speciè mutante dubitare, scire certò se mortaliter peccavisse

vise supponitur: nemo autem unquam credit posse subterfieri in confessione mortalia crimina, quæ se commississe Petrus evidenter cognoscit. Cum Authores inter dubium de peccati substantia, & dubium de qualitate distinguunt, sæpe nomine qualitatis (labij error est) ipsamet quantitatem intelligunt, sæpe non si qualitatem peccati ab ejus quantitate distinguant, bene poterunt obligationes ex illis dubijs subortas distinguere asserendo peccata dubia esse in confessione aperienda si dubium sit de eorundem qualitate, si sit de substantia aut quantitate non esse. Vnde

Teneo secundò eum, qui dubitat de peccati commissione, quantitate aut absolute, non teneri confiteri. Et videtur probari manifestè. Nam confessionis tribunal est analogum tribunali forensi & litigioso, utrumque enim constituitur Actore, Reo, Testibus & Iudice. In confessionis tribunali Iudex qui Confessarius. Reus poenitens in quantum peccavit: Actor ipsemet poenitens in quantum Deum amans & peccata fragiliter commissa detestans. Testimonia sunt rationes graves & infalibiles quibus actio fundatur. Atqui in tribunali Mechliniensi, hæc accusationes, *Appello de latrocinio sortem, quia dubito, utrum furatus fuerit; Ambrosium, quia tametsi nullus testis id asserat, fortè furatus est: Anselmum, quia est unum indicium leve, & hujusmodi alia admitti non debent: ergò nec in tribunali confessionis.*

¹⁴⁸² Confirmo primò. Poenitenti legitimè confitenti debet Confessarius absolute non impendere; atqui absolvi non potest absolute, qui ad tuos pedes provolvitur & ait, *Domine, Utrum furatus fuerim dubito, si verè furatus sim, me accuso aliàs non. Vel fortè, Scio quidem me furatum fuisse, at quantitatem nescio, si fuerit levis non me accuso, non enim levis teneor confiteri; si autem fuerit gravis, me accuso. Vel tandem. Scio certè me peccavisse mortaliter, dubito an fuerim tale crimen confessus, cumque non teneor bis eadem confiteri peccata, non me accuso de illo si illud confessus sum, si non sum confessus me accuso: ergò. [Quod non possit absolvi absolute, demonstro. Quia absolute absolutio requirit materiam cer-*

tam & absolute, quæ in hujusmodi confessionibus non reperitur.

Huic argumento bifariam solent Authores respondere; alij enim volunt certam aliquam materiam dubio peccato adjungi, alij nullam certam adjungi, sed absolute dari sub conditione; sed utramque responsionem esse absolute insufficientem clarissimè probabo.

Prima solutio displicet. Nemo enim ¹⁴⁸³ tenetur peccato dubio certum veniale adjungere, quia venialia non pertinent ad materiam necessariam confessionis, sed ad liberam: nec tenetur adjungere mortale jam confessum, quia nemo tenetur unum & idem peccatum bene confessum iterum confiteri: ergò materia dubia non tenetur, si mortifero non confesso careat, certam aliam adjungere. Dices tunc teneri per accidens vel confiteri veniale aliquod determinatum, vel mortale licet olim confessum. Sed hæc obligatio per accidens leviter protruditur, hæc enim positiones, *Nemo tenetur confiteri venialia, Nemo mortalia jam confessa, universaliter verè creduntur: nec debet exceptio admitti, quæ non probetur saltem aliquâ ratione gravi. Regulam esse generalem constat ex Tridentini Sessione XIV. in cujus cap. V. sic lego. Venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, quamquam rectè & utiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque alijs remedijs expiari possunt. Ecce universaliter Concilium loquitur: ecce non docet venialia aliquando debere exponi, & aliquando non debere, sed absolute affirmat semper taceri posse. Non est ergò, cur contra universalem Concilij Tridentini doctrinam exceptiones & limitationes invenias. Vbi obiter vellem scire, An credas illa verba Concilij eo sensu quo ab ipso sunt tradita, esse fide tenenda? si hoc scias, scies subinde esse hæreticum, qui pertinaciter aliquod dogma defenderit contra canonicam propositionem. Cum autem hæc universalis sit, omnem exceptionem excludit, futura aliàs falsa si vel in uno casu fallat. Dices, Ipsa Sacra Scripturæ testimonia, tametsi universaliter dicta, solent*

solent sæpè restringi & aliquas exceptiones pati; omnes enim habere peccatum originale multæ canonicæ periodi insinuant, & tamen piè & laudabiliter Dei Genetricem excipimus: ergò similiter tametsi verba Concilij videantur asserere posse semper omitti peccata venialia, poterit subintelligi aliqua exceptio, nimirum, nisi adjuncta sint mortalibus dubijs, ratione quorum debent explicari per accidens. *Et respondeo*, nemini privato homini concessum, ut universales positiones dictatas & revelatas ab Spiritu sancto restringat; illæ enim, quæ hodie restringuntur, summo totius Ecclesiæ consensu & cõsilio restringuntur, & hoc propter rationes fortissimas, quæ in præsentis locum non habent: si enim quæcumq; ratiuncula sufficeret, ut universaliter latas leges remitteret & ad aliquos singulares casus reduceret, periclitaretur decalogus; ablandieris enim tibi, & millenas exceptiones & limitationes delirares standum igitur verborum communi acceptioni in Canonum Catholicorum materia, ubi non docemur ab Ecclesia verba esse aliter interpretanda.

¹⁴⁸⁴ Præterea hanc confitendi venialia aut mortalia jam confessa repetendi obligationem, quæ dicitur suboriri per accidens, esse omninò fictam ostendo. Habeat Petrus unum & solum peccatum dubium, nullum veniale, nullum aliud mortale: & inquiri, an & iste teneatur materiam aliquam certam adungere. Si casus possibilitatem negas, rem clarissimam negas, quia Petrus potest donari privilegio impeccabilitatis vel saltem præservari ne peccet, & præter privilegium, illis primis horis quibus uti ratione incipit, potuit habere mortale dubiũ ante certum mortale aut veniale: item adultus potest oblivioni mandasse omnia certa tam gravia quam levia & solum dubiũ memoriã retinere. ergò vel peccata dubia non pertinent ad materiam pœnitentiæ, vel aliã viã debent deleri, quam per additionem certæ & determinatæ materiæ. An absolute conditionatã? minimè, nam &

¹⁴⁸⁵ Solutio altera displicet. Absolutio enim conditionata non est certa absolu-

tio, sed fortassis erit. & qui sic absolvit non conficit Sacramentum conditionatum, sed fortè conficit absolutum & fortè non. Explico me. Aliud est, dari Sacramentum certum, quod abluat peccata dubia; aliud, & omninò diversum, dari formam quæ fortè sit sacramentalis, fortè non. Cùm dicis, *Si non es baptizatus, ego te baptizo &c. Si verè peccasti, ego te absolvo*; non conficitur Sacramentum certum, quod deleat peccatum (originale vel actuale) dubium, sed proferuntur verba, quæ fortè Sacramentum constituent, fortè non constituent. Ergò non est certum dari obligationem confitendi peccata dubia. Probatum consequentia, quia in tali casu sacramentalis absolutio fortè est possibilis & fortè impossibilis, atqui impossibilia non obligant, ergò fortè obligat & fortè non obligat: ergò non datur obligatio certa: ergò nec dubia. probatur quia cùm dubitatur an detur talis obligatio, standum est pro libertate, ut ostendam inferiùs cum Baldelli mentem examinabo.

¹⁴⁸⁶ *Confirmo secundò*. In nullo Forensi tribunali potest quis condemnare pœnã aliquã determinatã reum antequam sit convictus; sententia enim quæ virum condemnat, quem tueri & absolvere posset, iniqua est. ergò nec in Confessionis tribunali. Ergò confitenti crimen dubium, imponi nequit pœnitentia certa, nec dari sine conditione absolutio. Igitur cùm ais, *Si furatus sum, me accuso*, Confessarius, *Si verè furatus es, ego tibi talem impono pœnitentiam, absolvo, &c.* Sed quidquid alij clament, Hoc est non ferre sententiam, hoc non est reum mulctare, hoc non est eum absolvere.

¹⁴⁸⁷ *Confirmo tertio*. Scrupulosis suadetur ne confiteantur dubia, & nemo auderet suadere ne confiteantur peccata certa: ergò non ut æqualis obligatio. Consequentia videtur evidens. Secunda antecedentis pars ab omnibus admittitur, prima à quàm plurimis, nempe à Layman *Theol. Moral. lib. 1. tract. 1. cap. 4. §. 4. nu. 37. Dianã part. 3. tract. 4. resol. 60. sub finem. Præposito q. 5. de Confessione dub. 3. n. 115.* Tunc sic. Omisio peccati certi in nullo casu consulenda est, & omisio dubij scrupuloso

puloso pœnitenti consulitur. ergò hæc omisio non militat contra institutionem & integritatem Sacramenti: ergò si contra hanc non militat, etiam scrupulosis consuli potest; bene enim Confessio sacramentalis fit, si ita fiat, ut institutio & integritas inviolata servetur.

ALTERA PARS ARTICULI I.

*Eadem veritas probatur clarissimis
verbis Tridentini.*

¹⁴⁸⁸ **E**Rant multa dubia in Ecclesia, quam non solum Hæretici sed & Catholici nonnunquam liberius, quàm fas erat, sentientes perturbabant. Indigebamus Spiritus sancti magisterio, & ipse in Tridentinæ Synodi Sessione XIV. Cap. V. sic inquit. *Constat enim Sacerdotes iudicium hoc incognitã causã exercere non potuisse, neque æquitatem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat & non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in Confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint &c.* Quibus verbis sic utor.

¹⁴⁸⁹ Censendum est Tridentinum Concilium sufficienter docuisse fideles Sessione illã XIV. in qua de pœnitentia ex professo actum. At ibi apertè docet pœnitentem debere confiteri omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habet, ergò & docuit non debere confiteri illa, quorum post diligentem discussionem conscientiam non habent. atqui illorum, de quibus quis dubitat, conscientiam non habet: ergo. Probatum minor; quia conscientia est notitia scientifica, & dubium scientifica notitia non est.

¹⁴⁹⁰ Dices *Conscientia* nomine non solum notitiam evidentem, sed & dubiam intelligi, datur enim Conscientia Evidens, Probabilis, Dubia, scrupulosa, & Hypochondriaca. Respondeo tamen hoc esse verum in alijs Authoribus & locis, non tamen in præsentis. Ratio est, quia illa Concilij verba *Ex his colligitur*, suadent consequentia ex antecedentibus inferri: atqui

ex antecedentibus non inferitur conscientia dubia, sed certa: ergò in loco *Conscientia* nomine non intelligitur dubia, sed certa. Major videtur certa, minorem probo. Ideò debemus singulorum peccatorum speciem & numerum confiteri, quia Sacerdotes iudicium hoc (verba Concilij sunt) incognitã causã exercere non possunt, nec æquitatem in pœnis injungendis servare: ergò dubia peccata non debemus exponere. Patet consequentia; quia causa dubia non est cognita, & causã incognitã iudicium hoc exerceri non potest. Confirmatur. Quia asserente Concilio debet æquitas in pœnis injungendis servari, ergò debet certò constare de delicti existentia, aliàs enim quã æquitate pœnæ certæ & determinatæ pro peccato incerto & indeterminato injungerentur.

¹⁴⁹¹ Confirmant hanc doctrinam aliæ multæ ejusdem Tridentini periodi; non alijs omisissis, quæ in illa XIV. Sessione occurrunt, resumemus. Subleges. *Necessum est omnium etiam veniam cum aperta & verè cuncta confessione, à Deo querere. & sanè confessio dubia non videtur posse aperta vocari. Sed Concilium progreditur. Itaque dum omnia, quæ memoriã occurrunt, peccata Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia divina misericordie agnoscenda exponunt; qui secus faciunt & scienter aliqua retinent, nihil divina bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt, si enim erubescat agrotus [Hieronym. exponens illud Eccles. 10. Si mordeat serpens in silentio] vulnus Medico detegere, quod ignorat medicina non curat. Ergò tenetur quis confiteri peccata quæ occurrunt; nempe post diligentem sui discussionem; dubia autem crimina post discussionem non occurrunt. Ergò malè confitetur, qui scienter peccata retinet; atqui dubia non retinentur scienter, non enim in dubijs datur scientia: ergò.*

¹⁴⁹² Univerfa, quæ diximus, illustrat hæc periodus, *Constant nihil aliud* (nota bene, quia dum *Nihil aliud* dicit, clarissimè & universalissimè Concilium loquitur) *in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quam ut postquam quisq; diligentius sese excusserit, & conscientia suã sinus omnes & latebras explora-*

exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa intelliguntur. Attentè legar, obsecro. Constat nihil aliud in Ecclesia à penitentibus exigi, inquit S. Concilium: illi igitur contradicit, qui aliquid aliud requiri existimat, hæ enim assertiones, *Nihil aliud à penitentibus exigitur, & Aliquid aliud exigitur*, contradictoriæ sunt; cum autem prior sit expressa Concilij, altera sine errore clarissimo teneri non potest. Sufficit igitur ut confiteatur ea peccata, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit; ergò nemo tenetur confiteri venialia; ergò nec dubia licet gravia, dubitare enim non est meminisse. Scire est quoddam meminisse, dicebat Plato, nullum tamen audivimus dubitare & meminisse confundentem.

ARTICVLVS II.

Eadem veritas ostenditur Authorum testimonijs.

¹⁴⁹³ **F**ateor esse valde communem opinionem quæ affirmat mortalia dubia debere in Confessione explicari, quamobrem superfluum omninò videtur, citare Authores pro hac sententia, proderit tamen inquirere, An præter rationes præmissas contraria fundetur auctoritate gravi?

Theses Lovanienses.

Primo loco recensendæ veniunt Theses publicæ in nostra Vniuersitate defensæ, quibus maiorem auctoritatem adtribuimus, quam placitis privatorem Doctorum, cum enim sine contradictione defendi permittuntur, dicendæ sunt iudicari probabiles à Superioribus & reliquis Doctoribus, qui possunt & debent curare ne improbables sententiæ in publico Gymnasio defendantur.

Dico igitur benigniorem sententiam sapè Lovanij in doctissimo PP. Iesuitarum Gymnasio me præsentate defensam.

Ioannes Sanchez.

Solet pro hac citari sententia, ipse ¹⁴⁹⁴ enim in *quæst. select. disp. 1. num. 12.* peccatum dubium posse quidem esse materiam confessionis asserit; sed an sit materia necessaria, non exponit. Dabo verba formalia; *Et sanè licet materia dubia possit subijci confessioni, non tamen conditionata &c.* Et paulò infra. *Notandum tamen, quod quando materia dubia sola subijceretur confessioni, erit impertienda absolutio sub conditione, saltem mentaliter concepta, si fortè peccasti, vel capax es absolutionis: communiter tamen certa materia adiungitur dubia, ut absolutio possit impendi absolute, & non sub conditione: semper tamen liberum erit penitenti solam materiam dubiam confessioni subijcere, quando certam mortalem non habet, vel in solam venialem fuerit lapsus.*

Sed in his verbis aliqua observo quæ ¹⁴⁹⁵ displicent, & nonnulla quæ placent. Illa verba, *sub conditione saltem mentaliter concepta*, militant contra sacramentale forum penitentiae, quod per signa sensibilia debent administrari. Non sufficit quod penitens peccata mente concipiat, sed requiritur absolute quòd illa externo aliquo signo ita explicet, ut Confessarius numerum & speciem, quantum fieri possit, ignoscat. Fateor Sacerdotem Confessario notum si in peccatum aliquod fragilitatis, exempli gratiâ, fuerit lapsus, sufficienter confiteri suam culpam, dicens, *Mæchatus sum*, nec requiri, quòd sacrilegij circumstantiam, tametsi mutantem speciem verbis confiteatur; illam enim confitetur tam clarè, ut Confessarius non possit illam nò intelligere: quod si esset Confessario ignotus, deberet hanc circumstantiam ita explicare, ut sacrilegij malitia Confessario innotesceret, puta dicendo, *Voto obstrictus sum, Sum Religiosus, Sum Subdiaconus, Sum Diaconus, vel Sum Sacerdos.* quia in omnibus istis gradibus unam & eandem specificam servandæ castitatis obligationem reperio. Ergò à fortiori Confessarius debet suam mentem extrinsecè manifestare, non solum nutis & signis, sed ex institutione Christi verbis. Ergò quando datur absolutio

olutio absoluta, debet fieri per verba absoluta; & quando conditionalis, per verba conditionalia: non igitur sufficit conditio purâ mente conceptâ. *Confirmatur:* Quia forma Sacramenti penitentiae consistit in verbis, non in intentione, hæc enim non sunt forma, sed dispositio, aut conditio sine qua non, ex parte agentis requisita: ergò qualia fuerint verba, talis erit absolutio: erit ergò conditionalis, si conditionalia; absoluta, si absoluta. *Confirmatur iterum.* Penitens habens peccata dubia non bene confiteretur, si absolute diceret se commississe illa peccata, sub conditione mentaliter conceptâ: ergò nec Confessarius bene absolvat, si verbis absolutis sub conditione mentaliter conceptâ. *Confirmatur tertio,* Intentio debet verbis correspondere: ergò si illa sit conditionalis, hæc conditionalia debent esse: & si hæc absoluta sint, illa debet esse absoluta. Aliàs enim non esset verborum & mentis conformitas, & verba illa plus mendacij quàm absolutionis haberent.

¹⁴⁹⁶ Hæc eadem verba cum antecedentibus componi non possunt. Peccata conditionata posse subijci confessioni negaverat. & scire velim quid aliud sit confiteri peccata dubia, quàm confiteri conditionata. Quod ad hominem, ut dicitur, persuadeo sic. Qualia fuerint peccata, talis debet esse absolutio: ergò si fuerint absoluta, dabitur absoluta: conditionalis, si conditionata. Atqui asserente Ioanne Sanchez in peccatis dubijs datur absolutio conditionata; ergò fuit analogia materia proposita. aliàs materia & forma non corresponderent. Ergò stando analogiæ rigori, huic confessioni, *Ego occidi*, correspondet hæc absolutio, *Ego te absolvo: huic Accuso me si fortè occidi*, respondet hæc, *Si occidisti, te absolvo*: huic autem *Dubito utrum occiderim*, quæ poterit respondere præter hanc, *Dubito, utrum possim te absolvere?* Dubia igitur, ut possit subijci absolutioni conditionatæ, debent in conditionata transire, ut si penitens dicat, *Dubito, an occiderim; si tamen occiderim, me accuso*: Tunc enim vicissim Confessarius, *Dubito, utrum possim te absolvere, si tamen possim* (vel ut Ioannis Sanchez verbis utar, *si fortè peccasti, vel capax es*

absolutionis) te absolvo. Ex quibus formosyllogismum meâ sententiâ fortissimum. Peccata dubia, non sunt capacia absolutionis nequidem conditionatæ, nisi transeant in conditionata: at conditionata teste Ioanne Sanchez non sunt materia sufficiens ad sacramentalem confessionem: ergò nec dubia.

¹⁴⁹⁷ Præterea displicet, quòd peccata conditionata distinguat à dubijs, quia cum Petrus dicit, *Si fortè occidi, me accuso*, vel scit certò & evidenter se non occidisse, vel dubitat: si dicatur hoc secundum, stat mea sententia, nempe peccata dubia & conditionata non distingui in re, sed in modo significandi. Si autem dicatur illud primum; confitetur quod scit se non fecisse, lingua enim ponit illud *fortè*, aut illud *si* (particulæ sunt dubitantis) cum tamen ipse evidenter sciat, ut ponitur, se non commississe homicidium: igitur non conditionatè conscientiam suam exponit, sed contra conscientiam conditione illâ abutitur, ac subinde mentitur.

¹⁴⁹⁸ Placent tamen illa verba, *Semper tamen liberum erit penitenti solam materiam dubiam confessione subijcere*, innuere enim videntur, peccata dubia non esse materiam necessariam confessionis, sed liberam. Sed adhuc non audebo pro nostra sententia citare hunc Authorem, quia innuit quod verum iudico, non tamen resolvit expressè, nam eadem verba aliter possunt exponi. Aliud enim est esse liberum penitenti subijcere confessioni solam materiam dubiam, vel subijcere non solam, sed certam materiam adiungendo: aliud & omninò diversum, esse liberum materiam dubiam subijcere confessioni vel non subijcere. prima enim libertas bene componitur cum hac propositione, *Materia dubia necessario est confessionis tribunali subijcienda.* tu autem utram libertatem hic Author adstruat, examina; nam si secundam, nobiscum omninò consentit.

Baldellus, & Salas.

¹⁴⁹⁹ **A**uthor est Baldellus subtilis & curiosus, quem libenter lego, & tametsi hanc materiam expressè non tractet, agit de conscientia dubia. *Theolog. Moral.*

Moral. lib. 4. disp. 3. nu. 8. & statuit Thefes, quæ cum fallitate meæ sententiæ componi non possunt: Baldello igitur mea sententia est vera.

¹⁵⁰⁰ Theses Baldelli, quæ præcipuè indigeo, *Est in dubijs nemo debet præsumi obligatus.* Et probat, nam habet Glossa in cap. Cum sunt de reg. jur. in 6. quod reo sit favendum, quando partium jura sunt obscura, cap. Cum sunt cit. & quod in pari causa melior sit conditio possidentis. cap. In pari de reg. jur. in 6. quando enim dubitatur, utrum aliquis sit obligatus, an liber ab obligatione & sui juris, ille est quasi reus, contra quem, vel pro quo est ferenda sententia, & qui est privandus vel non privandus sua libertate, & ideo est illi favendum quando partium jura sunt obscura & dubia; & ipse est possessor sua libertatis; & ideo in pari causa melior est conditio ipsius, ut non spoliatur sua libertate. & immediatè post docet cum Salas hanc regulam non solum habere locum in foro externo, sed etiam interno, quia etiam in foro interno exercetur iudicium, & idem seipsum constituit, non modo quasi reum, & accusatorem, & defensorem sui ipsius; sed etiam quasi iudicem, & ideo in ferenda sententia etiam ipse ut iudex, potest favere sibi, ut reo, si jura partium sint obscura, id est, accusatoris & rei.

Quibus verbis videtur clarissimè sequi nostram sententiam. Si enim in foro conscientiæ standum est pro reo, si materia sit dubia, certum est standum esse pro poenitente, cum dubium sit, an peccaverit: potest igitur unusquisque se innocentem censere, quousque se peccavisse certò & evidentè cognoscat.

Confirmant hanc sententiam omnes illi Doctores, qui supponunt tanquam ratum principium in omni dubio standum esse pro possessione; item & illi omnes, qui existimant omnia dubia posse benignè interpretari.

Aegidius Coninck.

¹⁵⁰¹ Scripsit de Sacramentis, & hanc materiam non obiter, sed advertenter disputat, & tract. 2. disp. 7. dub. 8. concl. 7. sic inquit, *Ad hoc ut peccatum teneat confiteri requiritur ut saltem probabiliter possim iudicare me peccavisse.* Atqui dubitans, non

judicat probabiliter: ergò qui dubitat an peccatum aliquod mortale commiserit, non tenetur illud confiteri.

Layman.

¹⁵⁰² Videtur hanc sententiam limitare & docere, neminem teneri in decursu vitæ peccata dubia confiteri, teneri tamen in articulo mortis, *Theol. enim Moral. lib. 1. tract. 1. cap. 4. §. 4. nu. 37.* sic ait, *Si in decursu vitæ alia peccata sua, quorum conscientiam habet, confiteatur, tacito illo peccato, de quo post diligentem excusationem dubitat, an commiserit, vel an fuerit mortale, tunc probabile apparet non incumbere ejus confitendi obligationem: non enim ex lege posita Christi & Ecclesiæ habetur, quia esset nimis severa obligatio accusandi se de ijs quæ commississe se ignorat. Neque ex lege naturali charitatis propter periculum animæ, quandoquidem confitendo bonâ fide peccata reliqua, per accidens remittuntur ea quæ ignorantur. Verum in hac re nihil determino, sed aliorum iudicio committo.* Ultima periodus videtur contra dentes invidiorum posita, quia in prioribus satis clarè suam sententiam exposuit.

¹⁵⁰³ In verbis hujus Authoris noto PRIMO, vocem *Conscientia* ipsi notitiam omni dubio liberam significare, dubio enim conscientiam opponit; quod si semel admittas, negare non poteris nostram sententiam esse definitam à Tridentina Synodo loco allegato. SECUNDO, bene inter mortis articulum & decursum vitæ distingui, qui enim vitæ decursu dubitat, an mortale commiserit, si alijs certis, ijsq; mortalibus, peccatis careat, non tenetur confiteri, sed posse ad venerabile Sacramentum accedere confessioni sacramentali omisâ: at in articulo mortis resultat nova quædam obligatio, suborta ex stanti periculo; quia moribundus, tametsi non teneatur confiteri peccata dubia, non debet egredi ex hac vita sub dubio. tenetur igitur reddere certam suam salutem illud dubium peccatum delendo; nimirum, vel directè, conditionatè confitendo illud sub conditione, & conditionalem absolutionem recipiens: vel indirectè per poenitentiam sacramentalem, alia peccata, tacito dubio peccato, confitendo: vel aliud

aliud Sacramentum recipiens, ut per accidens conferat primam gratiam: vel saltem, si aliundè non obstaret, eliciendo actum contritionis. Consultò, si aliundè non obstaret, dixi; posset enim adhuc disputari, an ille deberet confiteri, ut obediret Ecclesiæ confessionem in articulo mortis præcipienti. & credo hoc præcepto non obstringi peccato certo, illoque mortali carentes.

Stephanus Bauny.

¹⁵⁰⁴ St Mosomensis, è Societate IESV, an. 1640. Theologiam Moralem edidit Parisijs, & tract. 5. de poenit. quest. 3. hanc assertionem statuit. *Non quilibet adultus, sed dumtaxat qui reus est, sibi quæ verè peccati alicujus actualis conscius quod scit esse mortale, vel de quo probabiliter dubitat, an sit tale, obligatur hoc (confessionis) præcepto.* Ergò ad mentem hujus Theologi non tenetur hoc præcepto, qui vel scit esse peccatum veniale, vel non dubitat probabiliter, an sit mortale. Atqui nos agimus de puro dubio, quod proscribit utriusque partis probabilitatem: ergò qui purè dubitat hoc Authore asserente non tenetur confiteri.

Subjungit duas rationes, alteram ex Tridentino, alteram ex Lateranensi desumptam, quarum utraque probat debere exponi in confessione omnia peccata certa, neutra vel apparenter suadet esse exponenda probabilia; sed & hoc debebat persuaderi, ut tota Thesis subsisteret.

Ioannes de Lugo, Ioannes Præpositus, Leonardus Lessius.

¹⁵⁰⁵ Mat Lugo doctrinæ connexionem, & disp. 16. de Poenit. Sacram. sect. 2. §. 3. nu. 61. bonâ ratione arguit eos inconsequentia, qui cum docent peccatum dubium quoad substantiam facti non esse necessariò confitendum, docent tamen dubium quoad qualitatem facti (nomine qualitatis non nisi quantitatem intelligit) esse confitendum, ideoque illis refutatis progreditur & num. 62. Sic ait, *Alij videntur universaliter sentire, non esse obligationem confitendi illud peccatum, quod post debitum examen dubium manet, an fuerit vel non fuerit commissum, vel etiamsi constet*

fuisse commissum, dubitatur an fuerit mortale aut veniale. Ita videtur tanquam sibi probabile proponere Paulus Layman tom. 1. Theol. Moral. lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. nu. 37. licet in fine concludat se nihil in hoc puncto velle decernere, & solum alijs cogitandum proponere. Et postea Ioannes Præpositus in præsentia q. 5. de integ. Confess. dub. 3. nu. 117. dicit esse speculativè probabile, licet in praxi non sit à contraria recedendum.

[Et verè ita est, nam examinavi Præpositum; sed tantummodo loquitur de peccato dubio quoad facti substantiam, non verò de eo, quod est dubium secundum quantitatem facti; hoc est, supposito, quod sit commissum, dubitatur an sit mortale, an veniale; nam loco supra citato nu. 116. absolutè docet, peccatum dubium quoad quantitatem facti esse confitendum; de dubio autem quoad facti substantiâ problematicè disputat. & tandem n. 119. dicit hæc formalia verba: *Hæc pars (nempe negans quempiam teneri ad confitendum peccatum mortale dubium quoad substantiam facti) semper mihi visa est speculativè probabilis, similiter & Lessio, & quibusdam alijs à me consultis. & n. 120. Dixi posteriorem partem videri speculativè probabilem, quia non iudico in praxi recedendum à priori opinione.*]

¹⁵⁰⁷ Progreditur ulterius Pater Lugo & loco supra citato nu. 63. sententiæ affirmanti, peccatum dubium tam quoad substantiam facti, quam facti quantitatem, esse necessariò confitendum, adhæret; inde ab illo num. usque ad 67. efficaciter certè mihi videtur refutare rationes, quibus alij Authores eandem sententiam tenentes nituntur, & ipse tandem rationem efficacem affert: *Potissimum ergò fundamentum hujus doctrinæ desumendum est ex usu & praxi totius Ecclesiæ, cujus initium non agnoscitur, quare credendum est ab ipsis Apostolis promanasse, qui vim & obligationem inclusam in hujus Sacramenti institutione melius potuerunt intelligere.*

¹⁵⁰⁸ Verùm ad hanc rationem responderi posset, primò non constare illam praxim & usum esse in Ecclesia tanquam obligatorium. Secundò, licet id constaret, id ortum habere, ex eo quod omnes hucusque Authores ita docuerint, & pauci à

parvo tempore inceperint id reducere ad dubium: prout sapius contigit & nunc & olim in sententijs antiquari incipientibus. Videtur itaque mihi hoc argumentum tantumdem valere contra sententiam contrariam, atque contra festum Immaculatae Conceptionis valeret hoc: *Fuit praxis & usus Ecclesiae non celebrare festum Immaculatae Conceptionis, & ejus praxis non agnoscitur initium, ergo credendum est ab ipsis Apostolis promanasse, qui difficultatem de Immaculata Conceptione melius potuerunt intelligere.*

1509 Postea confirmat rationem praedictam argumento desumpto ab hujus Sacramenti institutione, & potest ad hanc formam reduci: hoc visibile poenitentiae tribunal successit in locum invisibilis tribunalis divini, ad quod antea tenebantur homines recurrere per contritionem: sed ad illud tenebantur non solum recurrere pro peccatis certis, sed etiam dubijs; ergo etiam pro dubijs modo tenentur recurrere ad hoc tribunal visibile.

1510 Sed major non videtur mihi bene fundata, similiter enim dici posset: supposito, quod aliqui in veteri Testamento peccatorum venialium sibi conscij voluissent in hac vita eorum obtinere veniam, debuissent ad illud invisibile Dei tribunal recurrere per contritionem; ergo si Lugonis argumentum sit efficax, videtur sequi a pari, quod si in novo Testamento venialium sibi conscij velint in hac vita eorum obtinere veniam, debeant recurrere ad hoc poenitentiae visibile tribunal, quod tamen constat esse falsum.

1511 Postea sibi objicit: Praeceptum servandi aequalitatem cum proximis in materia justitiae non obligat nos ad satisfaciendum illis aut ad petendam veniam, quando dubitamus de injuria aut offensa illis illata; ergo nec praecceptum procurandi pacem & amicitiam cum Deo obligat nos ad petendam veniam & offerendam poenitentiam quando dubitamus de offensa divina a nobis posita.

1512 Sed respondet negando consequentiam. Rationem disparitatis dicit esse, quod praecceptum procurandi amicitiam & servandi cum illis aequalitatem, sit negati-

vum: praecceptum vero procurandi amicitiam cum Deo, & aequalitatem cum eo servandi, sit affirmativum; adeoque non sufficiat, si nescias te illum offendisse, sed oportet procurare positive illius gratiam & amicitiam; atque ad eod facere, ut scire possis aliquo modo te in ejus pace & amicitia conservari.

1513 Responderi potest ad id, quod licet verum sit, inde tamen non sequatur quod fieri debeat illa divinae amicitiae procuratio per confessionem, cum fieri possit per solam contritionem; neque obstat, quod in veteri Testamento dubiorum peccatorum sibi conscij tenerentur ad invisibile Dei tribunal recurrere, id enim fiebat, quia non erat aliud remedium, secundum nostram autem sententiam jam pro peccatis dubijs duo sunt remedia, nempe contritio & confessio, unde alterutrum pro libitu adsumi potest.

Pater Amicus.

1514 **P** Rodijt a paucis mensibus & teritur doctissimorum hominum manibus, & agens de integritate Confessionis *disp. 13. sect. 3. nu. 55* sic ait: quæritur, An teneamur dubium peccatum confiteri? negant aliqui apud Dianam *tract. 4. de sacr. resol. 60.* affirmant vero alij: postea subjungit suam sententiam dicens: utraque sententia probabilis est, sed posterior probabilior, saltem autoritate Doctorum. Legatur Suarez *disp. 22. sect. 9. nu. 7.* & loquitur sic absolute nullam faciens distinctionem inter peccatum dubium quoad facti substantiam, & dubium quoad facti qualitatem vel quantitatem.

ARTICULVS III.

Satisfit aliquibus rationibus.

1515 **S** ubijciam aliquas objectiones contra doctrinam positam, ex quarum solutione fortius nostra sententia roboratur.

OBIECTIO I.

Q uando constat de facto, ejusque qualitate & quantitate, verbi gratia, quando aliquis certus est se commisisse peccatum detractionis, idque mortale, du-

tale, dubitat autem num illud in Confessione aperuerit, necessariò debet illud in Confessione aperire, ais, & probas: quia in illo casu constat de obligatione praeccepti, seu constat quod illud peccatum debuerit in confessione aperiri, & non constat de executione praeccepti; igitur remanet obligatio illud clavibus subijciendi, cum certa obligationi non satisfiat, neque censeatur satisfactum per solutionem seu adimplerionem dubiam. verbi gratia dubius num legerit horas, ad quas certo obligatur, tenetur easdem legere, neque per dubiam illam executionem censeatur satisfecisse obligationi certa: ratio est, quod praecceptum sit in possessione, ut omnia mortalia in confessione aperiantur, qua non debet deturbari propter superveniens dubium de adimplerione.

1516 Respondet Praepositus *num. 115.* hac quidem vera esse per se loquendo, per accidens tamen ratione scrupulorum posse aliquem excusari ne repetat in confessione peccata, de quibus dubitat num illa fuerit aliquando confessus, praesertim si id faciat ex judicio prudentis Confessarij, & addit excusari etiam posse, si dubium suboriat diu post perpetratum peccatum, & persona praemisso examine soleat bona fide confessiones instituire: quia moraliter est impossibile post diuturnum aliquod tempus positive recordari omnium, quae quis confessus est: & proinde esset onus intollerabile, si quis in ea circumstantia teneretur in confessione recensere ea, de quibus dubitat num aliquando confessus fuerit, & praesertim quando dubium est negativum, in quo homo pro neutra parte habet rationes. Vnde concludit dicens: Videtur ergo, quod quando quis bona fide procedit in confessionibus, si post diuturnum tempus de aliquo peccato solum dubitet num illud confessus fuerit, non teneatur illud in confessione explicare propter ratione dictam. Et addit multò minus teneri poenitentem peccatum clavibus subijcere, quando format probabile iudicium quod illud in confessione explicaverit, licet non sine aliqua formidine de opposito: quia ad hoc ut aliquis censeatur legi satisfecisse, sufficit iudicium probabile de

ejus adimplerione, & contrarium esset nimis grave; nam cum mens non possit semper formare certum iudicium de adimplerione legis, esset gravissimum onus, si quodocumque occurrit aliqua formido, homo teneretur rursus legi satisfacere, quantumvis iudicaret probabiliter se satisfecisse. Hac autem intelliguntur quando persona juxta suam conditionem praemissit diligens examen ad rei veritatem cognoscendam. Ita Praepositus benignè quidem & doctè, debeo tamen eidem rationi ex proprijs principijs respondere.

1517 Respondeo igitur dicendo vix esse possibilem casum propositum, adeoque suppositum negari posse; nam qui certo scit se peccatum illud commisisse, debet necessariò scire certo aut probabiliter, an sit illud confessus. Ratio est; quia dubia conscientia definitur ambigua & anceps, quae pro neutra contradictionis parte habet rationem, aut saltem pro neutra habet gravem. atqui talis conscientia non est in praesenti possibilis: ergo impossibilis casus objicitur. Probatum minor, nam vel ille qui dubitare an fuerit talem culpam confessus asseritur, est persona quae soleat bonas confessiones semper facere, aut quae non soleat; si primum dicatur, censendus est probabiliter etiam tunc adhibuisse diligentem animi discussionem; cumque post diligentem executionem vix unquam peccata gravia non occurrant (sua enim mole sese produnt, ni affectata aliqua negligentia impediatur) censendum est certo eum hujusmodi peccatum fuisse confessum; vita enim praecedens gravem rationem suppeditat, & ubi gravis est ratio omne dubium tam negativum quam positivum exulat. Si autem soleat malas confessiones facere, aut defectu examinis, -ut affectata aliqua ignorantia, jam etiam habes rationem gravem credendi illud peccatum non fuisse confessum; vita enim praecedens rationem gravem ministrat, quae quia nulla ratione forti impetitur, non tam probabilitatem quam moralem certitudinem infert. Tandem si non habeat experientiam [puta si sit puer, & incipit confessionis Sacramentum frequentare, tunc enim quia non est saepe confessus, videtur

videtur non posse ex vita præterita iudicium ferre] si habuerit propositum bene confitendi, censendus est fecisse diligentias sufficientes ut conscientiam discuteret, atque ideò & fuisse illud etiam peccatum confessus; non enim est verosimile quod non examinaverit conscientiam, nec est verosimile quod illud peccatum post debitum examen non occurrerit, cum & alia communiter occurrant; nec est verosimile quod ipse sciens & volens peccatum occurrens subticuerit: ergò verosimile non est quod debeat iterum confiteri.

1518 Sed obijcis remanere idem dubium materiã ipsã alteratã. Nam potest quis certò scire se peccavisse, & certò etiam scire se fuisse confessum, & tamen dubitare an Confessarius habuerit legitimam auctoritatem absolvendi? puta, si dubitet an ille sit Sacerdos? an baptizatus? an approbatus? an voluntatem solvendi habuerit?

1519 Respondeo hãc instantiã nihil omninò convinci; quia vel pœnitens habet rationem gravem, ut credat Confessarium non habuisse absolvendi potestatem aut voluntatem, vel non. Si habet, non dubitat, sed probabiliter philosophatur: si non habeat, non dubitat, sed errat improbabiler contra rationem gravem, si ve ratione procedendo; Confessarius enim est in possessione, & credendus est esse in legitima, quamdiu non suadeatur contrarium.

Sed quid si per impossibile aliquos in hac materia dubitaverit? Objectio VII. hoc resumet, & ibi satisfaciam.

OBJECTIO II.

1520 Obligatur confiteri is, qui post diligens examen dubius est de quantitate sui peccati, num videlicet sit veniale an mortale: quia Christus instituendo hoc Sacramentum, & præcipiendo ut omnia mortalia subijcerentur clavibus, videtur voluisse ut peccator omnia subijceret de quibus non posset formare probabile iudicium, quod solum essent venialia, idq; fuit consentaneum, cum enim non sit cuiusque nosce quantitatem peccati, fuit congruum, ut saltè quando

est dubium, peccata iudicibus deferrentur.

Respondeo me contrarium ex Christi institutione ab Ecclesia in varijs Concilijs expositã inferre. Nam si Christus iussit quod omnia mortalia subijcerentur clavibus Ecclesiæ, satisfacet qui fecerit quod ipse iussit. cumquẽ certum non sit peccata dubia esse mortalia, nec certum erit contineri in Christi præcepto, cum autem simus naturã liberi, & omnium Doctorum iudicio libertas certa lege dubiã limitari non possit, remanet ut dubia non sint necessariò in sacramentali confessione exponenda.

De I. genere dubij videtur posse esse aliqua difficultas, quando scilicet homo præmissò examine remanet dubius num aliquod peccatũ commiserit; ex una enim parte videtur obligari illud confiteri.

OBJECTIO III.

1521 **Q**uia in dubio tutior pars est eligenda, atqui tutius est confiteri: ergò in dubio ad confessionem recurrendum est.

Respondet Præpositus *nu. 119.* quando dubium est omninò practicum, tutiorem partem esse eligendam; si verò ex dubio speculativo junctis alijs principijs elici possit conclusio practica, qua concludamus nos non teneri aliquod onus subire, non semper tutiorem partem esse eligendam, ut varijs exemplis ostendi potest.

Ego autem nego absolutè illam maiorem, non enim tenemur tutiorem partem, sed sufficit tutam eligere; qui autem peccata dubia subticet tutus est, nam probabilem (et si rationum intrinseca momenta respiciam, non solum probabiliorem, sed certam moraliter) sententiam eligit. omnes enim opiniones probabiles sunt tutæ.

OBJECTIO IV.

1522 **I**n tali casu homo potest dici habere conscientiam peccati: nam tale peccatum est in conscientia saltè dubia: atqui Tridentina Synodus definit debere confiteri eum, qui habet conscientiam peccati: ergò.

Respon-

Respondeo distinguendo maiorem, illum posse dici habere peccati conscientiam dubiam, concedo: certam & evidentem, nego. Minorem eodem modo distinguo, quia definit Sacrosancta Synodus exponi debere in confessione omnia peccata quæ fuerint in conscientia, non quidem dubia, sed certa & evidenti, ut ostendi superius cum verba Concilij expendi, & modò aptissimis exemplis confirmo. Nam teste Præposito, & alijs plurimis, qui dubitat de voto, non est dicendus habere conscientiam voti in ordine ad obligationem, & ut teneatur aliquid ex vi voti exsequi; similiter qui dubitat num commiserit contra legem habentem annexam excommunicationem, si post diligens examen non possit rei veritatem agnoscere, non tenetur se habere excommunicatum. ergò similiter videtur dicendum, quod is qui post diligens examen non potest iudicare se peccasse, non teneatur credere se peccasse, sed posse se esse innocentem putare & adstruere; non ergò tenebitur censere se obligatum ad illud in confessione aperiendum.

OBJECTIO V.

1523 **H**omo tenetur conteri de tali peccato; ergò tenetur illud confiteri; quia in homine baptizato illud, quod est necessarium contritionis objectum, est etiam necessarium objectum confessionis, cum illud nequeat remitti sine ordine ad claves, & ita tenent aliqui, quos citat & sequitur Suarez *disp. 22. sect. 9.*

1524 Respondet Præpositus *num. 119.* concedendo antecedens & negando consequentiam, ad cuius probationem dicit per se loquendo objectum necessarium contritionis in baptizato esse objectum confessionis, quando scilicet constat de peccato, per accidens autè non esse; nam inter præceptum contritionis ex una parte, & confessionis ex altera est discrimen, quod de lege ordinaria contritio formalis, vel virtualis de peccato mortali, ita fit necessaria extra Sacramentum, ut nullus sine ea possit consequi remissionem peccati; confessio autem in re non ita fit necessaria. Vnde licet homo propter necessitatem medijs contritionis teneatur

conteri de peccato etiam dubio, non idcirco tenetur illud sub tali statu confiteri; quia in eo statu potest censeri non obligare jus divinum positivum; & licet dicatur, quod nullum mortale commissum post baptismum remittatur sine ordine ad claves, potest intelligi quod præceptum solum urgeat pro tempore, quo moraliter (hoc est certò & clarè) constat de peccato.

1525 Sed ego illud antecedens, quia universaliter ponitur semper nego; ratio est, quia dantur multi casus in quibus non debeat homo conteri propter peccatum dubium. *Primo* enim non tenetur conteri de illo peccato, ut ad Pœnitentiæ Sacramentum alia confessurus accedat. *Secundo*, nec post confessionem si Eucharistiam aut illud Sacramentum recipiat. *Tertio*, nec si immediatè Sacramentum aliud accedat, modò aliud mortale non habeat: unde tota difficultas mortem solam respiciet, nam eum qui conscientia dubiã repente moritur, consequi cælum dubium est; verè enim peccavit aut non; si verè, damnabitur; si non, salvabitur. Cum autem in mortis articulo debeat homo tutam reddere suam salutem videtur quod tunc saltem debeat illud peccator confessione aut contritione expiari: sed respondeo illud præceptum quo in mortis periculo obstringitur esse juris naturæ & naturæ ex periculo, quo sublato illud cessare necessarium est; aufertur tamen omne periculum, si Petrus peccati dubio anteceps confiteatur sacramentaliter aliud peccatum, tunc enim indirectè ab omnibus dubijs etiam non confessis absolvitur; item, si aliquod aliud Sacramentum recipiat, omnia enim conferunt gratiam & per accidens primam: aut etiam, si eliciat contritionem, nam ad aliquid ex his faciendum non tenetur ex præcepto Christi, sed ratione periculi mortis æternæ incurrendæ, quod jus ipsum naturæ præcipit evitare. ubi notandum est in illo contritionis actu sufficere detestationem etiam conditionatam, puta si diceret, *Doleo de illo peccato, si illud commisi.*

OBIE-

OBIECTIO VI.

¹⁵²⁵ **D**ices hoc dubium, quo aliquis dubitat num peccaverit, est solum speculativum; cum quo stare potest moralis certitudo de obligatione illud confitendi. Et explicas. Iesuita qui promittit obedientiam in omni materia quæ non sit evidenter peccatum, bene potest componere dictamen quo iudicet talem actionem esse probabiliter contra Deum, & dictamen quo certò sciat se debere sub peccato mortali illam, si imperetur, elicere: ergò in dubio confessionis eodem prorsus modo philosophabimur.

¹⁵²⁷ Respondeo potuisse quidem ita institui Sacramentum Pœnitentiæ, ut etiam imponeretur obligatio recensendi peccata dubia; tunc autem certum omninò esset debere peccata dubia in confessione exponi. Nunc autem illud sic fuisse institutum non constat, imò videtur ex Tridentina Synodo apertè constare contrarium, quamobrem existimo nos prudenter procedere, cum de hac obligatione, sicut de alijs ortis ex præceptis [in quibus ex dubio speculativo quod rem ipsam afficit, juncto hoc principio practico, *Melior est conditio possidentis*, libertatem defendimus] philosophamur.

OBIECTIO VII.

¹⁵²⁸ **C**vm responderem primæ, supposui vix esse possibile, quod homo prudens sciret se mortaliter peccavisse, & utrum fuisset confessus dubitaret, quia meo iudicio hæc veritas debet illi esse evidenter aut saltem probabiliter nota, nam ubi datur aliqua gravis ratio, exulat dubium illud de quo impræsentiarum disputamus: & argumentum quod ex vitâ præteritâ desumitur grave est. Nunc igitur vis casum urgere, & scire, An quis, teneatur confiteri peccatum si per impossibile dubitet illud fuisse clavibus Ecclesiæ subjectum? & ut probes quod sic, argumentaris.

Primò. Solutione dubiâ non satisfacit obligationi certè ergo nec confessione dubiâ pro peccato certo satisfacit.

Secundò. In omni dubio standum est pro certitudine & possessione quæ erat ante dubium; atqui ante illud dubium

stat peccatum fuisse commissum, fuisse absolutum non stat; ergo tenetur iterum confiteri.

¹⁵²⁹ Respondeo me semper supposuisse non esse in hac materiâ dubium possibile, & etiam nunc supponere, credo enim nos semper aut habere certitudinem aut saltem probabilitatem. Cæterum hypothese admittam obligationem confitendi statim non admitto. Cum certò scis te recepisse à Petro mille aureos mutuos, & dubitas an solveris, non teneris statimolvere, sed teneris examinare & potes in mortis articulum differre solutionem; nam qui dubitat se debere & solvit, exponit se periculo solvendi quod non debet, & si faciat, quî postea recuperabit rem solutam? si differat, poterit tandem aut nonolvere, si reperit se nihil debere, autolvere si se debitorem reperiat, aut dubium adhuc maneat. Quamobrem durum mihi videretur dubitantem de confessione ad ejusdem peccati certam confessionem statim faciendam obstringere; cæterum si debeat alia Sacramenta recipere, videretur durius illi accessum concedere, tu hoc examina, quia tamen rationes obligationem confitendi persuadeant, non ostendunt ante articulum mortis teneri. [Sed hic obiter dicendum est supponi exemplum quod hypothese admittam destruit. Illa erat, Dari verum & purum dubium circa confessionem peccati certò commissi; & assumitur debitum dubiû at ubi hoc? si tu dubites & creditor petat, nullum dubium est, quia illius petitio est argumentum grave quod tua ignorantia non elidit. Et tunc solum esset debitum purè dubium cum debitor, creditor, testes, & liberi essent ita ambigui, ut nullam rationem aut nullam gravem haberent affirmandi aut negandi. Vbi iterum notandum est apud homines ipsam non rationem affirmandi esse negandi fortissimam rationem, unde cum soleamus vel dare chirographa, vel in libris scribere, vel coram aliquo teste contrahere, quidquid aliquo ex istis testimonijs careat, actus singularissimus est, nec credendus tam facile potuisse excidere ex memoria, quæ firmiter retinet actiones insolitas & extraordinarias.

OBI-

OBIECTIO VIII.

¹⁵³⁰ **C**onfessio probabilis non sufficit pro peccato certo: ergò nec dubia. Probatursolvens; quia solutio in casu tantum est probabilis, adeoque incerta; contra verò debitum confitendi est certum, cui non satisfacit solutione incertâ; quia revera tunc non servatur æqualitas, ut patet in materia justitiæ; nam mercibus certò datis non respondet ex æquo solutio mere probabilis, ut fatetur Lugo, sed negat hic reperiri paritatem; verum cum Deus ex dominio proprietatis exigat actum præceptum, æquale habet jus cum eo qui traditis mercibus exigat solutionem.

¹⁵³¹ Respondeo me tenere, ex hypothese quod detur confessio dubia, non esse sufficientem, sed standum pro possessione quæ erat ante dubium, prudenter tamen, indicta enim poterunt dici, dicta autem indicta reddi nunquam poterunt; unde tamen certum sit debere peccata verè remissa & dubiè absoluta clavibus Ecclesiæ subijci, non tamen scio, an subijci debeant statim, scio enim debitorem dubium non teneri statim debitum illud dubiumolvere, maxime si desit spes recuperandi, si fortè postea jam fuisse aliàs solutum confiterit; & in confessione omnis spes recuperandi deest, quia dicta reddi nequeunt, non enim indicta fieri possunt; sed quia probabilitas assumitur ut dubium debellectur, dico esse certissimum non teneri quempiam confiteri peccatum certò commissum, si probabiliter putet illud fuisse confessum. Ita Suarius 3. parte tom. 4. disputat. 22. sect. 9. numer. 6. Pitigianus in 4. sent. tom. 2. distinctione 27. quæstion. unic. artic. 11. Diana parte 2. tractatu 4. de Sacramentis resolutione 107. Vnde ad argumentum propositum admitto in tali casu solutionem esse probabilem; infero ergò & incerta, & distinguo, incertam probabiliter concedo; at incertam esse evidenter, hoc est evidenter non-certam, sive evidenter non-ve-

ram, nego. Admitto debitum confitendi esse certum, illi autem non satisfacit solutione incertâ distinguo; evidenter incertâ ad sensum prioris distinctionis, concedo; probabiliter incertâ, subdistinguo; non satisfacit evidenter, concedo, non satisfacit probabiliter, nego. Illud quod ex justitiæ materia subsumitur, elidi potest eodem modo; solutione probabiliter incertâ non satisfacit evidenter obligationi certæ, concedo, non satisfacit probabiliter nego; & consequenter addo me Deo habenti jus certum & evidens petendi confessionem, satisfacisse probabiliter, cum probabiliter existimo me de facto confessionem posuisse.

¹⁵³² Hanc doctrinam omninò veram esse persuadeo; nam si probabile est confessionem tunc esse positam; etiam probabile est omnem obligationem esse sublata, adeoque hoc iudicium licitè practice sequimur.

Respondent aliqui negando consequentiam; nam ex probabilitate cadente super solutionem positam non sequitur probabilitas practica de inimunitate ab omni obligatione; ut patet cum quis probabiliter tantum materiâ est baptizatus; similiter ex probabilitate extrinseca Doctorum non sequitur probabilitas intrinseca quam hic indagamus.

Sed hoc non tam respondere, quam repetere est; omnem enim probabilitatem in conscientia sufficere putamus, nec exemplis urgebimur, ubique enim eodem omninò modo philosophamur, quia sicut dicimus non teneri confiteri qui probabiliter confessus & absolutus est, sic etiam dicere possemus non teneri baptizari qui probabiliter baptizatus est. Sed adhuc discrimen valdè notandum sublatet; quia confessio requiritur ratione præcepti, baptismus ratione mediij; unde licet diceremus non sufficere baptismum probabilem, non teneremur statim negare confessionem probabilem sufficere: sed semper de utroque eodem prorsus modo philosophor. Sentio enim in vitâ meram probabilitatem sufficere, at in mortis articulo majorem certitudi-

Ccc

nem ex-

nem exoptularem, agitur enim de æternitate, & non videtur actio prudens & laudabilis se exponere damnationi probabili.

¹⁵³³ Meam iterum sententiam, nimirum non teneri iterum confiteri, qui probabiliter iudicat se fuisse confessum, altera ratione persuado. Satisfit præcepto confessionis. *Primo* cum subest iurisdictio probabilis. *Secundo* per confessionem tantum probabiliter informem. *Tertio* legi & voto per jejunium probabile, ergo etiam in casu. Respondent Recentiores aliqui negando consequentiam; in primo enim casu confessio est certa per hoc quod Ecclesia tunc suppleat defectum, si forte non habeatur iurisdictio, illam pro eo actu concedendo. Sed hoc solummodo est probabile; non enim est evidens aut fide tenendum, quod Ecclesia tunc suppleat; unde si talis confessio sufficiens est, jam evidenter admittitur certa confitendi obligationi per probabilem confessionem satisfieri. Veniunt ad alios actus, & inquirunt idem solutione pure probabiliter satisfieri, quod probabiliter tantum sit obligatio ad eos actus quos constat esse positos; lex verò confessionis præcipit confessionem correspondentem debito certo, qualis nos est tantum probabilis. Hinc patet tunc per actum probabilem satisfieri legibus positivis quando probabile est per legem tantum præcipi eum actum quem constat poni. Sed neque hæc solutio placet, unde enim scitur alias leges solum obligare ad actus ponendos probabiliter, & legem confessionis ad ponendos certo; maxime cum admiserint confessione facta Sacerdoti habenti iurisditionem probabilem satisfieri præcepto, hæc enim ut vidimus solummodo probabilis est: & si ad Ecclesiæ benignitatem recurritur, aditur via mere probabiliter, quia Ecclesiam supplere huiusmodi defectus non evidens & certum, sed solum probabile est. Sed quia de probabilitate agimus, doctrinæ præcedenti aliã veritatem adiungam, ut omnia, quæ hanc materiam concernunt simul habeas, dico igitur, *Probabiliter iudicantem se non peccasse mortaliter, nisi oppositum patet probabiliter, non teneri*

confiteri. Ita cum alijs Sanchez *sup. nu. 76.* contra Salas. Ratio est, quia si dicamus confessionem probabilem non sufficere, adhuc dicendum esset in casu præsentis neminem ad confessionem obligari, nam probabile est deficere conditionem absolutè, dependentem à quâ lex obligat, ac proinde talis licet iudicaret se non comprehendere lege, nec eã obligari; ergo ex quo sequitur eum non teneri præcepto confessionis qui amplexus est malum, omnino præscindendo an id esset mortaliter vel tantum venialiter malum; quia probabile est tunc non peccari mortaliter, ut cum Valentia & Salas docet Diana *suprà resolut. 162.* Si autem dicamus, ut debemus, confessionem probabilem sufficere ut pro peccato certo ita satisfaciamus, ut non teneamur illud iterum confiteri, à fortiori dicendum est esse liberum à confitendi obligatione illum quem probabilitas conscientie salvat, nemo enim tenetur se reum credere, quousque evidenter se peccavisse cognoscat.

Ex hac igitur probabilitatis doctrina ad dubia rediens, non esse de essentia confessionis ratione efficacissima confirmo.

¹⁵³⁴ Qui minus probabiliter iudicat se non peccasse mortaliter, licet probabiliter iudicet se peccasse, non tenetur confiteri ut ostendi: ergo à fortiori qui ita dubitat ut nequidem minus probabiliter credat se peccavisse graviter. Ita Coninck, Layman, Lessius & alij qui putant saltem speculative hanc posse teneri sententiam. *Probatur primo.* Obligatio confitendi oritur ex lege præcipiente accusationem de admissio peccato, hoc autem in casu nequidem probabiliter est admissum, imò etsi constet commissum esse veniale, non tenemur id confiteri, quomodo ergo tenemur in casu cum nequidem constat de veniali; nisi forte dicamus liberari à confitendi obligatione, qui perfectius cognoscit se peccasse, quod absurdum est. *Cognitionem autem probabilem esse dubiam multo perfectiorem est certum.* *Secundo.* in omni foro quando dubium est an debitum sit contractum, nihil est solvendum ergo

ergo qui dubitat, an incurrerit obligationem confitendi, nihil debet facere. *Tertio.* dubius de ætate an expleverit vigesimum-primum annum, dubius de emissio voto, an incurrerit excommunicationem, ad nihil obligatur, ut docet Sanchez *sup.* quia melior est conditio possidentis suam libertatem, quæ regula locum habet in omni materia virtutum; ergo qui dubitat, an peccaverit, potest prudenter stare pro puritatis possessione, quæ erat ante dubium, & credere se non peccavisse, & consequenter se non teneri confessionis præcepto. *Quarto.* quia non videtur dari obligatio confitendi eam materiam cum qua sæpe nequidem consistet Sacramentum, talis autem est peccatum dubium in nostro casu, ut videmus: ergo non datur obligatio confitendi.

OBIECTIO IX.

¹⁵³⁵ Non est probabilis sententia, quæ militat contra omnium Doctorum consensum, atqui asserens certum se peccasse, dubium an mortaliter, ita ut ne probabile quidem iudicium de eo queat elicere, non teneri confiteri Doctorum torrenti, ut aiunt, opponitur. ergo. Minorem probas ex omnium Doctorum sententia, quos citat Sanchez *suprà nu. 66.*

Sed hæc ratio non urget, contrarium enim ex Doctorum consensu deduci optime Layman innuit *lib. 1. tract. 1. c. 5.* pro quo facit hæc ratio: substantia rei necessario confitendæ est culpa mortalis, ut patet ex Concilijs & PP. atqui in casu substantia rei necessario confitendæ est dubia, quia ne probabiliter quidem constat admissum esse mortale; ergo dubium est an tale mortale lege comprehendatur, & consequenter an lex sit lata de ea materia confitendæ; ergo cum in dubio legis latæ prævaleat possessio libertatis, non est obligatio confitendi.

OBIECTIO X.

¹⁵³⁶ Hanc nonnulli prætenfam obligationem confitendi peccata dubia probant ex Tridentina Synodo, quæ *Ses-*

sonis 14. cap. 5. docet *primo*, Omnia mortalia esse confitenda quæ sunt in conscientia pœnitentis; atqui tale est peccatum dubium, ergo. *Deinde* tantum excipi ab hac intentione confitendi sola venialia: *VERVM* nihil inde concludi patet ex ratione, quam subiungit Concilium, quia universa mortalia, inquit, hominem iræ filium & Dei inimicum constituit, quæ ratio non competit dubio mortali; hoc enim, quia dubium est, cum pro reo faciat possessio libertatis, potius æstimandum est veniale quàm mortale, & consequenter non videtur confitendum, præsertim cum Concilium non magis meminerit dubij mortalis, quàm circumstantiarum aggravantium intra eandem speciem; ac proinde sicut arguitur ex Concilio has non esse confitendas, ita nec dubium peccatum; vel discam ubi claudicet hic syllogismus [Ecclesia docuit nos bene materiam confessionis; sed quia non dixit circumstantias aggravantes debere in confessione exponi, probabiliter posse omitti dicuntur: ergo etiam probabiliter omitti poterunt peccata, quæ tamen certo sint peccata, sunt mortalia minus quàm probabiliter, hoc est, dubie. Patet consequentia, quia nec dixit Concilium talia peccata debere in confessione exponi.]

OBIECTIO XI.

¹⁵³⁷ Tota ratio excusandi pœnitentem in dubio est ne gravetur in dubio; atqui vera non est: ergo probatur minor. quia non indicitur ipsi, ut confiteatur peccata dubia ut certa, tunc enim verè gravaretur; sed quod confiteatur ut dubia, adeoque certum est non gravari ultra dubium.

Sed hæc ratio merito infirma visa est P. Lugo; nam etsi reus non teneatur confiteri ut certum, tenetur tamen absolute confiteri, quod est certum onus limites dubij excedens, hoc enim non debet præiudicare libertati.

O B I E C T I O XII.

C Errus de emisso voto, dubius an adfuerit sufficiens libertas, tenetur voto; ergo ob similem causam lex confitendi in casu est in possessione. *Respondetur* I. negando antecedens cum Soto, Mald. Sa. &c. quia dubitatur de substantiâ voti ut id est aptum obligare & consequenter etiam de voto simpliciter. II. negatur consequentia; quia hic constat de voto, idque est in possessione, in casu verò dubitatur de lege latâ circa hanc materiam.

C O R O N I S.

H Vcusq; ut puto, certissimè ostendi peccata qualitercumque dubia non debere necessario obijci clavibus Ecclesiæ; nunc autem ad sedandas conscientias & omnes abolendos scrupulos aliquas Conclusiones addemus.

Prima. Qui dubitat an commiserit tale peccatum non tenetur illud confiteri. Constat ex disputatis & in totâ contraversiâ discussis.

Secunda. Nec potest illud dubium peccatum ut certum confiteri. Patet, quia qui dicit quæ dubitat, mentitur; asserit enim esse certa, quæ esse certa non sentit.

Tertia. Potest peccatum dubium ut est, nempe ut dubium clavibus Ecclesiæ subicere; & Confessarius ni adjungatur alia materia certa, debet conditionatam absolutionem dare. Constat ex praxi communi omnium,

qui nos possunt dici ita errare ut nequidem probabilitatem teneant.

Quarta. Confessus peccatum dubium ut dubium, si deprehendat deinde certum, non tenetur id ut certum confiteri. PRIMO. quia cum exposuerit illud, prout erat in conscientiâ, quod tantum exigit Trid. sess. XI V. cap. 5. est ab eo directè tametsi conditionatè absolutus perinde ac is cujus peccatum à Sacerdote existimatur veniale, cum sit mortale; sicut enim Sacerdos tunc vult absolvere à peccato prout est à parte rei, ita etiam in casu nostro, atqui peccatum, à quo quis directè absolutus est, non tenetur ex jure divino iteratò confiteri; ergo.

SECUNDO Ex communi sententiâ cōfessus se morosè delectatum decies circiter, si certò deinde deprehendat se duodecies peccasse nos tenetur eas vices postea confiteri, & tamen eas non confessus est ut certas, sed modo dubio; atqui similis ratio urget in casu; ergo.

TERTIO Dubius de voto, excommunicatione &c. si petat dispensationem, solvitur omni obligatione, etsi deinde deprehendat certò emissum esse &c. ergo idem est in casu. Ex communi tamen sententiâ & praxi tale peccatum est confitendum deinde ut certum; sed an praxis ex scrupulo an ex ratione orta non disputo. Videtur enim homo pœnitens non velle disputare, nec librare rationes, sed sequi securissimam partem.

C A P V T II.

De Conscientiâ Probabili, Evidenti, Fideli.

D E dubiâ hucusque, & generalissimo vocabulo omnem illam, quæ gravi ratione destituitur; intelleximus, nunc pauca addenda de Probabili; pauca quidem, quia iter agentium hinc à libris, inde à cursorum cornibus vocato vix tempus respirandi superest, adeoque brevia omnia placent temporis inopiâ laboranti. Nec plura necessaria; nam de probabili conscientia in Commentario in Regulam D. Benedicti disputavi; nec juvat eadem secundo cala-

mo resumere, cum ibi sint clariùs & uberius expressa.

Probabile dictamen.

Q Væ ex gravibus fundamentis infertur, probabilis Conscientia dicitur, & debet semper in gravem rationem refundi: nam qui propter Authores assentitur, idè assentitur, quod existimet eos habuisse graves asserendi rationes; unde vel ipsius Augustini sententiam temerè & imprudenter teneret, cui divinitus

nitus ratione gravi destitutam fuisse revelaretur.

Positis fortibus utrimque rationibus viro prudenti liberum alterutri parti adherere. Prudenter asserere, prudenter & negare poterit: & in electionis resolutione stabit pro ratione voluntas; potest enim non solum probabiliore, sed & minus probabili securè & tutè; imò & minus probabili, si benigniori, tutius & securius subscribere.

Præter assensum dissensumve, datur in probabilibus tertium iudicium, & quidem, ut opinor, prudentius. Positâ materiâ probabili doctè asseres doctè negabis si malueris; doctè dices, *Utrumque est probabile, alterutrum teneri potest.*

Tametsi per se loquendo liberum sit homini habere opinionem quam vult, si materia est probabilis; nonnumquam per accidens teneberis juxta unam contradictionis partem operari & discurrere. PRIMO, in tribunali confessionis; quia cum iudex sis, & peccata idè sint mala quod contra mentem pœnitentis commissa, debetis non tuum sed illius dictamen sequi, & ad mentem illius philosophari & iudicare. SECUNDO, in voti aut juramenti vinculo. Quia si juraveris aut voveris unam contradictionis partem defendere, aut juxta unam operari, & sit ipsa melior oppositâ, aut proximo utilior, stare promissioni teneberis. Vnde PP. Iesuitæ, quia promittunt obedientiam in omni materia quæ nos sit evidenter mala, posito Superioris præcepto tenebuntur juxta minus probabilem sententiam operari, aut etiam actiones probabiliter malas elicere. Si debitum probabile sit, liberum tibi erit te debere aut non debere existimare; at si promittas creditori probabili te habiturum esse talem sententiam, teneberis stare promissis. Virginem esse conceptam cum peccato aut sine peccato probabile est; alterutrum ante centum annos laudabiliter docebatur, defendebatur; si tunc aliquis adjuratus à Thomistis Promitteret se defensurum esse Sententiam D. Thomæ, virginem esse conceptam cum peccato, propugnare ex vi juramenti deberet, sicut è contrario conceptam sine peccato fuisse, si vellet

Scoticam scholam rigidè profiteri. Iam omnes in hac materiâ, tametsi sentiamus quod volumus, Immaculatam conceptionem asserimus, ut morem geramus Pontifici Thomistica opinionis defensionem ab orbe Christiano proscribenti. Præter votum, juramentum, præceptum, etiam proximi necessitas cogit hominem mutare dictamen probabile. Non posse absolvi, qui nullum signum dederit, quo videatur actualiter petere confessionem sentis & quidem probabilissimè, tibi enim viri doctissimi consentiunt, & tamen te peccaturum esse mortaliter si non mutes dictamen assero, cum moribundo omnibus sensibus destituto, qui nullo signo externo confessionem petit, occurris. Ratio est clarissima; ille enim est in extrema necessitate constitutus, in periculo aternæ damnationis, & jure fraternæ charitatis teneris eum adjuvare si potes. ergo & teneris ipsum absolvere, id enim potes; quia tametsi non possis operari contra tuum dictamen, potes illud prudenter mutare, & opinioni probabili subscribens illi absolutionem concedere. Etiam urget per accidens hoc ipsum in contractu; videtur enim minus valere aurum probabile quam verum, fierique venditori injuriam, si putanti; se verum aurum recipere, probabile dares. Hac de probabilitate sufficiant, dubia enim quæ occurrere possunt in Cōment. meo in Regul. Benedictinam abundè resoluta sunt.

Conscientia Evidens.

V bi illa? haud nullibi, haud ibi solum ubi homines non sunt homines, ubi à peccati originalis reliquijs tenebrosis exuti transijisse dicuntur in Angelos. Haud fallor, haud viatori cognitiones evidentes paucissimæ concessæ sunt. Neque statim, si prudentes simus, nos evidenter cognoscere quæ evidenter cognoscere putamus, dicturi, cum experiamur sensus ipsos externos in clarissimis rebus errare. Experimentiâ evidentia universæ fundantur, & tamen Sapientum est lemma, *Experimentum fallax.* Dum hæc scribo, memoriæ occurrunt illustria amicorum exempla, qui se evidenter scire

scire professi, quæ postmodum reperta falsa. Tæderet singula recensere, sed ex omnibus simul hoc mihi sæpe sapius ratiocinium efformo. Petrus, exempli gratiâ, vir prudens & cautus se habere hujus rei evidentiam oculis proprijs hauttam in materiâ in quâ decipi non potuit, credidit, imo id ipsum jam iuramento, jam concertatione & pretij expositione firmavit, & tamen illi evidentiam subfuit falsum; (rem visam, & multis qui mecum viderunt admirabilem narro) ego igitur, cum sim hominis illi, passibilis imò & fallibilis, non debeo pertinaciter nundinari evidencias, sed propriæ conditionis fragilitatem confiteri, & probabilitate contentus evidencias & certitudines cælitibus solis relinquere, ad fidem Catholico-Romanam tanquam ad anchoram fixam confugiens, ut ibi subsistentiam inveniam, qui vix ullam in discursu naturali possim. *Vix ullam* consultò dixi, universæ enim positiones, quæ evidentes & certè creduntur, ad paucissimas reducerentur. Ecce ferè omnes.

Prima. *Impossibile est idem simul esse & non esse.* Hæc est omnium Metaphysicarum resolutionum basis & radix; hinc quòd duæ contradictoriæ nec simul veræ, nec simul falsæ possint esse. hinc quòd omnium illorum existentia repugnet, quæ implicant contradictionem.

1544 Secunda. *Deus est: Deus nec falli nec fallere potest.* Siquis hanc ad dubium aut ad probabilitatem redigat, totam destruet moralem Theologiam, totam fidem, omnes omnino religiones. Nō enim suam ludæus, Idololatra, Mahometanus (ut non videar ad solos Christianos aut forte Catholicos resolutionis efficaciam restringere) poterit propugnare, si aliqua præmissæ positionis pars possit in dubium revocari. Siquis eandem fide tenendam asserat, circulum vitiosum committet, probandam positionem supponens. nam sicut primum rerum physicarum principium non debet esse principiatum, nec primum subjectum sustentatum, nec primum movens motum; & ut ad moralia veniam, sicut principium meriti non cadit sub meritum; ita nec fidei principium sub fidem. Cum igitur Dei exi-

stentia, infallibilitas, veracitas, sint fidei orthodoxæ principia, sub fidem cadere non possunt; aliàs enim semetipsas supponerent & sequerentur, quod admitti non potest.

His duabus veritates abstractas, quas Mathematici speculantur non adjungo; mente enim conceptæ ipsæ, & ab omni existentia præcisæ; nam earumdem idea monstrari potest, existentia non potest. Demonstratur omnem triangulum æquiangulum si detur, esse æquilaterum; dari autem de facto in rerum naturâ vel unum triangulum æquilaterum & æquiangulum non demonstratur, nec unquam demonstrari poterit.

Adjungam tamen sensuum notitias, 1545 non verò sine aliquâ formidine; adeoque vix adjungam; qui enim videmus sensus ipsos sapiusculè decipi & hallucinari, cur ex illis infallibiles evidencias haurire præsumpturi simus, non percalleo: teneo tamen sensationes, ni exorbitare deprehendantur, gignere morales certitudines, tales, ut si decipiamur, invincibiliter decipi possimus affirmare.

Conscientia fidelis.

E Adem ipsa, quæ religiosa, quæ fide & revelatione subnixâ; illa quæ divino oraculo fundatur. Quàm multa hic occurrunt! quàm pauca sum dicturus! speciale opus apparo, in quo de fide tenendâ & capescendâ.

Sanè hominem esse sanctum non est 1546 actus fortunæ sed virtutis: & multos video fortunæ impulsu, aut in Romanâ religione detentos, aut ab illâ ablegatos, aut etiam ad illam perductos. Res quidem summa religionis electio. nec debet fieri ex motivis leviusculis aut nugatorijs. Non sufficit audire nudum nomen Christi, ut quis ludæus aut Mahometanus teneatur suum errorè deponere, & Romanam Ecclesiam advenire: sicut nec sufficit audire nomen Iovis, aut Mahomethi, ut quis fieri Ethnicus aut Turca debere dicatur. oportet, ut talis fiat fidei propositio, ut evidenter videat res fidei esse credibiles & credendas. Ita omnes illi Doctores, qui Romanæ Ecclesiæ fortissimæ columnæ creduntur.

D: Tho-

D. Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 4. ad 2. sic ait. *Non enim crederet, nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid huiusmodi.* Nota illud videret nota illud evidentiam, nota illud credenda. non enim sufficere evidenter videre res fidei esse credibiles, ni videremus evidenter esse nunc de facto credendas.

1548 Bannez 2. 2. qu. 10. art. 1. dub. 3. conclus. 2. dicit. *Quamvis gentilis audiat explicitè Evangelium ab aliquo Prædicatore verè Christiano, non statim peccat infidelitatis peccato, si non credit, nisi Prædicator proferat testimonia, quæ sint apta, & sufficientiant hominem convincere, esse credibile quod prædicatur, & vehementer persuadere, quod tenetur credere.* & Postea conclus. 4. videtur minus consequenter docere. *Si Gentili prædicetur Evangelium, & ostendatur magis credibile, quàm omnis alia Religio circa cultum veri Dei, tenebitur credere: quod si non credat, peccat infidelitatis peccatum. Quia in re tanti momenti, qualis est non errare in cultu veri Dei, tenetur homo sequi, quod probabilissimum est omnium dog-*

matum aliàs exponit se periculo errandi circa finem. Sed summa probabilitas est probabilitas, adeoque non excludit omninò periculum errandi.

Malderus 2. 2. qu. 10. a. 1. *Quæri hic potest secundo. Quomodo oporteat, fidem esse propositam, antequam incuratur peccatum infidelitatis?*

Et respondet, ad hoc ut aliquis teneatur credere debere talem esse fidei Catholice propositionem, ut evidenter videat res fidei esse credibiles & credendas. Sub iisdem omninò terminis Thesin defenderunt Lovani; in Dominicanorum Gymnasio sub Eximio Patre Leonardo, & in Hallis publicis sub Eximio D. Liberto Fromondo, in Patrum Societatis Collegio sub Patribus de Jonghe & Derkennis: Brugis in Dunensi sub Eruditissimo D. Leandro Bandtio tunc Sacræ Theologiæ Professore, & postmodum Catholici Regis favore Dilembergensi Abbate, fortissimi ingenij Viro, Moralem Theologiam promoturo, ni ante diem fuisset ad cælos, ut spero, translatus.

F I N I S.



LIBER

LIBER IV.

DE IPSA LEGE DIVINA,

SEV DECALOGO.

Λογος apud Græcos est ratio; & quidem meritò decem Legis naturalis præcepta, decem rationes, seu Decalogon dixeris, omnia enim & singula sunt consona rationi naturali & dictamini. Multa alij fusè, multa diffusè aliqui, multa confusè; nos brevius & liquidius; nam Divinam Legem exposituri, non tam ad Authorum placita, quàm ad revelationes supernaturales, & naturales rationes recurremus.

PRÆCEPTUM I.

Indicit Dei cultum internum, Fidem, Spem, Charitatem; at Idololatricam, Hæreses, Præsumptionem, Desperationem, Odium Dei, & huiusmodi peccata interdicat.

EXODI 20. 4.

EGO SVM DOMINVS DEVS TVVS, FORTIS, ZELOTES. NON HABEBIS DEOS ALIENOS CORAM ME.

Non jubet, ut credat homo dari Deum, nam hoc sub præceptum non cadit. homo enim ut teneretur obedire, præcognoscere Legislatorem deberet, ergò & Deum; is enim est Author Decalogi. supponuntur ergò Dei existentia, infallibilitas, & veracitas lumine naturali notæ, & leges affirmantes & negantes adduntur.

Sed tu. Si Decalogus non jubet credi Deum, Atheus quidquid fecerit, argui nō poterit: primò quia decredere Deum non erit contra Decalogum adeoque nec peccatum, & ex hypothèsi quod licite negetur Deus, licitè Decalogus violabitur, iste enim non esset moraliter obligatorius, si Deus non esset.

Repondeo Atheum (ago de illo qui vincibiliter ignorat Deum) virtualiter cognoscere Deum; quia cum ex malitiâ & voluntate illum ignoret, ita se habebit

in iudicio ac si cognitum contemneret negaretque.

Videor audire Deum Exodi capite citato dicentem. Non est opus, ut dari Deum te doceam, ut ejus te credere existentiam præcipiam, ejus æternitatem omnes creaturæ demonstrant, si dubites, te ipsum audito. Es, non eras, & Authore carere non potes. Parentes tui genitores sunt geniti, & quia processus in infinitum dari nequit, deveniendum ad productorem improductum; & hic est Deus. Hic igitur improductus rerum omnium productus, ingenuus univerforum genitor, causa incausata, movens immobile, ut verbo dicam, iste Deus, iste Dominus, Ego sum. Testimonio huic veritati tibi sit mea fortitudo, vides enim à me maria dividi, elementa regi, syderum periodos suspendi, & talia tandem fieri, quæ possunt fieri à solo Deo. Videor inquam huiusmodi excursus audire & fideliter audax sic inquã, te credo Deum, & tuæ fidei subscribo; si enim, quod impossibile est, decipior, à te uno decipior, tanta enim in meæ religionis confirmationem miracula patrata sunt, ut non potuerint ab alio fieri quàm à te. sic inquam, Magno illi Richardo de S. Victore, sic & alijs sanctissimis viris subscribens.

Postquam fortitudinis attributum dominus

minus Deus nosse expresserat, se zelotem affirmat, solus vult coli, & omnem idololatriam proscribit. *Non habebis, inquit, Deos alienos coram me.*

Hinc constat lumine naturali demonstrari non posse hunc quem nos colimus esse verum Deum, & non dari alios Deos præter ipsum. Et tamen stante humani ingenij debilitate stat summa fidei orthodoxæ securitas. Considera sequentes positiones.

Prima. *Lumine naturali notum dari causam primam, æternam, omnisciam, & omnipotentem; quæ falli nequeat, & fallere non possit. & hæc est Deus.*

Secunda: *Persona illa quæ loquuta est per Prophetas, summis patratis miraculis monstravit se esse hunc Deum.* In memoriam revoca plagas Aegypti, maris rubri divisionem, Solis & Lunæ ad vocem Iosue stationem, & alia innumera quæ singulis diebus occurrunt.

Tertia. *Deum esse unum & non plures demonstrari non potest; probabilis tamen ostenditur.* Prima assertionis pars ostenditur; quia ferè omnes illæ rationes, quæ videntur personarum pluralitatem propugnare, videntur etiam Deorum pluralitati favere; nec erit, qui præscindendo à fide demonstrat dari claram disparitatem.

1552 Probaturus essentiæ divinæ unitatem sic discurre. Deus infinitus est, ergo unus est. Probas consequentiam; quia nisi unus esset, infinitus non esset. nam si darentur duo vel plures Dij, aut primus haberet omnes formalitates, quas secundus, aut aliquæ ex illis careret si haberet, non jam essent duo, sed unus Deus; quia pluralitas in distinctione consistit, & distinctio unum non esse aliud, hoc est, dari in uno quod non detur in altero requirit. Si careret, jam non esset ille primus Deus infinitus, quia infinita perfectio illa non est, quæ aliquæ perfectione caret.

1553 Cum hanc rationem formamus, videmur Idololatrias triumphare & omnino suppressere, & quidem si rem examinemus Deum esse unum à fide & revelatione habetur; homini enim ingenio & rationi naturali derelicto obscurior esset divinæ unitatis notitia, quam putatis.

Primò enim huic argumento ex principijs & fundamentis naturalibus responderet Polytheus (sic plurium Deorum cultorem nomino) negando primam consequentiam. Ad probationem negaret etiam illam conlitionalem. Ad confirmationem diceret Iovem habere infinitam perfectionem in suo genere, & Saturnum in suo, adeoque nec Iovem indigere perfectione Saturni, nec Saturnum Ioviali. Et tandem illam positionem, *Infinita perfectio illa non est, quæ aliquæ perfectione caret, distingueret; quæ caret aliquæ perfectione sui ordinis, concederet; aliquæ alterius ordinis, negaret.* bene enim posset dari aut intelligi infinitum in genere magnitudinis sine albedine, & infinitum in genere albedinis sine sapore, &c.

Secundò idem argumentum Polytheus contra Mysterium Trinitatis obijceret, & argueret sic. Eidem argumento in Trinitatem retorto aut potest satisfieri, aut non potest. Si potest argumentum huiusmodi salvâ personarum pluralitate elidi, etiam poterit salvâ Deorum pluralitate, si non potest, non solum Deorum, sed & Personarum divinarum pluralitas debellatur. Illud igitur retorqueret sic. Persona divina infinita est, ergo una est; nam si una non esset, infinita non esset. Si enim darentur tres personæ, aut prima haberet omnes omnino formalitates quas secunda & tertia, & sic non distinguerentur, aut prima haberet aliquid quo carerent reliquæ, & illa aliquid quo careret prima, & sic distinguerentur quidem, sed non essent infinitæ, non enim infinita esset persona, quæ aliquæ perfectione careret.

1555 Huic argumento respondent aliqui Patrem carere quidem filiatione & spiratione passivâ; Filium paternitate & passivâ etiam spiratione; Spiritum sanctum paternitate & filiatione; carere inquam formaliter, non verò æquivalenter, nam tametsi illas formalitates non habeat, habet tamen alias æquivalentes. At Polytheus, licet posset hanc responsionem impugnare, solutionem admitteret, diceretque Iovem quidem carere perfectione Saturni formaliter & per se, sed illam habere per æquivalentem; habet enim aliam

æquivalentem. hoc est, æque bonam, & æque perfectam.

1556 Respondent alij Patrem carere quidē Filiatione formaliter, habere tamen illam virtualiter, aut eminenter. Et Polytheus tamen utrumq; posset impugnare, illa enim dicuntur virtualiter quæ ita se habent, ac si essent realiter; adeoque Pater si haberet Filiationem virtualiter, esset Filius virtualiter, & ita se haberet ac si esset Filius realiter, quæ non videntur mysterio consonare. Et etiā illa dicuntur contineri eminenter, quæ in formalitate nobiliori, ut anima vegetativa in sensitiva, & hæc in rationali, non è contrā, quia rationalis sensibili, & sensibilis vegetabili nobilior est. Si igitur Filiatio in Paternitate eminenter imbibitur illā præstantior ista est; & quia è cōverso, illa hac est præstantior. Ergo Filiatione Paternitas simul nobilior & ignobilior est. quæ omnia sustineri nō possunt. Sed jam mitior & benignior Polytheus hæc omnia condonans, eisdem omnino verbis argumento contra se objecto satisfacere dicens, lovem carere formaliter perfectione Saturni, at illam habere virtualiter & eminenter.

1557 Tandem alij divinas relationes nullam perfectionem importare credentes, Patrem carere Filiatione concedunt, negant tamen carere aliqua perfectione Filij, quia juxta illos Filiatio non est perfectio. Cur non etiam Polytheus lovem carere saturnitate, seu taleitate Saturni concederet, addendo Deorum eccitates nullam perfectionem involvere?

1558 Postremo divinas relationes nonnulli dicunt esse perfectas & infinitas, non infinitate propria sed infinitate essentiali, adeoque asserunt unam & simplicissimam perfectionem in tribus personalitatibus reperiri. Quibus Polytheus facili negotio subscriberet asserendo Deorum eccitates esse quidem perfectas & infinitas, non tamen infinitate & perfectione propria, sed essentiali specificæ, adeoque omnes Deos habere unam & eandem specificæ perfectionem & infinitatem.

1559 Ratio igitur nostra, tamen fortis, quia à Polytheo satis robuste in Trinitatis mysterium retorquetur, tenendum non esse per se notum, nec evidens dari unum

solum Deum, sed Deorum pluralitatem posse stando puris principijs naturalibus defendi & propugnari. Vel si Vnitas aut evidens aut per se nota, qui Romani & alij bene culti & docti populi fuerunt Polythei idololatræ: illis enim, ut puto, non deberet negari clarissimarum salterum rerum notitia; & siquidem essentiali divinitate unitatem non agnoverunt, liquidò constat eam non esse clarissimam, sed esse potius obscuram à solis Philosophis & doctioribus viris per probabiliora ratiocinia indagabilem.

Sed infero. Ergo Deum potius esse unum, quam plures non scimus certo, sed 1560 solum probabilius. At ego nego consequentiam, & ut causa meæ negationis innotescat, sit positio.

Quarta. Deum esse unum & non plures de fide est. Quinta. Eriam de fide esse unum & trinum. Patet; quia si semel constet evidenter dari Deum (unum vel plures) qui nec falli nec fallere possit: & etiam constet eam personam, quæ mihi loquitur esse Deum; constabit liquidò ipsam fore credendam. Atqui ipsa dicit non dari plures Deos sed unum, huncque esse unum in natura & substantia, & trinum in personis; ergo Deum esse trinum & unum de fide est; ergo certius certissimo. Optimè igitur Polytheismus divinitate sanctione proscribitur à Deo dicente, Non habebis Deos alienos coram me.

EXODI 20. 4.

NON FACIES TIBI SCULPTILE: NON ADORABIS EA NEQUE COLES. Consonant alia loca. EXOD. 30. 23. Non facietis Deos aureos vel argenteos. LEV. 26. 1. Non facietis vobis idolum nec sculptile, nec titulos erigetis, nec insigne lapidem ut adoretis eum. DEVT. 4. 19. Non adores nec colas solem, lunam, stellas &c. DEVT. 4. 24. Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus emulatore. DEVT. 12. 3. Dissipate aras Deorum & gentium confringere statuas, lucos comburite, idola comminuite, disperdite nomina eorum de locis suis.

Hoc testimonio abutuntur Imaginarii Hæretici, & inter eos Calviniani ineptissime asserentes ulum imaginum divinitus esse interdictum. Cum Papistam (sic quem-

quemcumque Catholico-Romanum vocitant) vident, ingeminant, Confundantur, qui adorant sculptilia. & ut detestabiles nos plebi deceptæ reddant, hoc falsum testimonium imponunt: Idcirco operæ pretium erit hanc Decalogi lineam altius examinare.

1562 Adoratio duplex est. altera ut quod, altera ut quo. Adoratur ut quod ipsamet res, quæ coli & adorari dicitur; at ut quo omnia illa, quæ sunt motiva & occasiones recordandi & adorandi. Crucem ergo & Dei imagines adoramus ut quo, non ut quod; Deum solum ut quod, non ut quo. & hæc adorationis divisio & distinctio non est juniorum commentum, sed veterum Christianorum dogma & thesis. Satis antiquum istud carmen

Est Deus id quod imago docet, non Deus ipsa.

Etiā & hæc

Effigiem Christi in ligno pendentis honora, Non tamen effigiem, at quod representat, adora.

Igitur ab ipso Catholice Ecclesie initio ligna & imagines semper sunt culta ut quo, nunquam ut quod; calumniantur igitur Calviniani cum asserunt à Romanis ligna & sculptilia, (nempe ut quod) adorari. Sed hæc pro imaginum cultu sufficienter resumenda alibi in libello qui inscribetur *Cana Calvinii lictor*, ubi ostendā ipsam cœnam esse imaginem, hæreticolque absurdè cœnam retinere & imagines alias proscribere: si enim imagines sine idololatriâ coli non possunt, ipsi sunt idololatræ cum panem Deum significantem venerantur & colunt; & si ille panis potest coli ut quo, prout mysticè Christum significat, cur eodem modo non possint coli imagines visibiles & audibiles (statuas, picturas & voces intelligo) nunquam ostendent Calvinistæ

DEVT. 6. 16.

AVDI ISRAEL: DOMINUS DEVS TVVS VNVS EST, DILIGES DOMINVM DEVM TVM EX TOTO CORDE TVO ET EX TOTA ANIMA TVA ET EX TOTA FORTITVDINE TVA.

1563 Prima pars definitiva est, secunda præceptiva; illa fidem, hæc charitatem respicit. fide tenendam statuit Deus essentiali

divinæ unitatem; manuducens homines ne in polytheismum labentur; nam ut superius vidimus, prudentia humana viribus naturæ derelicta probabilissimè crederet dari plures Deos. Se igitur Deum, quem esse unum & simplicem definiat, colendum statuit & præcipit ex toto corde, ex totā animā, ex totā fortitudine diligere

Hic Hæretici; Ergo jubet Deus impossibilia. Ergo nemo viator satisfacit huic 1564 præcepto Decalogi; Ergo soli Beati lumine gloriæ præventi possunt Deum diligere ut præcipitur. Respondeo fide tenendum Deum impossibilia non præcipere; Tridentina enim Synodus Augustini verba canonica fecit, & inquit, *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo admonet, facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* Sed statim occurrit difficultas in impositione præcepti divini & Tridentinæ definitionis, homini enim concupiscentiā in pœnam peccati originalis derelictā vexato, ignorantia sepulto, inutilibus notitijs distracto amare Deum ex toto corde, ex totā animā, ex totā fortitudine impossibile est.

At respondeo hanc legem bifariam 1565 exponi. *Ama Deum*, inquit aliqui, *ex toto corde*, hoc est, ita ut nihil sit in tuo corde præter ipsum; *ex totā animā* ita ut tres tuæ potentia neminem attingant, neminem respiciant præter ipsum; ita ut memoria solius Dei recordetur, intellectus solum Deum contempletur, & Deum solum diligat & amet voluntas; *ex totā fortitudine*, ita ut isti actus sint intensissimi & nobilissimi, quibus intensiores dari non possint. Alij prudentius, *Ama, inquit, Deum ex toto corde*, ita ut illud non prostituas alicui amori, quod sit contra Deum; *ex totā animā*, ita ut ejus potentias contra Deum non exerceas, ita nimirum ut pulchritudinis lascivæ & periculosa ne memineris, ne intellectus crassas ignorantias affectet, & ne voluntatem delicis interdictis pascas, *ex totā fortitudine*, hoc est, constanter cum perseverantiā; nam qui perseveraverit usque ad finem, is salvus erit. Si divinæ legis ardeat posterior expositio, non solum possibilis, sed & facilis est, si prior, impossibilis. Propugnent Heterodoxi illam priorem;

rem; alius nos, de bono Deo sentimus, qui si impossibilia juberet serio, crudelissimus; si jocosè, nugator & morio. Damnatam à Tridentino Concilio expositionem condemnamus, & secundæ subscribimus tenentes dari homines, qui huic præcepto dilectionis exactè satisfaciunt, saltem quoad tempus; Beata enim Virgo peccato omni etiam veniali caruit totâ vita; & tamen sit verum quod septies, hoc est, aliquoties, in die cadat justus venialiter, multi sunt, qui gratia Dei præventi mortalia peccata non committunt.

DEUTER. 6. 17.

E runt hæc verba in corde tuo, narrabis ea filiis tuis, meditaberis sedens & ambulans, dormiens atque consurgens.

Multa nos docet Spiritus Sanctus paucis verbis. Legi subditus, si velit illam ignorare, gravissimè peccat. Debet suas obligationes discere, & semel cognitâ non potest oblivioni mandare, si enim oblivio voluntaria, ignorantia culpabilis est. Meditabitur igitur obligationes quibus obstringitur, ut prævideat qualiter illis satisfaciât. Sed cur sedens & ambulans, dormiens atque consurgens?

1567 Multa hic pulchrè possent adjungi, si mysticus sensus placeret; illum tamen non compatitur severitas & rigor litteralis. Dico igitur obligationes officii esse ab homine examinandas quousque bene noscantur, etiam si debeat propter earum examinem impediri ipsius quietas, deambulatio, vel somnus; ordinariè enim istæ actiones potius debent intermitteri quam obligationum noscendarum studium.

1568 Videtur hoc etiam testimonio divinam præsentiam negativè præcipere, positivè consulere; hoc est, præcipere quod sis Deo præsentis negativè; consulere quod sis positivè. Sistitur negativè Deo, qui sedens, deambulans, dormiens, vigilans nil operatur contra Deum. Sistitur positivè, qui Deum sibi comitem & ducentem contempletur, & sive sedeat, sive ambulet, sive dormiat, sive vigilet, Deo convivat, Deo confidet, Deo congregatur, Deo dormit, Deo vigilat.

1569 Sed quia multis non sufficit cognoscere obligationes, illi enim qui majores sunt

constituti, tenentur etiam legem Dei docere; *Erunt hæc verba in corde tuo*, inquit Deus, *narrabis ea filiis tuis*. filijs inquit, non parentibus, ut unâ & eadem periodo, & parentes semisopitos excitaret, & filiorum petulantiam cohiberet. Peccat parens, si in instruendis prolibus negligens; & filius est irreverens, si carpere audeat patris dogmata, instructionem, consilia, ubi eum errare clarè & evidenter non cognoscat. imò etiam si aliquâdo cognoscat, piè debet in ipsâmet admonitione procedere; ille enim ipsissimus, qui errare supponitur, est ipsius pater.

DEUTER. 6. 16.

N on tentabis Dominum Deum tuum sicut tentasti in loco tentationis.

Tentat Deum, qui miracula postulat, & honorem divinum ludibrio exponit. 1470 Multa petierunt Sancti veteres, sed a Deo admoniti; omnipotentiae enim thesauros & extraordinariam virtutem exercet quando vult, & prout vult, quia Superiorem non cognoscit; adeoque credimus mortaliter peccaturum illum, qui sine particulari Dei instinctu infidelibus diceret, *In testimonium meae religionis ego jubeo quod iste defunctus excitetur*, tentaret enim Deum, ejus fidem & auctoritatem, si defunctus ille non resurgeret, periculo summo exponendo.

1571 Sed quia iste modus tentandi Deum non ita communis, ad alium frequentiorum inter Christianos; orationem convertam. Cognoscis proximum peccandi periculum, te temerè in tentationem inducis & de auxilij divini efficaciam præsumens ais, *Deus manu tenebit me*. Et Deus tibi, *Non tentabis Dominum Deum tuum, nec illi leges & obligationes impones servus Domino, Creatori creatura*. Si gratiam non dederit ut viacas in certamine suppari, dedit ut fugias, ut occasionem proximam peccandi vitès, ut non adeas locum periculosum: quod si temerè te te in tentationem duxeris, in eaque à gratiâ efficaci deseraris, tibi uni imputa, qui potuisti in arenam non descendere, cum potentiore non configere, ac propterea non vinci.

LEVI.

LEVI. 19. 2.

Sancti estote quia ego Sanctus sum Dominus Deus vester.

1572 Mira res. Hominum sanctitas omninò dependet à divinâ; nam humana perfectio; in similitudine consistit. de Beatis Paulus; *Similes Deo erimus, quia videbimus Deum sicuti est*. Deus igitur similitudinem præcipit in viâ, concedit in patriâ; adeoque nec sanctitatem præciperet, si ipse Sanctus non esset. uniuersique paterfamilias prodeus; nec efficaciter subditis sanctitatem indicet, ni possit dicere, *Sancti estote, quia ego sanctus sum*. Filij parentum umbræ, subditi Dominorum. Stipitem curvum soli expositum curva sequitur umbra; sed ipsam quâ arte diriget? Haud fallor, haud non poteris aliter curvam umbram in rectam convertere, quàm causam umbræ dirigendo; ac propterea nunquam subditos, nunquam filios diriges, quin derigas parentes & dominos, quorum ipsi sunt umbræ.

DEUTER. 18. 10.

Non inveniat in te qui lustrat filium turum aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos suscitetur & observet somnia atque auguria; nec sit maleficus nec incantator, neque qui Pythones consulat nec divinos, & querit à mortuis veritatem.

1573 Omnem mantiam, quæ in pacto expresso vel implicito consistit, hac lege inhibet Deus; non naturalem, non vanam. Ut melius sanctionem intelligas, adnotato tria esse divinationum genera. Futura enim vel ex causis naturalibus eliciuntur, & tunc prædictio sicut & præscientia, sunt licitæ; laudabiliter enim & eclipses futuras & elementorum alterationes ab astris dependentes prædicimus, nec hoc Deus interdixit; qui voluit in operibus suis & cognosci & laudari. Futura etiam ex disparatis causis nonnulli certissimè prædicunt dæmonum assistentiâ adjuti, cooperantium ex pacto tacito vel expresso; & istam scientiam, seu practica seu speculativa ipsa sit, Legislator divinus interdicit; non quod nobis scientiam aut potentiam invidet, sed quod nobis pericula peccandi caveat, & omne

cum dæmone consortium proscribat. Præter mantiam naturalem & superstitionem datur vana ex muliercularum errore introducta, ab hominibus otiosis exculta, quæ hæc tempestate temporum non sine curiositate scribitur, & non sine periculo traditur. Hujus generis videtur esse Cheromantia, Geomantia, Iudiciaria astrologia, sortium consideratio, viscerum animalium inspectio prout ad casus contingentes & liberos prænoscentes dirigitur; talibus enim artibus instructus ex disparatis præmissis inferes sequelas desperatas: quales sunt, *Habeo talem lineam in manu, ergo incendio peream; Figura numerorum fuit populus; ergo hodie hospes aliquis superveniet. Habui Martem in horoscopo; ergo ero militis præfectus. In festina revertens sunt lasa; ergo agrorabo. Crues in dexteram volant; ergo convalescam*. Vanæ omnes & stolidæ consequentiæ istæ sunt, & qui illis assentitur, non tam supersticiosus quàm stupidus; vel si supersticiosus, per accidens & ex conscientia erronea concursum dæmonis expectans ubi nullum pactum nulla dæmonis cooperatio est. Artes igitur superstiosas merito à Deo, merito ab hominibus condemnatae, vanæ verò aliquando permittæ honeste recreationis causâ cum vanæ esse noscuntur, tunc enim nocere non possunt. Fortuna Ludum à Joanne Sturizio Doctore Lovaniensi compositum propter curiosa carmina Europa tolerat, Ludum quidem sortilegum; Vanum tamen & ab omni superstitione alienum; condemnatura statim, si Lectores abuterentur, putarentque concursum Dæmonis sublatere, posseque ejus assistentiâ veritatem certissimè inveniri. Idem & Steganographiam Joannis Tritemij piensissimi & doctissimi Abbatis, tantum si utilem & per causas naturales curiosè & ingeniosè procedentem vidimus interdici, non quod mala, sed quod nociva. Luserat Author sub Nigromantiaspiciè, & male-morati Lectores serio legentes, quæ nugatoria scripta, multa peccata committebant sub obscuris illis metaphoris Dæmonis invocationes & conjurationes putantes. Hinc est quod Theologiae Moralis Professor non debeat præcipitare

cupitare sententiam cum agitur de divinatione; multæ enim prædictiones naturales & licitæ sunt, pauca superstitiosa, vanæ plurimæ, sed hæ ultimæ frequenter ex errore in superstitionem prolapsæ.

DEUTER. 18. 13.

Perfectus eris & absq; maculâ cum Domino Deo tuo.

¹⁵⁷⁴ Hæc lege specialiter indicitur sanctitas novo præcepto, quia tametsi homines habeant obligationem convertendi se ad Deum & egrediendi ex peccato, hæc tamen novo peccato raro obligat; sed quia obligat aliquando, ne detur ignorantia locus, tempus ipse legislator determinat. *Perfectus eris*, inquit, & *absque maculâ cum Domino Deo tuo*, Hoc est, non accedes ad Deum cum conscientia peccati Mortalis.

¹⁵⁷⁵ Huc respiciebat Paulus, cum dixit, *Qui Corpus & Sanguinem Domini sumit indignè, iudicium sibi manducat & bibit*; Peccatum enim grave est accedere ad Eucharistiam cum conscientia peccati Mortalis. Administrare & recipere Sacramenta in peccato esse novum peccatum tenet communissima DD. opinio; adeoq; Sacerdos auditurus confessionem alterius, daturus sanctam synaxin, oleo sacramentali uncturus, baptizaturus, confirmaturus, Ordines collaturus, si peccati gravis sibi sit conscius, debet actum contritionis elicere, alias peccaturus mortaliter. Sponsalia ab existentibus in peccato licite & valide contrahi possunt, matrimonium valide sed non licite potest. fuerunt aliqui qui non solum putarunt interdici sub peccato gravi Sacramentorum usum homini existenti in mortali peccato, sed etiam ordinum exercitium mediatum, ut cantare Euangelium, epistolam, lectiones & similia, quæ tamen, quia Sacramentum Altaris immediate non tanguunt sine novo peccato posse exerceri benignior tenet Recentiorum opinio.

DEUTER. 13. 2. & 6.

Si surrexerit propheta, frater, filius, filia aut uxor, & dixerit; *eamus & serviamus Dijs alienis, non acquiesces, sed statim interficies.*

¹⁵⁷⁶ Huic loco Apostoli verba poterunt esse Commentario; Anathemate enim inurit qui aliter quam ipse etangelizaverit, tametsi sit Angelus de celo. Doctrina fidei constanter & fortiter manutenenda, nec audiendus qui contra aras veteres, novas subrigit. Si quis tamen in bene gubernata Republica de Deo, de Religione, novas Hæreses seminaverit, autoritate supremâ interficiendus. Sed quid si Superiores aut schismate aut hæresi infecti tollerent hæresiarcham? An poterit privatâ authoritate occidi? Sanè Lutherus à Duce Saxone ultimâ sententiâ puniri debuit; sed quia & ipse hæreticus fuit, quem debebat punire, propugnavit, & fuit in causa ut doctiores inquirerent, an Martinus Lutherus potuisset interfici privatâ authoritate? me consule, perinde est Ecclesiam gladio aut calamo invadere; vel si statuenda aliqua differentia, magis timendus venit calamus, utpote perniciosior & potentior. Si stricto gladio Lutherus invasisset Pontificem, non multum Christiano orbi nocuisset; quia vel fuisset occisus re infectâ, vel occidisset illum qui post paucos annos illasâ Religionis Christianæ puritate fatis cessurus erat: at quia eloquenter dixit, ornate scripsit, linguâ & calamo Ecclesiam invadens, multos homines perdidit, multas animas in infernû protrudit; ergo siquidem potes proximu innocentem defendere, si ense iniuste oppetatur, etiamsi aliter fieri non possit, in vasorem ipsum interimendo; asserendû est, hæresiarcham publicâ malitiâ permissum posse occidi privatâ authoritate, uniuscujusque enim est defendere honorem divinum & Ecclesiæ puritatem quantum potest. Consulto *publicâ malitiâ permissum* dixi, contingit enim hæreticos nonnunquam publicâ prudentiâ tolerari, cum circumstantijs omnibus examinatis ex ipsorum excidio majora inconvenientia timentur; sic & Luthero accessus ad Concilium Tridentinum permissus, & literæ publicæ securitatis datæ, imò etiam articulos salvi conductus temerè prætergresso, ac propterea reo capitis, vita concessa, fuga permissa sub spe majoris boni, & ut caverentur instantes seditiones, quæ ipsius excidium prævidebantur secutura.

DEV.

DEUTER. 4. 2.

Non adderis ad verbum quod vobis loquor nec aufereris ab eo.

¹⁵⁷⁷ Tanti sacra Scriptura, tanti libri revelati faciendi, ut nec litera possit mutari. Hæc lex condemnat omnes illos, qui titulo devotionis mentiuntur, & vitas sanctorum fabulantur. Mirabilis in sanctis suis Deus, innumeris portentis & miraculis Ecclesiam suam firmavit, & fictitijs non eget. At his, qui mendatiola nundinantur & exempla nominant, pernitiosiores illi qui audent calamo libros divinos maculare; inter quos vel imprimis recen-

sendus est Martinus Lutherus, qui utrumque Testamentum, Germanicum fecit, ut quos latinè non poterat, Germanicè saltem illuderet. Multa ibi ad nutum contra Spiritus Sancti dictamen & mentem alteravit proprio errori prospiciens; & inter alia celebris est illa particula *Allein*, hoc est *Tantum*, fidei adjuncta, ut non jam justificari per fidem, sed per fidem solam dicamur. Hæc & alia quidquid in contrarium occlamet Chemnitius & Crinesius, jam à multis annis Catholico-Romani observavimus, & impunè conungi non permittimus;

PRÆCEPTUM II.

Vota & juramenta respicit; veraciter jurare permittit, mendacia firmari juramento inhibet, modumque in votis tenendum præscribit.

EXODI 20. 7.

NON ASSUMES NOMEN DOMINI DEI TUI INVANUM; NEC ENIM HABEBIT INSONTEM DOMINUS EVM QUI ID FECERIT. Huc spectant, EXOD. 23. 13. *Per nomen externorum Deorum non jurabitis; neque audietur ex ore vestro.* DEUT. *Per nomen Domini Dei tui jurabis.* LEVIT. 19. 12. *Non perjurabis in nomine; neque pollues nomen Dei tui.*

¹⁵⁷⁸ Condemnantur primò juramenta per aliorum Deorum nomina facta; jurare enim videtur esse actus Religionis, nec solent homines in testem citare quem non credunt. Solent aliqui per creaturas jurare; & tamen non carpuntur quamdiu ipsorum mens liquet. carperentur si crederentur illis divinitatem & infallibilitatem concedere.

¹⁵⁷⁹ Condemnantur secundò juramenta vana, hoc est vera at sine causâ & necessitate emissa; qualia solent hominum illa esse, qui se putant minus eloquenter loqui, si à juramentis abstineant. Hæc venialiter peccaminosa sunt, nisi in contemptum aut periculum transeant. Vertuntur in contemptum, cum ad res absurdas & indignas autoritas divini testimonij deprimitur: & proferuntur cum mendacij periculo, quoties sine examine nec

inquisitione veritatis,

Condemnantur tertio & quidem gravissimè, universa perjurata; hoc est omnes propositiones falsæ juramento firmatæ.

Hinc constat juramentum, prout actus ¹⁵⁸⁰ virtutis est, debere esse per verum Deum, veraciter, & ex causâ rationabili emissum. At quia reperio ex illiberali hominum educatione varias jurandi formulas perennare, valde ambiguas & æquivocas; opera prætium erit illas exponere, ut quid hujusmodi homines, aut dicunt; aut delirant, noscamus.

Per caput Dei nonnulli jurant, & si ¹⁵⁸¹ agant de Deo quâ Deo, hæretici & blasphemii sunt, Deus enim non habet Divinitatem corpoream membris formatam. Si agant de Deo quâ homine, erit idem ac dicere, *Per caput Christi*, & si congruè juramentum exponas, æquivalere huic asserto, *Tam verum est id quod dico, quam quod Christus habet caput*; ubi nullam blasphemiam invenio. Perditiissimi homines etiam per Dei partes nescio quas (nimirum secretas) jurant, & si de divinitate hæretici, si de humanitate agant, irreverentes sunt, adeoque etsi veraciter talia juramenta evomant, non sunt à mortifera culpa excusandi.

Per Deum videtur æquivalere huic, *Tam*

Tam verum est quam quod Deus est.

Coram Deo est Deum testem cito.

1582 *Per vitam meam, per meam animam, exponitur, Tam verum est hoc quod dico, quam quod habeo vitam, quam quod animam. Hoc iuramentum sic expositum, quia divinitatem non tangit, mendaciter citra peccati vel venialis noxam emitti posset. At qui eadem verba imprecatorie accipiunt, & volunt aequivalere his, Si hoc non sit verum Deus auferat meam vitam, condemnet meam animam. Censeo duram expositionem, possibilem tamen, & assero eum, qui hoc sensu loqueretur, peccaturum mortaliter, qui contra veritatem iuraret. Eodem prorsus modo possunt sequentia exponi, Iuro per vitam Summi Pontificis, Caesaris, Regis, mei patriæ, mei amici, &c.*

1583 *Per meam fidem, benignè interpretabor, datur enim duplex, naturalis & supernaturalis; ergò si de naturali agatur, idem erit per fidem ac per fidelitatem iurare. Si de supernaturali esset obscurior difficultas, nam iurare per fidem Christianam, videtur esse orthodoxæ fidei veritatem cum asserta componere, ut si expressius quis diceret, Tam vera est mea assertio, quam fides & religio Christiana. Et quidem, nisi vera assereret, peccaturum mortaliter.*

1584 *Per conscientiam etiam nonnulli jurant, & hanc formulam aliqui obtorquere conantur ad divina; Sed re melius examinata videtur solum naturale dictamen importare; illumque, qui per conscientiam suam iurat, asserere verba à se prolata suæ conscientiæ, hoc est, suæ menti & dictamini correspondere; aut elarius, non mentiri, cum ea profert. hæc igitur iurandi formula æquivaleret his, Certè, Verè, Reverè, & alijs adverbis adfirmandi.*

DEUTER. 23. 21. & 22

Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus, quod semel egres-

sum est de labijs tuis, observabis & facies, sicut promissisti Domino Deo tuo.

1585 Consideranda in votis est voventis intentio, nam qui promittit se daturum cras bovem, hodie illud dare non tenetur, nec dicitur morosus solutor si ante diem crastinum non solvat. Considerandæ etiâ circumstantiæ adjacentes; nemo enim vovet se aliquid facturum, quando prudentum iudicio satius est abstinere, quia vota sunt de meliori bono. Vnde amico, qui voverat se ingressurum tale Monasterium statim, moram suasi, quod visitatores & reformatio expectarentur, iudicans conscientiæ & quieti illius adolescentis conducere non vidisse remissionem illam disciplinam, quæ dicebatur intendenda, nam *Quem semel imbuta recens servabit odorem testa diu.* Vnde tunc solum mora damnanda, cum contra promissionem & votum nulla rationabili causa coonestatur.

LEVIT. 24. 15.

Qui maledixerit Deo & blasphema verit nomen Domini, morte moriatur.

1586 Blasphemias esse contra primam Tabulam & graviter peccaminosas consentiunt universi Doctores, sed in designando præcepto, cui oppositæ, pauci conveniunt. Multi enim opponi primo existimant, sunt enim contra amorem Dei, quasi ex odio expresso aut implicito abortæ: secundo alij, in ipsis enim nomen Domini in vanum adsumitur: & tandem tertio plurimi, quod illud Dei cultum exteriorem indicat, & istæ extrinseco cultui opponantur. Sed & alij eas credunt in totam primam Tabulam impingere, quorum opinio, si bene examinatur, probabilitate non caret. Ego autem ad secundum reduxi, ut medius procedens, ubi veritas clarè reperiri non potest, aut rem attingam, aut parum exorbitare possim.

PRÆCE

PRÆCEPTUM III.

Illud fuisse legale & jam omninò excidisse putant aliqui non mediocri autoritatis viri; esse naturale & indispensabile putat quispiam Theologus Calvinianus, non solum Romanos, sed & suos, quod sabbata non observent, condemnans. Scio eum multum apud Confæderatarum Provinciæ Ordines adlaborasse, ut proscripserit Dominicâ dies sabbati restitueretur, sed nihil apud ipsos profecit, timebant enim Primores illi, ne, si sabbaticum restituerent, essent dicendi iudaizare. Ego quidem cautus sum omninò in Ecclesiæ Romanæ decretis & sanctionibus examinandis, adeoque existimo causas fuisse fortissimas & potentissimas quæ ad hanc mutationem impulerunt; quia aliàs, si nullæ fuissent, expedivisset cultum veterem in Decalogo expressum retinere. Legis literam ipsam considera.

EXODI 20. 8.

1587 **M**EMENTO, UT DIEM SABBATIS ANCTIFICES. NON FACIES OMNE OPUS IN EO. SEX ENIM DIEBUS FECIT DEVS CAELVM, TERRAM, MARE, ET OMNIA QUAE IN EIS SVNT, ET SEPTIMO DIE REQUIEVIT.

Peccat contra hoc præceptum, qui missam diebus Festis non audit, aut opus aliquod servile facit.

Sed quid opus servile? vix scimus. Putarunt veteres illud solum quod pretio, unde in antiquis manuscriptis solet occurrere, *Hic liber scriptus est diebus Festis, vendi non potest.* Vidi etiam pios lapidicidas & latomos operari diebus Festis pro Ecclesijs, putantes non interdici hac lege exculpti columnam aut statuam gratis dandam. Dico igitur artes serviles & mechanicas diebus Festis exerceri non posse, ingenuas & liberales posse. Et si petas, quamam liberales videantur, ad communem hominum sententiam recurrens, aliquas recensibo.

1588 *Primo, nullæ mentis velitationes, contemplationes, aut speculationes hoc præcepto interdiciantur; & hoc etiam in illorum sententia qui Ecclesiæ actus purè internos subiiciunt.*

Secundo, nullæ eruditionis exercitia, disputationes, conferentiæ, orationes; linguæ enim labores permitti.

Tertio, licet scribere, imò & transcribere, omne genus characterum formare, observare sydera, figuras geometricas ducere, exponere.

Quarto, in Typographeis licet compositoribus plumbeos characteres connectere, & dividere. at imprimere mechanicum videtur & servile, adeoque illicitum, nisi fortè cohonestetur per accidens.

Quinto, coci, pistores, tametsi mechanicam artem professi, ratione necessitatis solent excusari, modò mores patriæ, in qua degunt, non excedant; sunt enim aliqua civitates, quæ die Paschatis, aut etiam alijs, panes pinere & artocreas parare interdiciunt.

Sexto, pictores volunt suam artem in controversiam reduci, eamque non tam ad laborem, quam ad ingeniosam occupationem aut potius recreationem honestam pertinere.

Septimo, ars militaris liberalis omninò & Principibus digna, diebus Festis exerceri potest, & solet.

Octavo, omnes artes quæ ad honestam animi relaxationem conducunt, ut venatoria, piscatoria, lusoria & similes, ob recreationem videntur exerceri posse.

1589 *Sed & ipsæ quæ interdiciantur creduntur, per accidens solent permitti; puta, si Petrus sit pauper & gravetur prole, tunc enim poterit, & nonnunquam tenebitur, diebus Festis operari, si aliter necessaria domui suæ procurare non valeat. & hoc in communi sententia. Sed & poterit operari juxta aliquos etiam dives ad fugandum otium, si postquam missæ audiendæ obligationi satisfacit, ne otiosus sit, aut ad popinas vadat, sese in aliqua mechanica occupatione exercent.*

Ecc

PRÆCE

PRÆCEPTUM IV.

Non solum ad naturales sed ad Patres-familias extenditur, ad Iudices, ad Principes, ad seniores. ipsammet literam considera.

EXOD. 20. 12.

¹⁵⁹⁰ **H**ONORA PATREM TVVM ET MATREM TVAM, VT SIS LONGÆVVS SVPER TERRAM. Consonant alia loca, expressiora subjungam. EXODI 21. 11. *Qui percusserit Patrem aut Matrem morte moriatur.* ibid. 21. 17. *Qui maledixerit Patri vel Matri morte moriatur.* EXODI 22. 28. *Dixi non detrahes, & Principi Populi tui non maledices.* DEVT. 16. 18. *Iudices & Magistros constitues in omnibus portis tuis, ut iudicent populum iusto iudicio.* LEVIT. 19. 32. *Coram cano capite consurge, & honora personam senis, & time Dominum.*

¹⁵⁹¹ Ni aliud constaret Legislatoris intentio, ex verbis Exodi videretur potius pœnale præceptum, quam morale. Sed tenendum est esse mixtum. morale enim

est, & conscientias obstringit; pœnale etiam, & transgressori pœnam, præmium obedienti designat.

Peccat contra hoc præceptum filius si non obediat naturali parenti in re ad utilitatem familiæ & regimen domus pertinenti. Cum hac limitatione loquor; censeo enim non licere parentibus fræna sua laxare tyrannidi, & filiis jubere quidquid volunt; sed posse illa præcipere quæ ad familiæ ædificationem conducunt, inhibere quæ in destructionem vergunt; eorum enim authoritas nata à Deo, qui Paulo teste, dedit potestatem hominibus ad ædificationem, & non ad destructionem. Peccat etiam servus & famulus omittens, quæ sui muneris sunt; & quidem graviter, si inde grave damnum resultet aut emergat.

PRÆCEPTUM V.

Remanserunt in homine peccati originalis reliquia, duæ potentia; nimirum, Irascibilis & Concupiscibilis, ex quibus Concupiscentia coalescit, quæ cum ad aqum relicta sit, asserente Concilio Tridentino, non consentientibus, sed per Dei gratiam resistentibus, nocere non valet. Irascibilem hoc præceptum, Concupiscibilem sextum compestet, at qui ira nonnunquam in solo corde latitat, & aliquando verbis aut etiam operibus se prodit, voluit fragilitatem nostram Deus articulis istis roborare.

EXODI 20. 13.

¹⁵⁹³ **N**ON OCCIDES. Huc spectant alia ejusdem Testamenti loca. LEV. 16. 13. *Proximum vi non opprimes.* DEVT. 24. 16. *Non interficientur patres pro filiis, nec filii pro patribus.* & hæc de operatione de verbo, LEV. 16. 14. *Non maledices surdo nec coram cæco pones offendiculum, sed timebis Dominum Deum tuum.* Et de cogitatione, LEV. 16. 17. *Ne oderis fratrem in corde tuo. Non quaras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.*

¹⁵⁹⁴ Anxij & ancipites hunc Legis articulum Authores legunt; ex unâ enim parte vident interdici homicidia, ex alterâ occidi homines in Rebuspublicis bene gubernatis. Si Deus homicidia interdixit,

inquiunt; qui strangulatur latro? qui comburitur saga? qui scelerati homines ultimâ sententiâ condemnantur?

¹⁵⁹⁵ Respondent aliqui hac lege inhiberi tantummodo innocentum excidia; sed perperam, quia si hoc verum, peccatores possent privatâ authoritate occidi, quod nemo prudenter admittet.

¹⁵⁹⁶ Alij cautiùs hanc legem impositam putant privatis hominibus, non Magistratui & Principi. Sed ex hac solutione graviora inconuenientia nata. Nam ex eâ sequeretur licere Principi, aut etiam Magistratui, quemcumque innocentem occidere, quod in omnium sententiâ falsum est. Sequeretur secundò alijs articulis Reges & Principes supremos non obstruigi, adeoque posse adulteria & id genus reli-

reliqua publicâ authoritate committi, vel detur disparitatis ratio.

¹⁵⁹⁷ Ego quidem semper tenui & teneo quintum Decalogi præceptum omnibus esse impositum, & neminem posse ullo prætextu aut titulo ab illius obligatione eximi. Peccat privatus homo, si alium occidat directè, & peccaret Respublica si idem faceret. Nec tamen inde sequitur ultimas sententias, quæ contra sceleratos feruntur, esse illicitas; hujusmodi enim Respublicæ pestes nunquam occiduntur directè. Rem explico. Petrus privatus homo habet jus defendendi suam vitam, & si invadatur, poterit illâ defendere etiam perdendo invasorem; cum autem non solum suæ vitæ sit dominus, sed etiam honoris & divitiarum

(imò horum potius quam vitæ) poterit etiam suam authoritatem propugnare suas divitias defendere etiam cum invasoris excidio, si aliter nequeat. Id ipsam quod privato homini in omnium sententia conceditur, à fortiori concedendum venit Respublicæ. Scelerati homines cum alios occidunt aut exspoliant, corporis mystici membra præcidunt. Respublicæ divitias absorbent, communem tranquillitatem turbant, & si permitterentur, redderent urbes inhabitabiles: Respublica igitur suo juri utens suorum membrorum vitas, divitias & quietem primariò & directè propugnans, invasores occidit indirectè: Hæc igitur illæsa quinta lex Decalogi, quæ ab ejus obligatione aliquis eximatur.

PRÆCEPTUM VI.

¹⁵⁹⁸ Authores plurimi nescio quali speculatione præventi ausi sint dicere non posse Deum in fornicatione dispensare, & mihi tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam malitiam involvere, & solum esse malam quia interdicta, ut contrarium omni rationi dissonum videatur. Disputant Theologi, an res sint mala, quia prohibita, an sint prohibita quia mala; & ego demonstraturus illud prius, argumentum ex fornicatione desumo; multa enim sexto hoc Decalogi præcepto interdicta reperio, quæ præcisa à præcepto non solum dicerentur indifferentia, sed & bona. Ipsam literam examinemus.

EXODI 20. 13.

¹⁵⁹⁹ **N**ON MACHABERIS, Prohibentur Matrimonia & copula cum patre & matre LEVIT. 19. 7. *Cum novercâ 19. 8. cum sorore. 19. 9. cum nepte. 19. 10. cum sorore prævignâ 19. 11. cum amica & matertera 19. 12. & 13. & hoc in gradibus consanguinitatis, nam, si affinitatem respiciam copula & matrimonia cum uxore patris interdiciuntur. 19. 14. cum nuru 19. 15. cum uxore fratris 19. 16. cum filiâ & nepte prævignâ 19. 17. cum sorore uxoris 19. 18. Sed & simplex fornicatio interdicitur his verbis: Ne prostiruas filiam tuam, LEVIT. 19. 29. *Non erit meretrix de filiabus Israël, neque scortator de filiis Israël,* DEVT. 23. 17. *Mollitjes interdicta istis, de semine tuo non dabis Idolo moloch.* LEV. 17. 21. *Sodomia ibidem istis, Cum omni masculo non commiscearis. Et bestialitas hisce, Cum omni pecore non coibus.**

¹⁶⁰⁰ Dico igitur primò, Si Deus fornicationem non interdixisset, non esset mala, nec peccatum. Et ut puto evidenter ostendam; quia si duorum solutorum commixtio secundum se peccaminosa, est, vel quia naturaliter mala ipsi, vel quia naturaliter mala proli, neutrum potest dici; ergo. Non primò, quia sepe contingit esse utriusque salubrem, & in tali casu non est utriusque naturaliter mala: accedit quod si quando insalubris dicatur, cum graviter insalubris non sit, nõ possit esse graviter peccaminosa. Nec poterit dici secundò; fornicatio enim mala proli non est; primò enim non potest dici mala physicè quæ in causa ut homo, qui aliam rerum natura non esset, produceretur: quia si injurius homini qui illum occidit, beneficus omnino qui illum generat; imò beneficentior genitor quam injurius occisor; iste enim non potest facere, quod homo, qui est, omnino non fit, at ille efficit, ut qui

omnino non est esse incipiat.

1601

Aliqui ad educationem recurrunt, fatentur enim ipsam fornicationem esse proli physice utilem, sed nocivam moraliter, sed hoc est verbis solis obcludere; nam si Augustinus dixit melius esse damnari quam annihilari, item diceret melius esse proli male educatam esse, quam absolute in rerum natura non esse. Et sane malam prolium educationem potius ex paupertate, quam ex fornicatione suboritur. Principum enim notos optime educatos videmus, cum tamen nulli disciplinati mores inter homines viles & mendicos. Potius igitur pauperum matrimonia venirent condemnanda, quam divitum fornicationes. Sed inquit esse per accidens quod filij illegitimi Principum bene educentur; dicunt non tamen probant; verosimilius enim videtur esse per se, quod filij pauperum male educentur. Sed esto, sit inter divites bona notorum educatio omnino accidentalis, ergo si per accidens contingit quod filij fornicarij Principum bene educentur, etiam per accidens continget quod parentes fornicantes non peccent: & probò sic: idè fornicatio interdicitur, quia ex illa mala prolium educatio sequitur; ergo si hæc non sequeretur, non interdiceretur illa: finis igitur hujus inhibitionis bona educatio est, atqui probabile est, quod quando finis cessat per accidens in aliquo particulari, lex etiam cessat per accidens in particulari; ergo si quidem admittitur quod finis legis fornicationem prohibentis soleat in aliquo particulari cessare per accidens, admittendum omnino est ipsam legem cessare. Si dicas cessante fine legis in particulari cessare legem in particulari, non quidem divinam sed humanam, putabis te aliquid dicere, & nihil omnino dicere; legum enim humanarum finis aliquando universaliter cessat, ac naturalium non aliter quam per accidens & in particulari cessare potest. Patet in homicidio indirecto patrato; in valetorem enim occidere possum non obstante quinto præcepto Decalogi; tunc enim per accidens & in particulari cessat præcepti finis, adeoque etiam ipsum præceptum; nec dabitur casus in quo legis naturalis

finis cesset universaliter. Tunc sic; nulla ratione naturali ostendi potest simplicem fornicationem esse malam, & tamen mala esse in Sacris literis asseritur, ergo dicendum est non esse malam intrinsece & ex natura sua, sed extrinsece ratione interdictionis, adeoque non esse prohibitam, quia mala, sed potius malam solummodo esse quia prohibita.

Sed ubi prohibita est nova difficultas; nam si textum Legis legamus, ubi Latinus habet *Non mæchaberis*, textus Hebraeus ponit *Non adulterabis*, adeoque si litera severe accipiat, adulteria & non fornicationes interdicit, sed nihilominus Legislatoris mens ex alijs locis innoscit; fornicatores aperte Apostolus condemnat, & communi Patrum, Doctorum & Scholasticorum consensu, quæcumque extra matrimonialis copula est peccatum mortale.

Dico secundo: *Si Deus mollitiem non interdixisset, nunquam esset mala, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub peccato mortali.* Multa brevibus verbis congesta quæ indigent clariore expositione. Mollities est seminis effusio voluntaria & si mala secundum se, de ipsius malitia hominibus constare debet, sed quid semen? *Doctores certant & adhuc sub iudice lis est.* Aliqui sudorem, alij spumam, nonnulli lac, plerique sanguinem semen esse contendunt, & tamen esse contra ipsam naturam sudorem, spumam, sanguinem, lac & similia corporis nutrimenta vel excrementa ex rationabili causa decidere, nullus Dialecticus probare poterit. Nec juvat dicere illud ad generationem ordinari; nam & muliebri lac ordinatur ad nutritionem proli, sanguis ad propriam, & tamen utrumque sine culpa deciditur. Igitur si quidem mollities mala est, & tamen contra naturam ubi ad salutem propriam conducit, non est, dicenda venit omnem suam malitiam habere à prohibitione.

Dices idè illam malam, quia si permitteretur nulla essent hominum matrimonia, sedanda enim concupiscentia sufficeret, & nemo vellet se curis connubialibus implicare. Cæcus sum, quia illationem non video, cæcus quia malitiam conle-

consequentis non cognosco. Non esse illationem legitimam, demonstrant Mahometani; quibus non solum mollities permessa, sed & Sodomia tolerata, & tamen non fugiunt matrimonia, sed potius tot uxores ducunt quot alere possunt. Sed esto sit bona consequentia, *Mollities permittitur, ergo matrimonia non erunt*: quis ostendet esse malum naturæ, quod nulla dentur matrimonia? Multa fuerunt Respublica, quæ bene gubernari creditæ, & tamen carere matrimonijs. Græcam reformare contendebant excellentissimi Philosophi; & inter alias Politicas hypotheses uxorum communionem posuerunt, asserentes matrimonia non solum non esse utilia, sed & politico statui perniciofa; ergo ut matrimonij bonitas defendatur, non ad rei naturam, sed iterum ad divinam institutionem recurrendum, dicendumque idè ipsa esse bona quia à Deo instituta, idè fornicationem malam quia interdicta; adeoque nec illa futura esse bona nec istam malam, si Deus non instituisset illa, non inhibuisset istam.

1605

Sublatâ Dei interdictione posse contingere quod homo ad mollitiem sub peccato mortali teneretur, clarissime probari poterit; æger enim teneretur adhibere remedia quæ sunt præcisè ad vitæ conservationem necessaria, & scimus dari morbos, qui in seminis quantitate & qualitate consistunt, morbos quidem lætiferos à quibus aliter quam effusione seminis curari non possis. Ergo si aliundè non obstaret, in tali casu uti effusione seminis ut remedio præcisè necessario tenereris; atqui nunc debes potius mori, quam tale remedium admittere; ergo evidens est quod detur alia circumstantia extrinseca, nimirum divina interdicio quæ illud remedium illicitum reddat. nam si Deus crastina die sanguinis diminutionem, quâ in morbis laudabiliter utimur, absolute interdiceret, qui hodie sanguinem diminuere ne moreris tenebaris, die crastina potius mori quam sanguinem diminuere tenereris. Et quidem eodem modo de seminis effusione Philosophor. Esum pomi aliàs indifferentem primis hominibus interdixit quia voluit & potuit, utpotè rerum universa-

rum & Creator & Dominus; seminis etiam effusionem inhibet, non quod ipsa sit mala ante præceptum, sed quod ipse sit Dominus, nos servi, ipse Creator, nos creaturæ; ipsi competat præcipiendi auctoritas, nobis obediendi gloria relicta sit.

Sed & dicta adhuc fortius urgebo. Proximus ad generationem & nativitatem accedit embrio & infans ipse nondum natus quam semen; atqui potest gravis parens contra aminatum fatum procedere, si aliter vitam conservare non possit; ergo à fortiori posset contra semen, si solummodo considerarentur rationes naturales; ergo si quidem procurare potest abortum licite ut vitam tueatur, & tamen procurare mollitiem propter eandem causam non potest, est argumentum infallibile quod mollitiei malitia à rerum natura non dependet, sed à voluntate interdictoris.

Dico Tertio, *Mollities, Sodomia, bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infima, adeoque nemo tenetur in confessione exponere utro ex istis modis peccaverit, sed satisfaciet dicens procuravisse pollutionem.* Est sententia expressa D. Thom. illam defendunt Auctores in meo Comment. in Reg. Benedict. citati, & tam clara videtur ut contraria videatur error in Philosophia. Ostenditur idè furari argentum & furari arma, non sunt peccata distincta specie, quia tametsi animantes & metalla specie aut plusquam specie distinguantur, in his duobus furtis non dantur duæ malitiæ specie distinctæ, sed tota specifica illa distinctio se tenet ex parte materiæ. Non aliter in peccatis contra-naturalibus philosophor: idè sunt mala aut interdicta, quia in abusu consistunt, & semen extra vas naturale deciditur; atqui hoc eodem modo reperitur in mollitie, bestialitate & sodomia; ergo sunt peccata ejusdem speciei; omnia enim sunt puræ pollutiones quæ diversimodè procurantur; nam sicut mollities manuum tactibus procurata non distinguitur specie à procuratâ tactu vestium, tametsi manus & vestes specie distinguantur: sic nec procurata cujuscumque corporis partis contactu, cujuscumque

animalis; cuiuscumque materiae; univ-
ersarum enim harum immunditierum
malitia in hoc solum formaliter consistit,
quod semen extra vas naturale effunda-

tur: unde inter conjugatos, modò se-
men legitime decidatur, sordes reliquæ
dicuntur licere, aut saltem non esse mor-
taliter peccaminosa.

PRÆCEPTUM VII.

1608 Miro eoque optimo ordine Deus non primam solum, sed & secundam Tabulam tradidit. Pa-
rentes reliquis hominibus praposuit, & agens quinto, sexto, septimo, octavo, de proximi
quiete & securitate, quinto præcepto fecit, ut securus frueretur vitæ, homicidia interdi-
cens. sexto ut uxore, inhibens adulteria, & quascumque alias carnis extra matrimonia-
les delectationes. septimo ut divitijs, condemnans furta & latrocinia. & tandem octa-
vo, humanâ societate, omnia mendacia, etiam officiosa proscribens. Hic specialiter agen-
dum de septimo, & ne erremus, duceam habeamus Sacram Paginam.

EXODI 20. 13.

1609 **N**ON FACIES FURTIVUM. Huc spectant,
LEV. 19. 113. Non decipiet unus-
quisque proximum suum. EXOD.
22. 21. Non contristabis nec affliges adve-
nam & peregrinum; quia & nos peregrini
fuisistis in Egypto. Item ibidem & DEUT.
10. 18. Vidua & pupillo non nocebitis. Si
laferis eos, clamabunt ad me, & ego excau-
diam eos, percussamque vos gladio, & erunt
uxores vestrae viduae, & filij vestri pupilli.
LEV. 19. 35. Nolite facere iniquum aliquid in
regula, in pondere, in mensura. Et ibid. Sta-
tera justa, & aqua pondera sint, justusque mo-
dius, & aqua quo sextarius. DEUT. 25. 13.
Non habebis in saculo diversa pondera, ma-
jus & minus, nec erit in domo tua modius
major & minor. DEUT. 19. 14. Non trans-
feres terminos proximi tui. LEV. 19. 15.
Non facies quod injustum est, nec injuste ju-
dicabis. Non consideres personam pauperis,
nec honores vultum potentis. DEUT. 16. 18.
Non accipies personam nec munera, quia mu-
nera excæcant oculos sapientum, & mutant
verba justorum. LEV. 24. 108. Qui percus-
serit animal, reddet vicarium; id est animal
pro animali.

Peccat contra legem hanc primò, qui
rem alienam aufert ab invito domino. 1610
Secundò, qui rem alienam retinet domi-
no invito. Tertio, qui recipit ab homine
coacto & involuntario; tunc enim tametsi
illam physicè tradat verus dominus, non
dat, non donat libertatis defectu. Huc
refer illa omnia quæ per vim extorquen-
tur; vectigalia & impositiones impruden-
tes, quibus gravantur subditi sine causa;
usura terminos communes prætergressæ;
subornationes & omnia illegitima mune-
ra, & id genus alia.

Vtrum calumniæ contra hoc præcep-
tū militent, Doctores disputant; aliqui
enim censentes homines esse honoris sic-
ut & divitiarum dominos, calumnias
furtis & latrocinij ad jungunt. alij verò
hoc negantes dominium, illas quinto
præcepto opponi honorem esse vitam
hominum civilem & moralem existi-
miant: infames enim in Rebus publicis
moraliter & virtualiter non sunt, quoad
officia enim & publicas omnes functiones
ita se habent ac si in rerum natura non
essent. Sed nos superius honorem ne-
cessarium a non necessario distinximus;
& illum vitæ, istum salutis & opibus adju-
dicavimus.

PRÆCE-

PRÆCEPTUM VIII.

EXODI 20. 14.

1612 **M**agna olim velitationes inter
bonos Theologos circa hujus
præcepti intelligentiam; erant
innumeri, qui sibi persuadere non pote-
rant mendacia officiosa interdici; nos ve-
rò rem clariùs intuentes, meliùs exami-
nantes, omnia mendacia sive officiosa si-
ve non-officiosa esse peccaminosa tene-
mus.

Dices hanc resolutionem multis Te-
stamenti veteris Patriarchis, multis Pa-
tribus novi esse injuriam; ipsi enim men-
titi nonnunquam videntur, & possent à
peccato salvari si dicerentur mendacia
officiosa esse licita; alij enim debent
peccatoribus adnumerari.

1613 Respondeo huic instantiæ bifariam.
Primò, asserendo esse verosimile illos non
peccasse, non quod mendacia officiosa
interdicta non sint, sed hoc sub illud
tempus non erat ita examinatum, adeoq;
potuisse legis rigorem insuperabiliter
ignorare; multa enim priores nostri pro-
babiliter tenuerunt, quæ hodie certa;
multa hodie probabiliter tenemus, quæ
olim constabant; & tamen probabiliter
judicare nihil est aliud quam veritatem
invincibiliter adeoque inculpabiliter ig-
norare. Secundò, faciliùs & meliùs, asse-
rendo illos omnes, quos mentitos Sacra
Pagina, & authenticæ historiæ tradunt,
peccavisse de facto venialiter; dicendq;
non esse cur hoc illis peccatum non im-
putetur, cum fide tenendum sit, præter
B. Virginem reliquos puros homines ta-
metsi pios & justos aliquot peccata venia-
lia commisisse, inter quæ hoc ipsum, de
quo agimus, exprimi potest. Imò cum
hoc sit omnium minimum, videtur po-
tius eorumdem Patrum auctoritati pro-
spici, cum peccata illa venialia, quæ
habuisse certum est, ad minima levissi-
maque reducuntur. Cæterum, ut in præ-
posita doctrina firmeris, literam Sacri
Textus considera.

1614 **N**ON LOQUERIS CONTRA PROXI-
MUM TVVM FALSVM TESTIMONIVM.
Huc spectat Exod. 23. 1. Non sus-
cipies vocem mendacij. ET IBID.
Non sequeris turbam ad faciendum malum,
nec in judicio plurimorum ad quiesces senten-
tia, ut à vero devies. ET IBID. VERS. 7.
Mendacium fugies. LEV. 19. 16. Non eris
criminator, nec susurro in populo. ET IBID.
VERS. 13. Non facies calumniam proximo
tuo.

Petis, An mendacium ex naturâ suâ
sit peccatum mortale?

Respondent aliqui omnia peccata, 1615
quæ sunt contra reliqua præcepta Deca-
logi ex naturâ suâ esse mortaliter pecca-
minosa, & solum per accidens esse venia-
lia defectu materiae; nimirum, si sit ma-
teria parva. adduntque mendacium se-
cundum se esse veniale, ni per accidens
damnum magnum inde resultet. At mi-
hi semper displicuit hæc solutio. Qui
enim omnia alia peccata ex conceptu suo
mortalia asserunt, & solummodo per
accidens defectu materiae magnæ venia-
lia esse contendunt; cur non eodem modo
possent dicere omnia secundum se & ex
conceptu suo esse venialia, & per acci-
dens reddi mortalia ratione magnitudi-
nis; nimirum, si materia notabilis sit?
Præterea; si secundum se sunt mortalia,
quomodo per accidens & defectu mate-
riæ possint fieri venialia non intelligo, quia
juxta commune idque verissimum Philo-
sophorum assertum, Siquid convenit sub-
jecto per se; ejus oppositum nec per se, nec per
accidens potest competere; homini enim,
cui per se cõpetit rationalitas, ejus oppo-
situm, nempe irrationalitas, nec per se, nec
per accidens competere potest; nam sive
materia sit magna sive parva, homo sem-
per erit rationalis, nunquam irrationalis.
ergo similiter, si furtum ex naturâ suâ &
per se est peccatum mortale, sive materia
sit magna sive parva, semper erit morta-
le. Atqui certum est esse aliqua furta ve-
nialia;

venialia; ergò hæc solutio toleranda non est.

1616 At ego de omnibus & singulis Decalogi præceptis eodem prorsus modo philoſophor. & teneo eorum prævaricationes secundum se esse malas, esse peccaminosas, non verò mortaliter aut venialiter, sed ut sic; non secus ac animal, quod secundum se est vivens sensibile, ut sic, non verò rationale aut irrationale, album aut nigrum, magnum aut parvum. Sentio venialis & mortalis taleitates esse accidentarias peccati differentias, debereque a materiæ quantitate desumi; ita ut dicatur peccavisse mortaliter, qui violaverit legem in materiâ gravi, venialiter, qui in levi. Et ad mendacia veniens, existimo ea ex suo conceptu solum habere quod sint contra legem, adeoque quod mala ipsa sint, at à materiâ sumere gravitatem, mortalia futura si materia fuerit

notabilis, & venialia si levis.

Mendacij materia non est objectum quod 1617 asseritur; quia sive mendaciter dicas te habere unum florenum, sive decem mille, non nisi leviter peccabis: sed est persona cui asseritur: mendacium enim interdicitur, non quæ asserit, sed quæ decipit, adeoque si fides privata decipiatur, existimo esse peccatum veniale, & mortale si publica. Hinc est quod in tribunali testes teneantur veritatem dicere, & etsi non adjurentur, tunc mortaliter peccaturi mentiendo, quando pejerantes peccarent. Hinc est, quod literarum publicarum effectio, & quæcumque adulterini instrumenti præsentatio, & quicumque alius modus decipiendi Rempublicam sic peccatum mortale, tametsi alij si clement, ut tomo II. videbitur, cum hæc eadem secundo, sed uberiore calamo resumemus.

PRÆCEPTUM IX. X.

1618 Verunt in veteri Testamento notabiles de Decalogi obligatione errores, & videntur majores adhuc fuisse. antequam in monte divinitus promulgaretur. Primo-genitus primi hominis Cain, ut constat ex Targum Chaldaeo vel Atheus fuit, negando divinam existentiam, vel saltem blasphemus negando divinam justitiam; aiebat enim nec esse Deum, nec sæculum alterum. Ejus filij & discipuli rationibus aliorum convicti errores paulatim remiserunt, quos vix post diluvium excitasse Cham & ejus filij, à quibus suborti veteris Testamenti hæretici, quos ad paucas classes reducunt.

1619 Fuit primus error, illorum qui tenebant Decalogum esse legem pœnalem, non moralem, adeoque prævaricatores non incurrere culpam, sed pœnæ debitum. Sed & ipsi in duas sententias divisi, alij enim putabant observatores Decalogi in hac vita præmio donandos, prævaricatores miseris & infortunis affligendos: alij verò alterum etiam sæculum concedentes immortales animos

corpore exutos habituros legitimæ stipendia meritorum putabant. Vtrique errori subscripsisse reperies plurimos Zadducos in Testamento veteri, aliquos Hæreticos in novo; inter quos Petrus Abailardus severissime à multis oppetitur, quod omnia peccata negaverit, & solummodo debitum pœnæ concesserit. Videbatur huic modo dicendi favere Sacra Pagina, quæ plerumque præceptis præmiū vel pœnas adjungit, vel discurremus per singula. Primum his verbis fertur: Exod. 20. 4. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes: non habebis Deos alienos coram me.* Omnia & singula verba videntur spirare horrorem; Dominus enim ille dicitur, qui potest rem destruere; Deus, qui debet timeri; juxta illud, *Firmos in orbe Deos fecit timor.* fortis etiam asseritur, ut viribus humanis diffidamus; zelotes, ut zelum & severitatem habere judicemus. Consonat rigori etiam rigor, Deuter. enim cap. 13. vers. 2. & 6. lego; *si surrexerit Prophetes, frater, filius, filia aut uxor, & dixerit eamus & serviamus Dijs alienis, non acquiesces sed statim interficies;* & ibid. c. 16.

V. 24.

V. 24. commendat divinum cultum sacer Textus, dicens, *Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Secundum ejusdem Decalogi præceptum etiam comminatorium est Exod. 20. 7. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum; neque enim habebit insonitum Dominus eum qui id fecerit.* & Leut. 19. 12. *Non perjurabis in nomine, nec polles nomen Domini Dei tui.* Tertium sub pœnâ capitis debere servari constat ex illo, qui colligens ligna repertus, ultimâ sententiâ damnatus. Quartum fertur his verbis, *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longevus super terram.* Quinto est commentario vox Christi dicentis, *Qui gladio percusserit, gladio peribit,* & Leut. 24. 17. *Qui percusserit & occiderit hominem, morte moriatur.* De sexto lego Leut. 20. 10. *Machus & adultera morte moriatur.* Furta etiam graviter lege divinâ sunt punita. Exod. 22. 2. *Oculidens furem nocturnum innocens habeatur,* & Deuter. 24. 7. *Plagiarius, qui furatur hominem vendat, occidatur.* Mendacia etiam gravi pœnæ subjecta, Deuter. 19. 15. *Testis falsus crimen ratione luat, datque animam pro anima.* Ergò existis & plurimis alijs Deuter. & Leut. legibus potest inferri Decalogum esse legem pœnalem. Respondeo tamen nullum prudentem id ambigere, probant ipsi esse legem pœnalem

quod concedimus, sed non probant esse purè pœnalem; dicimus enim esse legem mixtam, pœnalem simul & moralem.

Error secundus eorum fuit qui putarunt actus mere internos nulli judicio, nulli legi esse subditos. & quidem, si agamus de legibus humanis (Ecclesiasticæ ipsæ aut sæculares) actus internos non esse subditos probabilis est, juxta illud, *De occultis Ecclesia non judicat:* At si agamus de authoritate & jurisdictione divinâ, internas hominum cogitationes imperio divino non subesse delirium est. Ut igitur Deus doceret se posse & velle ipsosmet internos hominum actus legibus gubernare & dirigere, tulit nonum & decimum præceptum Decalogi hæc verbis:

DEUTER. 5. 20.

NON CONCVPISCES VXOREM PROXIMI TUI. NON CONCVPISCES DOMUM PROXIMI TUI, NON AGRVM, NON SERVVM, NON ANCELLAM, NON ASINVM ET VNIVERSA QUAE ILLIVS SVNT.

In quibus verbis tametsi omnes actus interni non videntur expressi, multi exprimuntur ut evidenter innotescat esse erroneam illam sententiam, quæ tenet, Decalogum actus internos non dirigere nec gubernare.

ORDO

Præceptorum Decalogi.

1621 **O**Mitto stolidam illorum Authoritatem sententiam, qui in præceptis Decalogi nullum ordinem necessarium cognoscunt, asserentes sic fuisse congesta per accidens, & aliter aequè bene potuisse; venio ad eos qui rationabilem hunc ordinem judicant; & quare sibi mutuo præcepta succedant, exponunt.

1622 Clarissimus Vir Wendelinus, in Astronomicis ad miraculum magnus, omnia ad caelestes numeros reducit; ita ut existimet ætheream planetarum ar-

moniam omnium stellarum rerum exemplar. Systemate Copernicano insistens considerat calum empyreum orbem univrsos concludens, in eo Dei præsentiam & gloriam contempletur, sibi que videtur ipsummet audire Creatorem dicentem; *Non habebis Deos alienos coram me.* Contemplationis alis ad firmamentum, fixarum stellarum sedem, prolapsus laudat Authorem, *Qui numerat multitudinem stellarum & omnibus eis nomina vocat,* & quia hæc omnia nomina sunt finita participationes divini, ait, *Non assumes nomen Domini*

Domini Dei tui in vanum. Descendens inferiùs Saturnum reperit lento pede vastissimum iter metientem, & subjungit, *Memento ut diem Sabbati* (hoc est, diem Saturni) *Santifices.* Iovis sphaeram adiit, impietate contra patrem famosi, ejusque perulantiam detestans subnectit, *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Ioviali sphaerâ egressus martialem necessariò invadit, cujus influxui irascibilis videtur subdita; bellaque, seditiones, & homicidia detestatus inquit, *Non occides.* Martis globo Veneris sphaera conclusa, Veneris inquam amorum Deæ & illicitarum delectationum Antifitis, contra cujus ethnicam divinitatem effulminat, *Non machaberis.* Sed quia infra ipsius circulos breviori orbitâ vafer ille Mercurius, qui asseritur furum magister, latronumque numen exorbitat, hujusmodi scelera aversatus inçlamat; *Non furtum facies.* Et tandem in systematis centro reperiens Apollinem tot mendacijs quot oraculis celebrem, veracitatem commendat & ait: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Sic, vir subtilissimus pulchrè quidem & ornate discurrit, & ut rerum digestio comprobatur, appositisimè; at ego qui in moralibus istis præceptis moraliter instrui desidero, non jam rerum naturam physicam, sed morales ipsas idæas contemplanor ut ordinis rationem reperiam.

¹⁶²³ Sentio igitur voluisse Deum docere homines quænam virtutes essent excellentiores, quænam graviora crimina, ut hæc cautius fugerent, illas studiosius amarent. Ita igitur articuli Decalogi dispositi, ut virtuti nobiliori ignobilior, & graviori peccato minus grave succedat. Primò totus Decalogus in tabulas distinctus duas, quarum prima Deum respicit, secunda proximum, prima nobilior secunda minus nobilis, non solùm ratione objecti, sed & ratione operatio-

num. Tabulæ primæ objectum Deus, secundæ homo, actus quibus Deus tangitur supernaturales, & naturales, quibus homo. Debit igitur primæ secunda succedere, vel alias inverteretur ordo dignitatis & autoritatis. In prima tabula præcepta tria quibus ordo non est arbitrarius: prima enim hominis obligatio est Deum amantem redamare, nota etiam Ethnicis apud quos lego, *Vis ut ameris? ama.* Secunda amati Dei excellentias & perfectiones confiteri, inter quas prima est veritas tam in essendo quam in asserendo; Deus enim quia verus in essendo est, falli nequit, & quia verus in asserendo decipere non potest; veritatem igitur divinam omnium attributorum fontem commendat & confitetur qui sanctè jurat, & contemnit qui peierat. Tertia hominis obligatio est cultum Deo exhibere, & hunc ejusdem primæ tabulæ ultimum præceptum indicit. Clariùs in secunda relucet ordo dignitatis. Strictiùs tenemur erga Patres, quàm erga reliquos; atque adeò primo loco præcipitur illorum cultus. Inter humana bona primo loco recensetur vita, secundo uxor, tertio divitiæ, vir enim honestus & prudens mavult exspoliari pecunijs quàm tolerare adulteram, & mavult uxore carere quàm vitâ; quamobrem quintum, sextum & septimum legis præceptum poposcunt hunc ordinem. Minima injuria quæ proximo fieri potest, videtur in officioso mendacio consistere, adeoque octavum præceptum subjungitur fidelitatem & veracitatem indicens. Sed quia gravius proximo læditur externis injurijs quam pravo & inordinato affectu, qui prioribus legis articulis, ne quis proximo effectivè noceret, inhibuerat charitatis terminos propagaturus, nequis vel affectivè noceat nono & decimo præcepto indicit.

LECTURO.

SVNT O hæc Resolutionum fundamenta, vel fundamentales decisiones, Sex quibus per necessarias consequentias dubiorum omnium resolutio inferatur.

Ceterum, ut singulorum præceptorum Decalogi clariorem notitiam obtineas, Tomum alterum eadem consequentia doctrinæ quantocius publicandum expecta: ibi casus innumeros, dubia varia & controversias difficiles ad præmissa principia tanquam ad hydium lapidem utiliter reducta reperies.

FINIS.



I N D E X E O R V M Q V Æ T O T O O P E R E C O N T I N E N T V R.

Primus Numerus Paginam, Secundus Columnam
notat.

A

A B R A H A M.

Abraham habuisse jus vitæ & necis in Isaac non rectè asserit Æcodius pag. 43. col. 2.
Non habuit Abraham plenum dominium in Isaac 307. 1
Solvitur Scripturæ locus quo id suadetur. ibid.
Non erat Abraham occisurus filium suum tanquam vicarius Dei. ibid. 2.
Cum Abraham dispensavit Deus cum ei filicidium imperavit. 313. 2

A B S O L V T I O.

In dubio an puer qui nondum attingit septennium habeat usum rationis conditionatè absolvi potest & aliquando debet. 347. 2
In dubio an puer septennis habeat usum rationis, absolute & sine conditione absolvi debet etiam extra necessitatem. 349. 1
Absolvi non potest qui petit absolutionem sub conditione quod peccaverit. ibid.
Dubitans an casus sit reservatus potest penitentem absolvere. 333. 1
Sciens casum fuisse reservatum dubitans verò an possit absolvere. 334. 1

A B S T I N E N T I A.

Cum dubitatur an abstinentia à carne illatura sit notabile nocumentum ægro non est necessaria dispensatio 331. 1
Peccabit in dicto casu abstinens & ij omnes qui abstinentiam ægro suadebunt. ibid.

A C T V S. A C T I O.

Actus notiones Dei non sunt subiecti legi æterni dominij 3. 1
Actus omnipotentis Dei non subijciuntur legi æternæ aut decreto divino. ibid.
Actus imperantes & actus imperati in Deo nulli sunt. 3. 2
Actus supernaturales sine culpa & merito fieri possunt & omitti. 4. 1
Actus intrinsicè mali nulli sunt seclusa prohibitione legis. 252. 1 & seqq.
Malitia actus alia physica; alia moralis 253. 2
Non est actio mala quæ cum dispensatione fit. 308. 1

A D V O C A T V S.

Advocatus an possit patrocinari contra reum in causa dubia. 73. 2

Æ T E R N I T A S.

Explicatur quid sit ÆVNC, æternitatis. 7. 1

A F F I N I T A S.

Affinitatis natura & effectus quoad matrimonium. 136. & 137.

A M E N S.

Incitans amentem in actum mortaliter malum, mortaliter peccat. 262. 1.
Perpetuè amentes nulli probabiliter dantur. ibid.
Amentes in articulo mortis fortè usu libertatis donantur. ibid.

A N G E L V S.

Angeli ultra appetitum innatum habent etiam dominium propriarum. 57. 2.
Angeli quarum rerum habeant naturale dominium. 58. 1.
Angeli bifariam operantur. ibid.
Angeli divinæ iræ vindices. ibid. 2.
Possitne Angelus sine speciali Dei mandato occidere quæquam. 59.
Angelis leges morales imponi potuerunt. 262. 1.

A N I M A L.

Animalia curatione occupantur. 220. 2.

A P P E T I T V S I N N A T V S.

Quid appetitus innatus. 12. 1.
Quomodo ens omne naturaliter esse desideret. ibid.
Appetitus innatus an distinguatur ab ipsa rei entitate. 13. 1.
Objectum divini innati appetitus. 14. & 15.

A T H E V S.

Potest quis ad tempus Deum invincibiliter ignorare. 324. 2
Potest etiam quis tota sua vita Deum invincibiliter ignorare. 325. 1.

A V T H O R I T A S.

Autoritatem alteri delegare quid? 285. 2.
Autoritas legati & delegati sunt distinctæ. 286. 2.
Deus potest delegare autoritatem præcipiendi ea omnia quæ ipse potest præcipere. 287. 1.

A V X I L I V M.

Auxilij efficacia & inefficacia vis & natura. 55. & 56.

B

Bello capti suspendi aut aliter occidi possunt. 86. 1. & seqq. item 88. 2.

Bello capti non statim fiunt servi. ibid. 1.
Bello utrumque probabiliter possunt victi servitorem incur-
rere. 89. 1.
Bello justo capti non ut olim ira hodie servi fiunt. ibid. 2.
Tunc licet bella movere dubia cum licet jure dubio liti-
gare. 347. 2.
Miles dubitans de justitia belli an bellare possit. 355. 2.

B E N E F I C I V M.

Qui nimis tenue habet beneficium non tenetur ad inter-
grum officium. 345. 2.
Dubius de tenuitate beneficij an teneatur ad officium in-
tegrum, vel partem. ibid.

B L A S P H E M I A.

Blasphemia graviter peccaminosa. 406. 2.

B O N A. B O N I T A S.

Bona inundatione perdita sicut occupantis. 79. 2.
Bona naufragio perdita cujus sint? 80. 2. & seqq.
Bona amissa an excidant à prioris possessoris dominio. 83. 2.
Bonitas moralis & transcendentalis quæ. 254. 1. & 2.

C

C A N I S. C A R O. C A V S A.

Canes execranda impietate hominibus præfunt & do-
minantur. 17. 1.

F F F

Peccata

I N D E X

Peccata carnis seclusa prohibitione nulla sunt mala, 409. & seqq.
 Cause dux bifariam ad productionem effectus possunt concurrere. 42. 1
 CENSURA.
 In dubio an lata sit censura vel ferenda, praesumitur ferenda. 354. 2
 In dubio an verba contineant censuram praesumitur quod non. ibid.
 CIVITAS. COMMODATVM. COMMVNITAS.
 Potest jus idem ad plures civitates pertinere. 142. 2
 Commodati essentia & proprietates. 175
 Commodatae & locatae rei distinctio. 176. 1
 Commodatarius rei commodatae non acquirit dominium. 177. 2
 Commodatarius rem alteri commodare non potest. ibid.
 Communitas alia simplex alia composita. 282. 2
 CONFESSIO vide PECCATVM.
 CONANGVINITAS.
 Effectus cognationis carnalis quoad matrimonium. 133.
 Effectus cognationis carnalis quoad hereditatem. 138
 Effectus cognationis spiritalis & legalis quoad matrimonium. 237
 CONSCIENTIA.
 Conscientiae definitio & natura. 330. 1
 Eiusdem differentia à synderesi. ibid.
 Conscientia dubia quid. 330. 2
 Conscientia dubia eadem quae indifferens. ibid.
 Conscientia timida pharmacis perinde ac doctrina eget. ibid.
 Conscientia scrupulosa quid. ibid.
 Conscientia scrupulosa seclusa superbia non est mala. 331. 1
 Conscientia probabilis quae. ibid.
 Quid conscientia evidens, quid fidelis. ibid.
 Dubiae conscientiae negativè nulla opponitur. ibid.
 Conscientia timida & audax in morbo consistunt. ibid.
 Conscientia non probabilis quae. 332. 1
 Conscientia temeraria, erronea, haeretica. ibid. 2
 Conscientia tabula est in qua scribitur lex divina. ibid.
 Dubia conscientia dictamen est nulla aut levi ratione subnixum. 352. 1
 Quid conscientia probabilis. 394. & seqq.
 Conscientia evidens, raro est talis. 305. & seqq.
 CONSUVTUDO.
 Consuetudo non quavis obligatoria. 274. 1
 Quae communitas & quora ejus pars possit consuetudinem obligatoriam inducere. ibid. & seqq.
 Consuetudo unde habeat vim legis. 279. & seqq.
 Consuetudo per se nunquam inducit legem implicitam. ibid.
 Consuetudo per se nunquam legem abrogat. 281. 1
 Quid requiratur ad hoc ut lex per consuetudinem censetur abrogari implicitè. ibid. 2. & 284. 1
 Consuetudo inducere potest legem merè poenalem. 282. 1
 Casus in quibus consuetudo inducit obligationem moralem. ibid.
 Consuetudo privata quae vim legis habeat, non facile admittenda. ibid.
 Consuetudo privata quae vim voti habeat facilius admittenda. ibid. 2
 Consuetudo contra Decalogum nullum ejus praecipuum abrogavit. 284. 1
 Dari non potest consuetudo quae Decalogo deroget. ibid. 2
 Cum dubitatur an consuetudo sit obligatoria censenda est non esse. 352. 2
 Si supponatur obligatoria, dubitet verò more suo, an commoditatem obstringat censenda est merè poenalis. ibid.
 CONSVLENS.
 Consulens homicidium, furtum &c. dubitans autem an ex tali consilio motus sit alius an teneatur ad restitutionem. 371. 2
 Quoties constat consilium non fuisse efficax nihil est restituendum. 372. 1

CONTRITIO. CONVERSIO. CORRVPTIO.
 Contritio naturali lege ad remissionem peccati requisita. 310. 1
 Attritio cum Sacramento poenitentiae sufficit ad remissionem peccati Deo dispensante. ibid. 2
 Convertens unum corpus in aliud, ejusdem acquirit dominium. 28. 2
 Corruptione rei dominium amittitur. 117. 2

D
 DECALOGVS.

A Brogato Decalogo intelliguntur cessare omnes obligationes morales. 255. 1
 Decalogi legillator Deus solus. 258. 2
 Actu libero sanxit Deus legem moralem aeternam. 259. 1
 Decalogus nõ imponitur invincibiliter ignorantibus. 260. 1
 Pueri quando incipiant obligari Decalogo. ibid. 2
 Decalogi praecipua an immutabilia. 273
 Decalogus per humanam potestatem non potest in totum abrogari. 284. 2
 Potest Deus totum Decalogum vel ejus partem abrogare. 285. 2
 Potest Deus potestatem abrogandi decalogum homini vel Angelo delegare. ibid.
 Potest etiam delegare potestatem subdelegabilem augendi, minuendi, immutandi decalogum. 287. 1
 Expedi neminem habere auctoritatem dispensandi in decalogo. ibid.
 In omnibus articulis secundae tabulae potest Deus dispensare permissivè, contrariè & contradictoriè. 296. 2
 In tertio praecipuo de facto Deus dispensavit. 298. 1
 Tertium praecipuum decalogi bifariam considerari potest, ibid.
 Non potest Deus in praecipuis primae tabulae contrariè dispensare. 299. 1
 In tota lege decalogi potest Deus contradictoriè dispensare & permissivè. ibid.
 Potest homo materiam praecipuorum secundae tabulae immutare. 301. 1. & 2
 Praecipua primae tabulae materialiter sunt mutabilia. ibid.
 Deus non dispensat in secunda tabula solum materialiter. 302. 1
 Materia decalogi secundum se est indifferens ut praecipiat vel non praecipiat. 319. 1
 Si nullae essent leges humanae positivae daretur adhuc secunda tabula non tamen moraliter obligatoria. 322. 2
 DEPOSITVM.
 Depositum natura & definitio. 179. 1
 Depositarius, deposito uti potest. ibid. 2
 Depositarius tenetur eandem rem restituere quam accepit. ibid.
 Depositum incrementum & imminutio cui cedat. 180. 1 & 182
 Lucrum ex deposito factum cui obtingat. 180. 2
 Depositarius pro re deposita mercedem jure recipit. 182. 2
 Depositum depositori an depositario pereat. 183. 1
 DEVS.
 Deus necessariò cognoscit omnia cognoscibilia. 14. 1
 Error est Deum produxisse seipsum. 20. 1
 Deus Pater non potest esse physicè dominus Filij & Spiritus S. ibid.
 Deus est physicus rerum omnium dominus. 21. 1
 An Deus sit actualis an habitualis rerum dominus. 23. 2
 An etiam actionis causae secundae. 24. 1
 Potest Deus addicere hominem aeternis supplicij sine causa. 35. 1. & 2
 Poenam tamen vel minimam sine causa infligere non potest. 36. 1
 Soli Deo jus vitae & necis competere. 34. 1. & 2
 Rerum omnium non solum physicus dominus, sed & moralis est Deus. 238. 2
 Potest

RERVM ET VERBORVM.

Potest Deus virtualiter abdicare rerum omnium dominium suaeque omnes perfectiones, & attributa. 240. & seqq.
 Deus nullius dominio subesse potest. 245.
 Deus non potest sui odium perjurium &c. praecipere. 301. 1
 Potest Deus amorem sui & cultum inhibere. ibid.
 Deus lumine naturali cognoscet potest. 398. 2
 Deum esse unum & non plures non potest demonstrari, potest probabiliter ostendi. 399. 1. & 2
 Deus quomodo ex toto corde amandus. 401. 2
 DISPENSATIO.
 Posita dispensatione in furto non committitur furtum vel materialiter. 304. 2
 Potest Deus in lege naturae dispensare. 305. 1
 Dispensavit in furto cum Hebraeis Deus. 307. 2
 Dispensat in Decalogo Deus tanquam dominus omnium jurium creaturae. 309. 2
 Non dispensat in Decalogo Deus. stante adhuc praecipuo illius observandi. 313. 2
 Dispensare in lege a ut praecipuo quid sit. 319. 1
 In dubio an subiat causa dispensandi an possit dispensari? 354. 2
 Dubitans an obtemperata dispensatio sit an ea uti possit. 373. 1
 An quando dubitatur an egeat casus aliquis dispensatione Episcopus vel iudex inferior dispensare possit. ibid. 2
 DIVISIO RERVM.
 Rerum aliquarum divisio de jure naturae, aliarum praeter naturam, nullatum contra jus naturae. 288. 1
 Rerum divisio magna ex parte naturalis est. 289
 Nunquam fuerunt omnia jure naturae communia. 260. 2
 DOMINIUM.
 Dominij clarior assertur definitio quam attulerint jurisperiti multi. 9. 1
 Dominij genus triplex, innatum, proprietarium, suppletivum sive jurisdictionis. ibid.
 Singulorum membrorum entitas & essentia. ibid.
 Eorumdem membrorum distinctio inter se distinctio & ad invicem collatio. ibid. 2
 Dominium perfectum & imperfectum, directum & utile. 10. 1
 Natura dominij innati, Ethnicis fuit incognita. ibid.
 Dominium proprietatis sive directum illud sit, sive utile imperfectum est. ibid.
 Expendit ut definitio Bartoli de dominio perfecto. 10. 2
 Dominium proprietatis quandonam plenum & perfectum. ibid.
 An Deus suorum actuum immanentium, suae vitae & suarum perfectionum sit dominus. 12. 2
 Dominium proprietatis quibus competat. 15. 1
 Quanam sint ad illud requisita. ibid.
 Dominium proprietatis aliud actuale aliud habituale. 16. 1
 Dominium physicum, directum, habituale, & actuale. ibid.
 Dominij usufructuarij ab utroque discretio. ibid. 2
 Dominium irrationali creaturae non competit. 17. 1
 Dominij physici definitio & natura. ibid. 2
 Dominium physicum non cadit in Deum terminativè. 18. 1
 Titulum dominij Deo soli concedit antiquitas Catholici etiam homini. 22. & 23
 Dominij humani à divino differentia. ibid.
 Physico Dei dominio quanam subsint. vide Deus.
 Quarum habeat homo physicum dominium, quarum naturale. 25. & seqq.
 Quae specie dominij subsint filij parentibus. 28. 1
 Qui convertit corpus unum in aliud ejusdem acquirit dominium. ibid. 2
 Quomodo civitatum regionum & aliorum locorum dominia devenerint ad homines. 31. 2
 Producentis accidentis rei corruptivum non sit dominus physicus accidentis producti. 32. 2
 An usu rationis carentes capaces sit dominij jurisdictionis. 49. 1

Quid morale dominium proprietatis & quibus modis acquiritur. 65. & seqq.
 Dominium rei facilius perditur quam acquiritur. 71. 1.
 Non in omnia homo habet dominium. 252. & seqq.
 DONATIO.
 Donatio tam perfecta quam imperfecta dominium transfert. 155. 1
 Donationis species variae. ibid.
 Quanam donare quam donari possint. 156. & 157
 Quae & quando pater prohibeatur filijs donare. 160. 1 & seqq.
 Filius patri, conjux coniugi certis circumstantijs donare non verantur. 165.
 Dictae praedictarum personarum donationes quandonam infirmantur. ibid.
 Donationi praebula esse debet insinuatio. 169. 1
 Quibus casibus donatio sine insinuatione valida sit. 170. & seqq.
 Donationes factae filijs sub parentum potestate constitutis sunt revocabiles. 163. 1
 Donatio nonnunquam est revocabilis. 171. 1
 Donatio inter vivos quandonam est revocabilis quandonam non. 172. 2
 Donatio causa mortis, semper est revocabilis. 173. 1
 DVBIUM. DVBIVS.
 Dubium purè negativum quid. 330. 2
 Dubium negativum nec opponitur errori, nec scientiae. 331. 2
 Dubium in operando quadrifariam accidit. 332. 1
 Dubitans, de eo quod agere non vult, non tenetur quidemquam inquirere. ibid. 2
 In dubio melior est conditio possidentis. 333. 2
 Dubius de obligatione latae legis quandonam obligatur, quandonam non. 341. 1
 Dubius ob tenuitatem beneficij non tenetur officium recitare. ibid. 2
 Commodatarius, Depositarius & Locatarius, dubitans an sua culpa res corrupta sit non tenetur ad restitutionem. 342. 1
 Dubius an incurrit excommunicationem, non est censendus excommunicatus. 344. 2
 Secus dicendum, si dubium consistat in revocatione aut dispensatione. ibid.
 Dubius an valeat Sacramentum acceptum à tali vel tali persona tenetur abstinere. 345. 1
 Pater irritare non potest votum de quo dubitas an in minori aetate emissum sit. ibid. 2
 Sacerdos dubius de potestate absolvendi stare debet pro possessione praecedenti. 346. 1
 Qui certo vovit castitatem dubitat an religiosam, non tenetur ingredi Religionem. ibid.
 In dubio an effectus proveniat à demone an à causa naturali, praesumendum provenire à causa naturali. ibid.
 In dubijs standum pro possessione quae praecesserat dubium. 351. 1
 Impossibile est dari dubium, aut timorem ubi intervenit superioris mandatum. 355. 1
 In dubijs non est semper pars tutior eligenda. 361. 1
 In dubijs nemo praesumi debet obligatus. 384. 1
 EFFECTVS.
 In dubio an effectus proveniat à demone an à causa naturali ab hac provenire praesumendum. 346. 2
 ELEMENTVM. EMPTIO.
 Distinguuntur probabiliter elementa solum penes primarias qualitates. 28. 1
 Quid emptio. 204. 2
 Conditiones ad emptionem requisitae. 205. & seqq.
 Quis emere quis vendere possit. 207. 1
 Res vendi pluris, emi minoris possunt quam valeant. 208. 1
 EXCOMMVNICATIO.
 Dubius an excommunicationem incurrit praesumat se non excommunicatum. 352. 2
 Dubius

I N D E X

Dubius an sit egressus excommunicatione presumere debet se esse adhuc excommunicatum. 353. 1

F
FORNICATIO.

Fornicatio & quavis alia peccata carnis seclusa Dei prohibitionem non est mala, sed remanet res indifferens. 252. 1. & seqq.

G
GRATIA.

Gratia efficacia ab inefficaci distinctio. 55. & 56
Gratia efficacia & inefficacia natura ac proprietates. ib.

H
HÆBRÆI.

Cum Hæbræis dispensavit Deus in furto cum res Aegyptiorum acceperunt. 307. 2
Non concessit Deus Hæbræis dominium rerum quas ab Aegyptiis acceperunt. 308. 1

HERES.

Heredes sui & necessarii quinam. 121. 2
Heres necessarius ob causam exheredatur. ibid.
Heres personam defuncti repræsentat. ibid.
Seclusa omni lege filius adhuc manet heres. 122. 1. & seqq.
Filij deficientibus fratribus diversimodè apud diversos hereditatem adepti. 223. 1. & seqq.
Confangueini quo ordine ad hereditatè vocandi. 124. & 125
An imperia in filios heredes dividenda. 126. & seqq.
Privata hereditatis divisio. 130.
Heres vel legatarius quis institui possit. 135. 1

HOMO.

Earum rerum physicum homo non habet dominium quas non produxit. 26. 1
Homo suarum actionum an sit dominus & quomodo. ibid. 2
Quænam homini subiecta sint ratione productionis. 31. 1
Homo non est physicus dominus domus quam curat ædificari sed moralis. ibid. 2
Hominem suæ vitæ esse dominum antiquorum exempla suadent. 26. 2
Author negat hominem vitæ suæ habere dominium. 3. 2

HONOR.

Homo non habet plenum & absolutum honoris sui dominium. 235. 5
Non potest homo condonare restitutionem famæ & honoris læsi. 236.

HOROLOGIVM.

Licetum est sequi horologium quod bene gubernatur. 362. 2
Horologium male gubernatum non habet auctoritatem opinionis probabilis. 363. 1
Probabilitas quæ nascitur ab horologijs est practica. ibid. 2

I

IDENTITAS.

In dubio an expleveris vigesimum primum annum non teneris jejunare. 339. 2
In dubio an sit jejunium non teneris jejunare. 340. 1
Idea divina & lex æterni dominij quomodo distinguantur. 52. 1
Idea divina alia practica alia speculativa. ibid.
Idearum in Deo an sit pluralitas. 53. 2
Identitas physica & intentionalis quid. 18. 1

IDOLOLATRIA. IMAGO.

Idololatria deservente Deo aliquando permilla. 310. 2
Imaginum usus non est interdictus. 400. 2

IGNORANTIA.

Ignorantia in vincibilis excusat etiam à lege naturali. 260. 1
Ignorantia legis naturalis dari potest etiam supposita indita noticia ejusdem. 270

INFINITVM. INVENTIO.

Non potest producere Deus res categoricè infinitas. 5. 2

Potest tamen producere res syncategorematicè infinitas. ib.
Infinitas divini intellectus illum prædeterminat per modum naturæ ad operandum. 13. 2

Inventio dominij acquirendi titulus legitimus. 70. 1
Inventio quid requiratur ut rei inventæ transferat in inventorem em dominium. ibid. 2
Rerum inventio triplex. 71. 2
An qualibet rei inventio transferat rei inventæ dominium. 72. & seqq.

Leges de rebus inventis late obligant si fuerint acceptatæ. ibid. 2
Inventio rei habentis dominium. 81. 2
Doctrina Molinæ de rebus inventis. 83. 1
An res inventæ debeant in pios usus expendi, fisco applicari vel Cameræ. 84. 1

INDEX. IVRAMENTVM. IURISDICTIO.

Iudex quid facere debeat in causa civili dubia. 373. 1
Qui suffragium non dedit contra innocentem liber est à restitutione. 376. 1
Vti etiam qui dedit quidem, sed coram Deo putavit se bene facere. ibid.
Iudex qui dedit suffragium suum contra innocentem plurius votis absolutum etiam liber est à restitutione. ibid.
Tenetur verò ad restitutionem quando innocens condemnatus fuerit. ibid.
Iuramenti materiam homo immutare potest. 303. 1
Iuramentum quando licitum, quando prohibitum. 405.
Iurisdictionis natura & divisio. 247. & seqq.
Iurisdicatio à dominio proprietatis quomodo distincta sit. 248. 1

L

LEGITIMATIO. LEX.

Legitimationis vis & effectus. 144. 2
Lex unde dicta. 1. 1
Legum ingenium & natura. ibid. 2
Leges tyrannicæ quæ subditis nocivæ. 2. 1
Legis genericè sumptæ definitiones variaz. ibid. & seqq.
Platonica divisio legis in divinam, caelestem, naturalem, & humanam immeritò rejicitur. ibid. 2
Singulorum membrorum divisiones & sensus. ibid.
Cur Plato legem caelestem dici voluerit æternam & divinam. 4. 2
Lex physica infallibilis & lex physica necessitans. 5. 1
Legis divisio in creatam & increatam. ibid.
Legis increatæ appellationes variaz. ibid.
Lex increata quo sensu infinita. ibid.
Lex divina extrinsecè jam finita est jam infinita. 6. 1
Quid lex æterna. ibid. 2
An obliget nondum natos. ibid.
Lex æterna promulgatione non indiget. 7. 1
Lex æterna ipsa est libera Dei voluntas prout est actus secundus. ibid. 2
Lex æterna quomodo mutabilis & dispensabilis. 7. 2
Lex innata seu appetitus innatus. 12. 1
An in Deo sit lex innata. ibid. 2
An lex innata distinguatur ab ipsa rei entitate. 13. 1
Lex physica jurisdictionis. 52. 1
Lex æternæ jurisdictionis, æterni dominij idea divina quomodo distinguantur. ibid.
Lex æterna non in intellectu sed in voluntate consistit. ibid.
Lex æterna triplex. ibid. 2
Legi æternæ physicæ obediunt omnes, non omnes morali. 53. 1
Legi æternæ quænam subdantur. 54. 1 & 2
Quid lex. 248. 2
Quid lex æterna. ibid.
Lex naturalis quid. 249. 1
Legis naturalis ab æterna distinctio. ibid.
Vtriusque legis objectum & materia. ibid. 2
Lex naturalis in quo. 251. 2
Ante

RERVM ET VERBORVM.

Ante legem moralem omnia sunt moraliter indifferentia. 256. 1

Lex naturalis moralis consistit in præcepto Dei positivo. ib. 256. 1
Legis moralis naturalis materia. 259. 2
Tabulæ in quibus scripta lex moralis naturalis. 262. 1 & 2
Lex æterna moralis est præceptiva. ibid.
Lex naturalis an omnibus æquè nota. 269. 1
Lex naturalis omnibus impressa. ibid. 2
Lex naturalis an immutabilis. 273. 1
Lex pœnalis non obligat in conscientia. 319. 1
Legem merè pœnali potuit nos Deus ad legem naturæ alligare. 320. 1
Omnium cordibus conscientijsque insculpta lex naturalis. 330. 1
Lex habens duos sensus probabiles in alterutro accipi potest. 354. 1
Quando lex habet sensus dubios legislator est consulendus vel reo favendum est. ibid.

LIBERTAS. LOCATIO.

Libertas philosophis triplex geoscopica, theostopica & cleostopica. 17. 2
Libertas prædeterminatione perficitur & adjuvatur. 56. 2
Libertas arbitrij, libertas consilij, libertas beneplaciti unde? 107. 1
Libertas jure naturæ alicui perdit potest, positivo nequit. 113. 1
Libertas moralis politica & naturalis quomodo distinctæ. 260. 1
Locata rei & commodata distinctio. 176. 1
Ad reparationem rei locatæ quis obligetur. 178. 2 & 179. 1
LUCRVM CESSANS.
Lucrum cessans & damnum emergens quibus casibus excusent ab usura. 191. & seqq.

LVDVS.

Ludi essentia & divisio. 202. 2
Quibus ludis rei transferatur dominium. ibid.
Quinam ludere possunt. 203.
Quo pignore ludi possit. ibid.
Qui ludus Clericis inhibiti. ibid. 204. 1 & 2

M

MALITIA

Malitia in actum à lege prohibente derivatur. 252. 1
Alia physica alia moralis. 253. 2
Præcepta moralia utramque dicunt. 255
Odium Dei physicam habere potest non moralem. ibid.
Malitia physica antecedit omnem moralem. 254. 1
Malitia moralis quid. ibid.

MANCIPIVM.

Mancipium servus & captivus non sunt pro iisdem usurpanda. 85. 1
Mancipij definitio & nomenclatura. ibid.
Mancipium sibi acquirit quicquid acquirit. 95. 2
Nulli licet alteri se in mancipium dare. 110. 2

MENDACIVM.

Deus de potentia absoluta mentiri non potest. 315. 1
Deus in mendacio dispensare potest. ibid.
Mendacium omne malum est. 413
Mendacium an ex genere suo mortale sit. 414. 2

MERX.

Merx partim integra partim corrupta quo pretio vendi possit. 118. & seqq.
Mercurium pretia quibus ex causis crescant & decrescant. 208. 2 & seqq.
Anticipata mercium solutio an usuraria. 213. 1
Mercurium & mercatorum copia & paucitas quibus casibus pretium earundem augeat & minuant. ibid.

METVS.

In dubio an metus fuerit incussus presumendus non est incussus. 350. 2
In dubio fueritne parvus an magnus metus presumendus est parvus. ibid.

MILES.

Miles bello captus quatenus occidi possit. 86. 1. & 3
An miles salutem petens occidi possit. 87. 1
An miles qui lytrum solvit occidi possit. ibid.
Clerici in prælio cum alijs deprehensi justè occiduntur. ib. 1
Miles licet se morti dedit ne se dedit hosti. 109. 1
Miles legitime captus quandoque evadere potest quandoque non. 114. 1
Miles dubius de justitia belli an bellare possit. 355. 2
Miles sciens injustum bellum an bellare possit. 357. 1
An miles teneatur restituere ablata ex bello injusto quod putabat justum. ibid. 2

N

NATURALIZATIO. NICROMANTIA.

Naturalizatio quid. 142. 1
Dat jus in fontes, sylvas, pasua communia. ibid.
Nicromanticis plura quam par est assignantur. 346. 2
Quid nicromantia & quando committatur. 403

O

OCCIDERE.

Quomodo quis acquirat jus occidendi in vobis. 34. 1
Moderamen inculpate tutelæ inter strictos enses raro locum habet. ibid.
Occidi peti filius Prophetarum an licet. 39. 2
Quomodo excusandi Martyres qui in mortem sponte se iniecerunt. 40. 1
Malè se occidunt veteres ne serviant alijs. 108. 2
Potest Deus concedere ut quis innocentem occidat. 305. 2
Quando non licet innocentem occidere. 306. 1
Deus quemlibet occidere potest etiam sine causa. ibid. 2
Quænam occisio prohibita quinto præcepto decalogi. 408.

ODIVM. OPINIO. OPVS.

Odium Dei continet latens divinæ mortis desiderium. 113. 1
Odium Dei sublato decalogo non est malum moraliter. 255. 1
Opinionum probabilitas non est improbanda. 327. 1
Opus servile quid. 407
Quænam opera diebus festis sint prohibita, quænam non. ib.

OSEAS.

Cum Osea Deus dispensavit in sexto præcepto decalogi. 208. 2
Inter Oseam & Gomeriam nullum matrimonium intercessit. 309. 2

P

PARENTES

Malè Ethnici concedunt parentibus jus vitæ & necis in filios. 40. 2
An uterque parens concurrat ad generationem prolis. 41. 42
Potest Deus inhibere ne parentibus & alijs superioribus obediantur. 313. 1
Parentes quomodo & quando honorandi. 408

PECCATVM.

Peccatum moriendi debitum non necessitatem invenit. 55. 1
Peccandi occasio fugienda. 106. 2
Mortaliter peccans servus efficitur. 107. 1. & 108. 1
Potest peccatum Deus remittere sine intrinseca peccatoris mutatione. 320. 2
Sublato Deo non peccaretur mortaliter vel venialiter. 322. 1
In dubio an quis peccator sit presumendus est innocens. 349. 1
Si sciatur peccator sed de penitentia dubitetur censendus impenitens. ibid.
Si sciatur quis peccator dubitetur an publicus an occultus presumitur occultus. ibid.
Dubius de specie peccati certus de gravitate materiæ tenetur illud confiteri. 378. 2
Dubius de peccati commissione qualitate vel absolute non tenetur confiteri. 378. & seqq
Peccata

I N D E X

Peccata conditionata à dubijs distinguenda.	383. 2	Precarij à mutuo & commutato distinctio.	173
Peccata dubia libera sunt materia confessionis.	ibid.	Precarium solvitur mera voluntate concedentis.	174. 2
Moribundus licet non teneatur confiteri peccatum dubium non debet mori cum dubio.	384. 2	Precarius rei concessæ non acquirit dominium.	177. 2
Peccata quænam venialia quænam mortalia ex genere suo.	413	PROFESSIO, PROMISSIO, PROVIDENTIA.	
PECUNIA PERCVSSOR CLERICI. PIGNVS.		Dubitans an ratificaverit invalidam professionem an maneat obligatus.	374. 1
PONTIFEX, POLLVTIO.		Promissio etiam acceptata nullam inducit obligationem.	149. 1
Pecunia numerata pluris fit quàm numeranda.	201. 1	Promittens sine animo adimplendi non statim est de mendacio arguendus.	151. 1
Pecunia sub annuo reditu quomodo ab usura vindicetur.	ibid. 2	Promittens sine animo promittendi non obligatur.	ibid.
Dubius percussor Clerici vitari non debet.	353. 2	Qui promissam rem gravem postea non præstat non peccat.	153
Quibus rebus & casibus adijcitur licetè pignus & quale.	198. 1	Promittens ducere virginem quam defloravit teneretur.	ib. 2
Pollutio & reliqua peccata carnis seclusa Dei prohibitione non sunt mala.	409	Promissio roborata juramento tantum obligat ratione juramenti.	ibid.
Pollutio seclusa prohibitione & bona & in præcepto esse potest.	410. & 311	Qui dubitat an promiserit ingredi Religionem an etiam proficere, stare potest pro libertate.	372. 1
Pollutio, bestialitas, Sodomia peccata sunt ejusdem speciei infamæ.	411. 2	Providentia & lex æterna nihil differunt.	52. 2
Pontifex incidens in amentiam perpetuam an excidat Pontificatu.	49. 1	An multiplex sit providentia Dei.	53. 1
Diversis in provincijs diversa Summi Pontificis autoritas.	83. 1	PVER.	
POSSESSIO, POSSESSOR.		Præcepta positiva Ecclesiæ non ligant omnes pueros doli capaces.	53. 1. & 260. 1
Definitio possessionis limata & correctæ.	11. 1	An in dubio accelerationis usus rationis præsumendum sit puerum peccasse mortaliter si ante septennium aut miserram omiserit aut die veneris carnes comederit.	ibid.
Potest quis per se & per alium possidere.	ibid. 2		
Quæ personæ non possunt nomine proprio possidere.	ibid.	R	
Possessio juris & facti.	ibid.	REPRÆSENTATIO.	
Quid requiratur ut quis alieno nomine possideat.	12. 1	Repræsentatio quid & quibus modis alius alium repræsentet.	143
An possessio acquirat ut ignorantem.	ibid.		
Possessor bonæ fidei non debet turbari ob levem scrupulum.	367. 1	S	
Occurrente ratione gravi inquirere debet an res ad se pertinet.	ibid.	SAGÆ, SAMPSON, SCIENTIA, SCRIPTVRA S.	
Adhibita diligentia & manentibus contra se rationibus, sed non evidentibus potest pro se judicare.	ibid.	Sagarum confessioni & declarationi non debet judex multum adhaerere.	347
Comparente domino debet illi res restitui quatenus extat.	ibid.	Deo dispensante Sampson sibi mortem conscivit.	308. 1
Si probabilis sit rem esse alienam adhuc stari potest pro possessore probabili.	368	Scientia Dei ejusque objectum.	14. 1
Possessor dubiæ fidei an teneatur restituere.	369. 1	Scientia visionis quomodo libera.	ibid.
A possessore malæ fidei res vili emi potest ut domino restitatur eodem pretio.	371	Scriptura Sacra nec potest mutari nec debet.	405
PRÆCEPTVM, PRÆDETERMINATIO.		SEMEN, SENTENTIA, SEPVLTVRA.	
Præcepta moralia duplicem bonitatem dicunt.	255. 1	Seminis virilis effusio ante præceptum non est mala imò bona ac in præcepto esse potest.	411
Præcepta moralia non sunt principia per se nota.	ibid.	Ministri Principum dubij de justitiæ sententiæ possintne illam exequi.	358. 2
In dubio an præceptum morale vel pœnale sit præsumendum est pœnale.	359	Cùm dubitatur an puer sit baptizatus sepeliri debet in loco sacro.	353. 1
Præceptorum decalogi objectum & natura.	415. & seq.	SERVVS, SERVITVS.	
Prædeterminatione physica libertas humana non necessitatur sed infallibilatur.	4. 2	Quis dicendus sit servus.	86. 1
Prædeterminat omnis lex actus sibi correspondentes.	41. 1	Servorum usus apud multas nationes interdictus.	90. 1
Physica prædeterminatio antecedens causationem est innati appetitus.	49	Servus ex Hispania in Belgium ductus amittit servitutem.	ibid. 2
Quid prædeterminatio jurisdictionis physicæ & dominij proprietatis.	ibid.	Respublica non potest concedere jus vitæ & necis in servos.	91. 2
An Dei potentia activæ sint physice prædeterminatæ ad operandum.	ibid. 2	Servus quidquid acquirit domino acquirit.	92. & seq.
Deus creaturas omnes prædeterminat & quomodo.	50. 2	An filius servi fiat servus.	93
Eadem Dei actio & præmotio dici potest & concursus simultaneous.	52. 1	An filius à patre jure vendi possit.	94. 2
An creatura possit agere contra legem prædeterminantem.	57. 1	Servus non perinde ac mancipium occidi potest.	95. 1
Prædeterminationes physicæ unius sunt speciei ultimæ.	56. 1	Servus nullo casu potest rei permanentis dominium acquirere.	99. 1
PRÆTIUM, PRECARIUM.		Qui servi fugere possint qui non possint.	101. & 102
Pretium rerum triplex infimum, medium & summum.	117. 2	Servus jurans se mansurum an nihilominus fugere possit.	104. 1
Quo pretio vendi possint res quæ nullum habent determinatum valorem.	118. 1	Servus & Religiosus Benedictinus in multis symbolizant.	105. 2
Pretium non necessario est moneta cusa & sigillata.	205. 1	Non est servitus contra, sed præter naturam.	109. 2
Pretium justum crescit & minuitur. Et quibus ex causis.	328. 2	Potest quis ob causam se in servum dare.	110. 1
		Non est servus dominij capax etsi dominus id permittat.	111. 1
		Dari potest homo partim liber partim servus.	ibid. 2
		Indi ab Europæis justè in servitutem sediguntur.	113. 1
		Servi	

RERVM ET VERBORVM.

Servi quibus modis recuperent libertatem.	ibid. 1	Usura non est veniam offensæ vel amicitiam ex mutuo expectare.	187. 1
Manumitti servus quandoque potest quandoque non potest.	115. 1	Mutare sub onere solvendi debitum incertum vel probabile an usurarium.	188
Quibus modis domini amittant dominium in servos.	116. 2	Mutuans cum pacto de remutuando.	ibid.
Servitutis realis species & natura.	117. 1	Paratus ad libitum mutuare an aliquid possit ultra sortem exigere.	189
SIMONIA, SPES, SVBSTITVTIO, SVPERSTITIO.		An usurarium ex mutuo officium vel beneficium expectare.	190. 1
Quid & quibus casibus incurratur Simonia.	216. & seq.	An etiam mutuare pecuniam restituendam in tritico tali tempore.	ibid.
Qui impedit alterum ab afflictione rei speratæ an teneatur ad restitutionem.	68. 2	Excusantia ab usura.	191. & seq.
Substitutionis (extuplex) genus.	225. 2	Limitatio temporis an excuset ab usura.	194
S. perditioni plura ascribuntur quam debeant.	346. 2	Perculum amittendæ vel molestia in recuperanda sorte excusant ab usura.	195. & seq.
Superstitio ejusque species prohibita.	403	VOTVM, VXOR.	
SYMPATHIA, SYNDERESIS.		In votis & juramentis purè humanis potest homo dispensare.	312. & seq.
Sympathia à prædeterminatione physica indistincta.	54. 2	Potest & in divinis in suam utilitatem factis.	ibid.
Synderesis quid & quomodo distincta à conscientia.	330. 1	Qui certò vovit castitatem dubitat verò an religiosam non teneatur ingredi Religionem.	346. 1
		Qui vovit dare vinum non debet optimum & qui calycem non debet aureum.	347. 1
		In dubio an votum sit reservatum censendum est non esse.	352. 2
		Qui vovit jejunium in quadragesima dubitat autem an voverit abstinentiæ à lactinijs potest præsumere quod non.	354. 2
		Qui certò scit se vovisse verbis, sed dubitat an habuerit voluntatem se obligandi voto non obligatur.	335. 2
		Qui dubitat an votum emisit non teneatur adimplere.	336. 1
		Qui certò scit se vovisse dubitat an liberè non teneatur.	ib. 2
		In dubio an materia voti sit bona vel mala teneri & non teneri te voto probabile est.	337. 1
		Vxor an viro suo subordinata.	14. 1. & 2

T

TENTARE, TESTAMENTVM, THESAVRVS.

Eus quomodo teneatur.	402. 2
Potuerunt valida fieri testamenta in lege naturæ.	219
Quia testamentum & quæ in eo requisita qualitates.	221
Quinam & quibus de rebus testari possint.	222. & seq.
Clerici de quibus testari possunt etiam dispensante Pontifice.	224. 2
Thesaurus quandonam fiat inventoris	72. 73. 74. & seq.

V

VENDITIO, VSVRA.

Vid venditio.	204. 2
Conditiones ad venditionem requisitæ.	205. & seq.
Quo casu quis cogi possit ut sua vendat.	206. 1
Vitæ sine invidia non contingit.	183. 2
Vitæ conceptus & essentia.	ibid.
Vituarium est ultra sortem tãquam debitum recipere.	ibid.

F I N I S.

